BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
5 H
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-24, e, 67
31. 4. 22

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAXIS OBSERVANDA

IN ADMITTENDIS AD RELIGIONIS STATVM NOVITIIS.

In qua de conditionibus ad ingressum Religionis requisitis: De anno nouitiatus: De facultate absoluendi eosdem Nouitios à censuris, & à quibuscunq; alijs impedimentis: De professionis emissione, atq; eiusdem professionis inualidę ratificatione; De transitu ex vna ad aliam Religionem, ac de quampluribus alijs ad hanc Nouitiorum materiam maximè spectantibus accuratissimè ad extricandos dubiorum nodos disseritur.

AVCTORE

FR. BARTHOLOMAEO DE VECCHIS A BONONIA in Religione Minorum S. Francisci Capuccinorum minimo.

Cum duplici Indice, & Priuilegio.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESU
IHS



FOROLIVII, Ex Typis Saporettium. M. DC. XXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Admodum Reuerendo Patri

IOANNI MARIÆ

A' NOTO,

GENERALI TOTIVS ORDINIS FR. MINORVM S. FRANCISCI CAPVCCINORVM.

EX EADEM RELIGIONE FR. BARTHOLOMAEVS VECCHIVS à Bononia vtramq; salutem.

EN tandem Diuino fauente numine, & Admodum Reueren. Paternitate Tua annuente publicam lucem aſpiciunt hi pauci fœtus ex multis, quos in Minoritanam Regulam non ſine magno ſtudio, opera, ac labore concepi, & priuatim conſcribendo peperi. Quocirca ad pedum illius Bonitatis Diuinæ ſcabellum humillimè prouolutus immortales ei gratias ago, Paternitati verò tuæ

Adm. Reuerendę quàm maximas pos-
ſum, rependo: Et vt hoc grati animi
mei argumentum vnà cum teſtimonio
ſingularis obſeruantiæ in te meæ expli-
cem, Tibi, ſecundum Deum offero hu-
iuſcè Praxis munuſculum. Si ex ſe ſpe-
ctetur, perexiguum: ſi ex ingenioli tenui-
tate, mediocre: Si ex voluntate, perma-
gnum. Idem igitur Religioſiſsime Prę-
ſul lęto vultu ſuſcipe, paterno affectu
proſequere, Tuę auctoritatis præſidio ſu-
ſtine, clementiq; benignitate defende.
Quod reliquum eſt, D. O. M. deprecor,
vt Te Virum tot, tantiſq; virtutibus or-
natum, ac Parentem optimum Religio-
ni noſtræ diù ſeruet incolumem. Vale,
Foroliuij Calendis Aprilis 1627.

Summa Priuilegij Pontificij.

S. D. N. Vrbani Papæ Octaui diplomate cautum est, ne quis tàm in Vrbe, quàm in reliquo statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè eidem Pontifici subiecto sine speciali licentia Augustini, & Pauli Fratrum germanorum Bibliopolarum de Saporettis, vel aliorum ab eis causam habentium imprimat, vel impressum in quolibet loco vendere, seu venale habere valeat opus intitulatum Praxis obseruanda in admittendis ad Religionis statum Nouitijs à Fratre Bartholomęo de Vecchis à Bononia Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum compositum sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, ac typorum omnium eo ipso absq; vlla declaratione incurrendis pœnis, vt fusius patet in præfato diplomate. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 9. Nouemb. 1626.

V. Theatin.

Facultas Adm. Reuer. Patris Generalis.

Nos Frater Ioannes Maria à Noto Minister Generalis (licèt immeritus) totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum. Hæc Praxis in admittendis ad Religionis statum Nouitijs obseruanda a R. P. Fratre Bartholomæo de Vecchis à Bononia eiusdem nostri Ordinis elucubrata, & à quibusdam nostris Theologis recognita, & approbata, facultatem concedimus, vt seruatis seruandis, imprimi, & impressa valeat euulgari. Datum Melphiæ die 9. Mensis Iulij 1626.

Frater Ioannes Maria Generalis Minister.

Locus ✠ sigilli.

Approbationes.

Vidi opus, cui titulus Praxis obseruanda in admittendis ad Religionis statum nouitijs. In qua de conditionibus ad ingressum Religionis requisitis. De anno nouitiatus; De facultate absoluendi eos-

dem

dem nouitios &c. De professionis emissione &c. authore F. Bartholomæo de Vecchis à Bononia Minore Capuccino. Cumq; in eo nihil contra fidem, & bonos mores repererim, sed probatas probatorum DD opiniones, breuiter, enucleatè, doctèq; ab authore propositas; dignum existimo, quod lucem aspiciat ad religiosarum præsertim familiarum vtilitatem.

Virgilius Naldius Societatis Iesu pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Episc. Foroliuiensi.

Ego Fr. Dominicus Maria de Luca Sacræ Theologiæ Lector ordinis Prædicatorum vidi opus cuius titulus est. Praxis obseruanda in admittendis ad Religionis statum Nouitijs Auctore Fratre Bartholomæo de Bononia Capuccino; Nec aliquid Catholicam fidem aut bonos mores offendens reperi.

Praxis obseruanda in admittendis ad Religionis statum Nouitijs, in qua &c. à R. P. F. Bartholomæo de Vecchis à Bononia Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum composita, quam de mandato Adm. R. Patris Ioan. Mariæ à Noto Ministri Generalis, Ego Frater Laurentius à Pistorio eiusdem Ordinis professus, ac Theologiæ professor accuratè perlegi, non solum propter insignem doctrinæ soliditatem ab insignoribus Summistis, sacrisq; Canonibus petitam, sed etiam ob eximiam iudicij in declinanda opinionum minus receptarum nouitate maturitatem, & in discernendis semper verioribus sententijs prudentiam singularem, mihi omninò dignissima visa est, quæ in communem omnium regularium vtilitatem prælo mandetur, eòq; magis quò cum styli facilitate, ac nitore nihil habet, quod Catholicæ fidei bonisq; moribus consonum non sit. In quorum fidem, testimonium hoc mea manu conscriptum dedi. Florentiæ die 10. Mensis Maij anni 1626.

Ego Frater Laurentius qui supra.

Praxis obseruanda in admittendis ad Religionis statum Nouitijs à R. P. Fratre Bartholomæo de Vecchis à Bononia Minore Capuccino elucubrata, ex commissione Adm. Reuerendi Patris Ioan. Mariæ à Noto totius nostræ Religionis Generalis Ministri, accuratè perlegi, & præclarum sanè opus inueni; vt pote optima insignium Summi,

statarum

ſtatum methodo, ordineq; diſpoſitum, eruditione ſpectabile, doctrina, ac pietate conſpicuum, & quod primum eſt rectæ fidei, ac probis moribus omnifariam concors. Quinimmò ipſa tàm multiplex, quæ ibi elucet, erudita moralitas, morum ſeminarium aſtruit appellandū. In eo, velut in prædiuite quodam penu, omnium dubiorum, quæ circa Nouitiorum receptionem, probationem, & profeſſionem emergere vnquam poſſunt, tàm rationibus, quàm Doctorum innixa ſuffragijs valida, atq; conſtans reperitur ſolutio. Quapropter ad communem totius clauſtralis Reipublicæ vtilitatem imprimi, & impreſſum euulgari digniſſimum cenſeo. Datum Veletris ex loco noſtro Sanctæ Crucis in Monte Caluario die prima Ianuarij anno Domini 1626.

Ego Frater Io. Baptiſta Oſtienſis eiuſdem ordinis profeſſus, ac Sacræ Theologiæ profeſſor.

Librum inſcriptum *Praxis obſeruanda in admittendis ad Religionis ſtatum Nouitijs* à R.P. Fratre Bartholomæo de Vecchis à Bononia diligenter elaboratum, vidi de mandato Adm. R.P. Ioan. Mariæ à Noto Religionis noſtræ Generalis Miniſtri: Cumq; in eo accuratius perlecto nihil oſtenderim, vel à fidei norma, vel à morum pietate diſſentaneum; multaq; perſpexerim non mediocrem Regularibus omnibus vtilitatem allatura; digniſſimum eſſe iudico, vt typis mandetur, & lucem aſpiciat. In cuius fidem præſentibus manu propria me ſubſcripſi, datis Anconæ in Conuentu noſtro Sanctæ Catharinæ die xx. Maij 1626.

Ego Frater Iuſtus Vlmimontanus Capuccinus Sacræ Theologiæ profeſſor.

Ego infraſcriptus attentè legi, & conſideraui opus hoc à R. P. Bartholomæo Vecchio à Bononia Capuccino compoſitum, nihilq; in eo contrarium Orthodoxæ fidei, Apoſtolicæ Sedi, boniſue moribus deprehendi; ſed atteſtor nulli alio eiuſdem generis eſſe ſecundum. Ità enim compendiariâ facili, & dilucida methodo quæcunq; quæſtiones in eo pertractantur, quæ circa receptionem, probationem, & profeſſionem nouitiorum excitari poſſunt: Et ità ſolidioribus fundamentis tùm Theologicis, tùm Iuridicis veriores opiniones eliciuntur, con-

contrariæq; refelluntur, vel ad concordiam euocantur, vt propterea dignissimum censeam, quod typis cudatur ad communem vtilitatem. Dat. Bononiæ die 26. Septembris 1626.

F. Sigismundus à Bononia Capuccinus Sacræ Theologiæ Iurisq; Pontificij professor manu propria.

Quid censeam de tractatu, cui Titulus *Praxis obseruanda in admittendis ad Religionis statum Nouitijs* Reuerendi Patris Fratris Bartholomæi de Vecchis à Bononia Ordinis Fratrum Capuccinorum sincerè rogatus; Existimo pro ingenioli mei imbecillitate Opus esse eruditum, & summopere à Religiosis non tantùm, sed etiam à Canonici Iuris peritis desiderabile. In quo nedum Theologorum variæ, ac difficiles controuersiæ ingenio, ac doctrina enucleantur, sed etiam quamplures Iuris Canonici, ac Ciuilis ad materiam testamentorum, contractuum, ac beneficiorum quæstiones methodo peregregia dirimuntur. In quarum resolutione non tantum quid dixerint antiqui I. C. sed quid recentiores, quid in Summis Orbis Tribunalibus, quidq; in eminentissimo Romanæ Rotæ Auditorio seruetur, felicissimè explicatur: His itaq; lucubrationes laudabilissimas, vtilissimas, ac omnibus necessarias iudico. Datum Foroliuij die 12. Martij 1627.

Mercurialis Merlinus V. I. D.

IMPRIMATVR.

Fr. Franciscus Hieronymus Orengus de Papia S. T. L. ac Vic. Sancti Officij Foroliuij.

REVERENDI PATRIS

FR. FRANCISCI DE FAVENTIA

ORDINIS CAPVCCINORVM

In Praxim Tetrastichon.

Vecchius hic iuuenes veterum præcepta subire
Instruit; hic veteres iuuenum noua discere vota.
Hic vetus, ac iuuenis vetus, atq; nouum accipe fœdus:
Vt iuuenis probet altè; vt sic vetus approbet arctè.

IN-

INDEX DISPVTATIONVM, ET DVBIORVM, quæ in hac Praxi Nouitiorum discutiantur.

Disputatio I.

De ingressu Religionis.

Disputatio II. De ingressu Religionis.

nen-

Disputatio IX. De absolutione Nouitiorum.

14 An

gio-

Disputatio XI. De anno probationis.

Disputatio XII. De anno probationis.

2 An

lore

Disputatio XIV.

De Professione inualida, & eius ratificatione.

Disputatio XV. De transitu ad aliam Religionem.

Disputatio I.

IN hac disputatione examinanda sunt, quæ vel liceant, vel prohibeantur Religiosis, & præsertim Minoribus circa aliorum inductionem ad Religionem, vel à Religione dissuasionem.

DVBIVM I.

An integrum sit Religionis ingressum alteri persuadere.

SVMMARIVM.

1 *Quando meritorium sit persuadere alicui Religionis ingressum: & quando vitiosissimum.*

2 *Præmia eorum per quos conuertuntur peccatores.*

3 *An fratres Minores specialiter prohibeantur persuadere suæ Religionis ingressum.*

4 *An Discipuli Christi præuenerint illum, vel ipse præuenerit eos.*

1 RESPONDEO vnica conclusione. Optimum, meritoriumq; est alicui persuadere religionis ingressum, quia ingressus religionis est actus super omnes meritorius *c. scripturæ de voto.* dummodo id debitis circunstantijs fiat. Ita D. Thom. *2. 2. q. vlt. art. 9.* Quam conclusionem probat idem Sanctus tùm auctoritate D. Iacobi *epist. can. c. vlt.* dicētis.
2 *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum.* tùm per illud Dan. *c. 12. Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* tùm deniq; rationibus, quas breuitatis gratia omitto. Non obstant verba textus regulæ nostræ cap. 2. *Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros;*

quia licèt per verbum illud *venerint* videatur non licere Minori persuadere cuiq; religionis ingressum; contrarium tamen est asserendum, eo quòd regula vtitur hoc verbo, quatenus ingressus ad Ordinem ex parte recipiendorum sit penitus voluntarius, & liber. Quare iurè meritò D.Bonauent. *c. 2. non longè à princ.* inquit, sicuti inter Christi discipulos alij Christum Dominum præuenerunt: alij verò, vt Andreas, & Petrus ab ipsomet Christo preuenti fuerunt: Ita eodem prorsus modo posse Minores præuenire seculares, & ingressum Religionis eis persuadere, dùmodò persuasiones non sint importunæ, vt dubio sequenti dicetur.

5 Limitatur hæc conclusio, vt hæc persuasio non tollat libertatem eius, cui religio persuadetur, ita vt ingressus religionis sit spontaneus. Quod si secus fieret, vitiaretur opus. Ratio redditur à Caietano *2.2.q. vlt.art.9.* quoniam in hoc agitur de dispositione totius vitæ suæ, quam nisi spōtè quis arripiat, periculum est, quod retrocedat, aut in malam vitam etiam religiosus declinet. Hæc inductio esset indebita, & inordinata, primò si minis, deceptionibus, vel violentijs quis in religionem induceretur, quod omninò prohibitum est *can. præsens 20. q. 3.* Secundò, si aliquod simoniæ vitium intercederet. Tertiò, si religionis deformatæ ingressus persuaderetur: quæ omnia infra suis locis enodabuntur.

DVBIVM II.

An tutum sit, quempiam illecebris, muneribusq; ad Religionem pertrahere.

SVMMARIVM.

1 *Quando liceat illecebris, vel muneribus trahere quempiam ad Religionem. & quando non liceat. Explicatur nu. 3.*
Item dare pecuniam infideli, vt ad fidem conuertatur.
Item alere pauperem, vt ingrediatur Religionem.
2 *Per quam quantitatem muneris illicitè quis attrahatur ad Religionem.*
3 *Quomodo licitè possit quis obligari ad ingrediendam Religionem promissionibus, vel muneribus.*
4 *An liceat parentibus donare aliquid filio, vt Religionem ingrediatur.*

An

An liceat Religioni soluere debita alicuius ad eundem finem.
An alere pauperem in studio.
An seruos libertate donare.

1 RESpondeo hac cōclusione. Si illecebris, vel muneribus gratis, & absque vllo pacto factis intendatur beneuolentiam tantummodo captare, vt quis sponte religionem ingrediatur, non vertitur in dubium hoc esse licitum; Ratio est per se aperta, quia hæc est liberalis omninò donatio nullo pacto vestita, quę in egregium finem dirigitur. Colligitur apertè hæc conclusio *ex can. penult. 23. q. 4.* & ex Glossa *in can. quam pio 1. q. 2. & can. debet, 23. q. 4.* Panormit. *in c. dilectus, il 2. de simonia*; & quampluribus alijs docentibus posse dari pecuniam infideli non ex pacto, sed liberalitatis gratia, vt sic ad fidem alliciatur: Et in proprijs terminis eam docent D. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad quartū, & q. vlt. art. 9.* D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 2. col. 2.* Angel. *tit. simonia 3. num. 26.* Syluest. *eod. tit. q. 8. dict. 3. in fine, & tit. religio 2. q. 2.* Sot. *de iust. lib. 9. q. 6. art. 2. ad quartum* Azor. *p. 1. lib. 12. c. 1. q. 2.* Lessius *lib. 2. c. 35. dubit. 12.* Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 39. nu. 2.* Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9. nu. 15. & tom. 2. de relig. lib. 4, de simon. c. 16. nu. 3.* & Reginald. *lib. 18. nu. 374.* Vnde ex ijs doctoribus, & præcipuè ex D. Thom. *art. 9. citato*, colligitur nō obscurè, tutum esse præbere pauperi alimenta gratis, & absque pacto, quatenus tali modo religionis amore accendatur.

2 Hic tamen est notandum, non debere esse hæc munera tam excessiua, vt benè notat Suarez *de simonia nu. 4.* vt per ea quis principaliter trahatur ad religionem, id est vt ratione horum munerum se inducat ad ingrediendum monasterium, ne videatur ingratus; quia talis excessus esse potest culpabilis. Idem dicendum de illecebris, & precibus, quæ non debent esse adeò importunæ, vt videantur habere vim cogendi; nam in hoc casu rogatus exponeretur periculo fictionis, & inconstantiæ. Imò hæ preces, aut persuasiones importunæ timori riuerentiali adiunctæ aliquando incutiunt metum grauem, quando scilicet factæ sunt à persona, cui rogatus debet reuerentiam, vt infrà *disp. 13. dub. 11.* dicetur. Talis igitur excessus non est immunis à culpa, licèt non interueniat propriè simonia.

3 Ampliatur hæc conclusio à Lessio *lib. 2. in loco citato*, & Sanch. *nu. 4.* vt etiam locum sibi vendicet, si offerantur alicui dona ea lege, & pacto, vt ingrediatur religionem, dummodo non dentur in pretium huius religionis ingressus, sed ad inducendum ad religionem. Fauent huic ampliationi Glossa *in can. quam pio, verbo in fermentur 1. q. 2. & in can. iubet 23. q. 4.* Cardin. *in c. dilectus il 2. num. 3. de simonia*, Adrian. *quodlib. 9. art. 3. ad tertium principale*, & Syluest. *tit. Cedula 11. q. 2.* qui docent posse offerri infideli munera, vt hoc pacto baptismum suscipiat. Nihilominus censeo à communi opinione non esse recedendū, quam amplexati sunt præcipui DD. tam in lege ciuili, quàm in lege canonica, & theologia. Quæ quidem communis opinio simpliciter negat tutum esse dare, vel accipere aliquid hoc modo per vim pacti: idest do, aut promitto tibi hoc, vel illud hoc pacto, vt fias religiosus, & non aliter. Ità tenet Bart. *in l. Titia nu. 12. ff. de verbor. oblig.* quem alij Legistæ sequūtur. Ità etiam docent Panormit. *in c. dilectus il 2. nu. 7. de simonia*, Felinus *ibi nu. 2.* Archid. *in can. quam pio 1. q. 2. vers. in ea glossa, in fine*, Hostiens. Ioan. and. Anton. & Anchar. *in d. c. dilectus*, quos refert Sanchez *nu. 1.* Ità etiam tenent D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 9. in corpore*, D. Antonin. *2. p. tit. 1. c. 5. §. 18. & tit. 12. c. 2. §. 1.* Angelus tit. *simonia 3. nu. 26.* Syluest. *eod. tit. q. 8. dict. 3.* Tabiena *nu. 28. & 61.* Armilla *nu. 30. & 50.* & alij. Hæc tamen opinio est intelligenda, vt latè explicat Suarez *in citato lib. 4. c. 16. nu. 11. & seqq. & præcipue nu. 17. de simonia*, promissionem scilicet alicuius rei temporalis factam hoc pacto, & conditione, vt alter maneat obligatus 5
determinatè ad ingrediendam religionem, esse illicitam, & vitio simoniæ non carere: è contrariò verò licitum esse per se loquendo aliquid dare, seu promittere alteri ea conditione, vt ingrediatur religionem, dummodo talis elargitio, seu promissio veram pacti rationem non includat. Talis enim donatio, seu promissio ex se honesta, & sancta est, si fiat absolutè, ita vt ex parte eius, qui recipit donum, aut cui fit promissio nulla oriatur obligatio, quamuis apponatur conditio de ingredienda religione: quæ quidem conditio non est propriè conditio, sed modus, qui non inducit determinatè obligationem, etiam si nō adimpleatur. Ità scripsit idem Suarez, & ante illum Molina *tom. 1. tract. 2. disput. 39. conclus. 4.* Et in hoc sensu intelligi potest opinio Lessij, & Sanchez, eo vel

maxi-

maximè quia in exemplis à Sanch. adductis non intercedit proprium pactum inducens definitam obligationem. Immò etiam nonnulli ex ijs doctoribus, quos supra retuli docentes posse offerri infideli munera, vt hoc pacto baptismum suscipiat, indicant, id minimè licere pro ingressu religionis.

Non obstat, præfatam conditionem inducere obligationem ingrediendi religionem; quia ex tali conditione non consurgit ea obligatio necessariò obseruanda, quæ procedit ex pacto, sed quædam alia obligatio, quæ obligat sub disiunctione, vel ad ingrediendam religionem, vel ad reddendum munus. Præterea cum hęc donatio, seu promissio facta hac conditione, non sit ordinata ad coarctandam, sed solum ad inclinandam alterius voluntatem, patet, non inducere obligationem necessariò obseruandam. Quod infrà exemplis explicabitur *disp. 2. dub. 5. & disp. 13. dub. 12. nu. 15.*

4 Ex dictis infertur primò, licitam esse donationem, seu promissionem à parentibus factam filio, seu filię quatenus inclinent animum eorum ad religionem. Secundò licere religioni bona in communi possidenti soluere debita eius, cui præcluditur religionis ingressus, quia ęre alieno est supra vires suas grauatus, prȩfata tamen conditione inter ipsum, & religionem intercedente, idest vt ea soluat, & ipse statum religionis suscipiat. Tertiò integrum esse religioni alere pauperem in studio ad hunc finem, obligando illum sub prȩfata disiunctione, quatenus vel ingrediatur religionem, vel restituat expensas.

Hęc, & alia huiusmodi licita sunt, in quibus proprium pactum non intercedit inducens definitam obligationem. Quę omnia confirmantur ex eo, quod in iure habetur *cap. 2. de cond. appos.* vbi manumissionem seruorum factam sub hac conditione, vt habeant libertatem, si claustra religiosorum ingrediantur, in monasterioq; perseuerent, & non aliter, validam esse declaratur, & seruari prȩcipitur.

DVBIVM

DVBIVM III.

An Religiosi dona, oblationesq; recipere valeant promittendo se auxilium alicui præstituros, vt in Religionem admittatur.

SVMMARIVM.

1 *An liceat Religiosis aliquid exigere, vel accipere quasi pretium pro ingressu Monasterij.*
2 *Item an eleemosynas, & munera. nu. 3.*
Exponuntur *c. nullus Abbas. 1. q. 2. c. fin. de pact. cap. quæsitum de rer. permut. & c. dilectus. 2. de simon.*
4 *Admonitio ad suasores, & Receptores Nouitiorum.*
5 *An liceat Monialibus exigere dotem ab introeuntibus Religionem.*
6 *An Monasterium aliquam hæreditatis portionem ingressi in Religionem prætendere possit.*

1 RESpondeo hac conclusione. Quamuis pro ingressu monasterij non liceat religiosis aliquid exigere, vel accipere quasi pretium, quia esset simonia *c. quoniam, & c. non satis, de simon.* Panormit. *in c. in præsentia nu. 52. in fine, de probat.* Innocent. *in c. cum M. de constit.* atque alij, & præsertim Perillustris, & Obseruandissimus Dominus meus Mercurialis Merlinus *in suo doctissimo tractatu de legit. lib. 1. tit. 2. q. 14. nu. 6.* Munera tamen, & eleemosynæ recipi possunt ab ijs, qui religionem ingredi cupiunt, dummodo nullum interueniat pactum expressum, vel tacitum de præfato ingressu. Et quemadmodum fieri possunt hęc munera à religiosis ad captandam beneuolentiam, quatenus quis sponte ingrediatur religionem, vt expeditum fuit in superiori dubio; Ita eodē prorsus modo sunt licita ingredi volentibus ad facilius impetrandam suam receptionē. Hæc conclusio colligitur expresse ex D. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad quartum,* & cōfirmatur rationibus in superiori dubio allatis. Quæ intelligi debet, vt non recipiantur munera contra id, quod decernitur à Trident. *sess. 25. c. 16. de regular.* Et quoad nos Minores, à declarationibus Pontificum super regulam nostram, vt intra *disp. 8.* enodabitur.

Obij-

2 Obijcies inhiberi hæc munera in iure *can. nullus abbas 1. q. 2. c. fin. de pactis, & c. quæsitū, de rerum permutatione*, Vndè *in d. can. nullus* habetur, *Nullus Abbas pretium sumere, vel exigere ab eis, qui ad conuersionem veniunt aliqua pacti obseruatione, vel occasione præsumat*. Respondeo ijs iuribus prohiberi pretium, ac pactum pro ingressu monasterij; vt in dictis iuribus clarè habetur, & etiam *in c. dilectus il 2. iuncta Gloss. de simon.* & confirmatum est à Panormit. & Merlino *vbi sup.*

3 Quinimmò adijcio, sicuti in superiori dubio dictum fuit, licitum esse aliquid dare alicui ea conditione, vt ingrediatur religionem, dummodo talis elargitio, seu promissio verā pacti rationem non includat. Ità licitum esse aliquid offerre monasterio ea conditione, vt aliquem ad religionem admittat. Quare Bald. *in l. 1. nu. 2. C. de instit. & substitut.* scripsit, posse relinqui aliquid alicui monasterio cum onere recipiendi aliquem in monasterium. Hinc iure optimo Surdus *cons. 295. per totū* allegato Bart. Fulgos. Cuman. Castren. Ange. Aret. Dec. Rip. & Bertrand. tuetur sustineri dispositionem, in qua monasterium instituitur ea conditione, vt teneatur recipere nōnullas honestas puellas de familia testatoris; Idemq. latè etiam probat iste Doctor *in tit. 9. de aliment. q. 27. n. 4.* vbi alios DD. congerit.

4 Notandum verò, licèt præfata vera sint, à religiosis tamen curandum esse, ne suadendo iuuenibus religionis ingressum aliquo humano, vel sensuali respectū ducantur, sed Dei gloriam, animarum salutem, religionisq; beneficium intendant. Quæ omnia item præ occulis habere debent superiores in horum iuuenum receptione.

5 Ex dictis infertur aliquid recipi posse à monasterijs monialium in congruam sustentationem religiosę, quod dotis nomine significari solet, de qua etiam solet pactum præcedere. Et quia non accipitur tanquam pretium religionis, seu professionis, sed causa sustentationis, non est simonia; & ideò licita, vt comprobat communis Ecclesiæ vsus, & consuetudo. Ità Surd. *de aliment. vbi sup. nu. 5.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9. nu. 15.* & Sot. *de iust. lib. 9. q. 6. art. 2. ad quartum*. Et confirmatur, quia hæc consuetudo licitum habuit principium; nam antiquitus huiusmodi largitiones fiebāt tempore ingressus per spontaneas oblationes, & vbi licitum est princi-

principium, admittitur cõsuetudo, vt notatur *in c. ad Apostolicam, de simon.* Hinc Panormit. *in c. suam, de simon.* inquit, cõsuetudinem dandi eleemosynã, si processit ex liberalitate, nõ esse simoniacam: Et si postea agatur contra populum, vt obseruet laudabilem consuetudinem, actus non erit simoniacus, Ripa *cons. 26. n. 45.* Benedict. *in c. Raynutius p. 2. num. 13. de testam.* quos refert, & approbat Surd. *in loco citato nu. 5.*

6 Adiicio, apud Iuris peritos non leuem esse controuersiam, numquid ingresso aliquo in Monasterium possit in illius bonis ipsum Monasterium prætendere (eo etiam inuito) aliquam hereditatis portionem; Namq; multi in affirmatiuam transeunt opinionem Monasterio omninò esse debitam legitimam, cui opinioni arridet tex. *in auth. si qua mulier C. de Sacros. Eccl.* & per illum textum hanc opinionem sequuntur Gloss. Feder. de Senis Bald. Alber. Menchaca, Didac. & alij, quos allegat Merlinus *in tract. de legitima lib. 2. tit. 2. q. 14. n. 4.* & quamuis idem Merlinus *d. quæst. 14.* contrariam opinionem probabiliorem esse ostendat referens sub *n.* 8. multos, & magnę auctoritatis Doctores: Non est tamen quod quęstio non sit valdè controuersa, & hinc inde nõ habeat rationes probabiles, vt apud eundem apparet.

DVBIVM IV.

An tutum sit persuadere alicui Religionis deformatę ingressum.

SVMMARIVM.

1 *Quę attendenda sint à persuadentibus alicui Religionis deformatę ingressum,* & *quę Religio dicatur deformata.*

2 *Religio Capuccinorum Sancti Francisci laudatur.*

1 Respondeo vnica hac conclusione. Persuasio vitiatur, diciturq; illicita, & inordinata cum est ad Religionem deformatam, & irregularem, vbi laxè indebitè, ac sine debita exemplaritate viuitur. Quod tunc esse dicitur, vt notat Caiet. 2. 2. *q. vlt. art. 9.* communiter receptus, quando in ea maiores tepidè viuunt,

& inter

& inter minores est multa relaxatio; quoniam in huiusmodi Religione non adest occasio proficiendi, sed potius imminet scandali periculum, & inductus iure meritò deceptus dici potest. Quamobrem quando inducitur quis ad huiusmodi Religionem, exponenda est ei difficultas, quæ erit ad suum spiritualem profectũ ex im-
2 perfectione consortum, vt docet idem Caiet. Quod si ommittatur, peccatum est. Vide de hoc Cordubam *cap. 2. q. 2.* Hæc enim consultò ommitto, quia ad hęc vsque tempora in nostra Religione sic viuitur, vt ex hoc capite nullum culpæ timorem habere possint fratres ad Religionem nostram inducendo iuuenes, superioresue eos recipiendo, & admittendo. Quod tamen totum diuinæ bonitati tribuendum esse fatemur.

DVBIVM V.

An retrahens aliquem ab ingressu Religionis peccet, teneaturq; ad damni restitutionem.

SVMMARIVM.

1 *Rapiens è Monasterio Nouitium capite punitur.*
2 *Quando mortaliter peccent, qui dissuadent Religionis ingressum. & n. 4.*
3 *An Minores ex speciali pręcepto prohibeantur dissuadere Religionis ingressum.*
Ad quos spectet admittere ad habitum in Religione Minorum.
4 *An teneatur ad restitutionem aliquam, qui malo quidem animo, sed sine fraude retrahit à Religione quempiam*
Et item an peccet contra charitatem, vel an contra iustitiam.
5 *An teneatur ad restitutionem, qui aliquem auocat à donatione, quam decreuerat.*
6 *Ad quid teneatur, qui vi, metu, aut fraude, seu mendacio abduxit, seu impediuit quempiam à Religione. & nu. 8.*
7 *An peccet contra iustitiam, vel contra charitatem.*
An peccet contra iustitiã, & teneatur ad restitutionem, qui vi, metu, aut fraude, seu mẽdatio impedit aliquẽ, ne legatũ, aut eleemosynã habeat.
8 *Quibus pęnis afficiat Conc. Trident. cogentes mulieres ad ingrediendũ, vel deponendum propositum Religionis.*
De hac re qui Doctores sint videndi.

1 RESpondeo præmittendum esse, dubium nostrum non esse circa eum, qui è monasterio rapit nouitium, quia talis rapiens capite punitur vt allegato Baldo docet Anan. *in c. 1. nu. 5. ad fin. de apostat.* Decian *in tract. crim. lib. 5. c. 47. nu. 3.* & Farinac. *de hæres. q. 183. nu. 85.* Est ergo circa eum, qui persuasionibus, aut mendacijs, seu vi, aut metu aliquem ab ingressu, vel post ingressū ab emittenda professione retrahit.

2 Hoc præmisso sit prima conclusio. Nullus est ambigendi locus, quin peccet mortaliter is, qui aliquem à proposito ingrediendi religionem retrahit, dummodò id non faciat bona fide, existēte aliqua iusta causa, vtputà quia credit ipsum esse ad religionem ineptum, vel è contrariò religionem non esse ei accommodam. Et notandum, in dubio an causa sit rationabilis, & iusta ad tantum dissuadendum bonum, semper esse tenendum in fauorem religionis, strictiorisq; ac perfectioris status, vt benè notat Molina infrà citandus. Hæc conclusio est confirmata à Doctoribus, & præsertim à statim in secunda conclusione citandis, & intelligitur nō solum de eo, qui retrahit ante religionis ingressum, sed etiam post ingressum ante professionem.

3 Ampliatur hæc conclusio quò ad nos Minores à Politio *cap. 2. nu. 2.* & Pacto *c. 2. præcep. 1. art. 1. in princ.* qui sustinent, Franciscanos vi etiam regulæ peccare, si quem absque iusta causa à sua religione retrahant. Ducuntur, quia Clemens Quintus *Clem. exiui, §. item quia præter ea in fin. de verbor. signif.* definiens, quæ in regula nostra sunt præceptis æquipollentia, dixit, ea omnia obligare, quæ tùm ad receptionem, tùm ad professionem nouitiorum in regula traduntur. Cum ergo dicat regula, vt mittantur ad Ministros, qui veniunt ad fratres causa recipiendi habitum, patet contra regulam delinquere fratres, qui memoratos à præfato proposito auertunt.

At hæc ampliatio iure optimo non admittitur à Quattuor Magist. *c. 2. in princ.* Thesauro *cap. 2. f. 79.* & Crouers *lect. 1. cap. 2. reg. §. quærunt, f. 66. mihi.* docentibus hunc regulæ locum non esse præceptorium, sed instructorium. Quod confirmatur, nam quamuis Clemens Quintus declarauerit omnia ad receptionem nouitiorum spectantia obligare: non est tamen tam strictè intelligenda hæc obligatio, vt comprehendat casum nostrum, prout re

vera

fera illũ non comprehendit; eo quòd præfatus regulæ locus prohibet tantummodo cuilibet priuato fratri nouitiorum receptionem, quæ ad Ministros prouinciales tantùm spectat. Idcirco præceptorium non est hoc verbum *mittant* quò ad dissuasionem à religione, sed quò ad receptionem, seu ad concedendum religionis ingressum; & ita hoc esse obligatoriũ intendit Clemens Quintus.

4 Secunda conclusio est. Qui mala fide, vel animo malo retrahit à religione sine fraude, aut vi ingressurum eam, vel iam ingressum, sed nondum professum, lethaliter peccat, vt dictum est in prima conclusione, sed non tenetur ad vllam restitutionem faciẽdam dissuaso, aut religioni; eo quod contra iustitiam non delinquit: sed quia contra charitatem peccat, tenetur consulere damno illato eidem dissuaso, reducendo eum pro viribus ad primum propositum.

5 Et quod ipse non teneatur ad restitutionem confirmatur à simili, nam quemadmodum quicunq; impedierit aliquem, qui decreuerat aliquid alteri dare, & à tali donatione auocauerit precibus, vel suasionibus sine mendacio, fraude, aut vi, non tenetur aliquid restituere ei, cui dandum erat, etiam si animo nocendi id fecerit, vt allegato Adriano, & pluribus alijs probat Molina *tract. 2. disput. 727.* Ità eodem prorsus modo non tenetur dissuadens religionem in casu memorato ad vllam restitutionem, quia contra iustitiam non peccat. Ità Soto *de iust. lib. 4. quæst. 6. art. 3. in solut. 2. argum.* Nauar. *cap. 12. nu. 44.* Vasquez *in opusc. de restit. c. 8. dub. 2. nu. 34. & 35.* Molina *tom. 5. tract. 4. disp. 51. n. 2.* Azorius *p. 3. lib. 5. cap. 2. vers. in hac re, & vers. ad hæc omnia, & vers. seq.* Sayrus *in claui reg. lib. 11. cap. 1. num. 28. & 29.* Miranda *in manual. prælat. tom. 1. quæst. 16. art. 3. conc. 2.* & alij à præfatis Doctoribus allegati. Hæc conclusio est contra nonnullos relatos à Soto, Azorio, & Sayro, qui tenuerunt, præfatum impedientem teneri religionem ingredi, vel operam dare, vt alius idoneus eãdem ingrediatur ad reparandum damnum eidem religioni iniustè illatum.

6 Tertia conclusio. Qui vi, metu, aut fraude, seu mendacio abduxit quempiam à proposito ingrediendi religionẽ, vel emittendi in ea professionem. Primò tenetur, vt docẽt doctores, vim, ac fraudem tollere, aperiendo scilicet fraudem, & auferendo ab eo impedimenta, quæ ipse apposuit, ita vt eum in suam priorẽ libertatem

restituit. Quinimmò tenetur resarcire, si quod aliud damnum sit indè ei subsequutum, quod ipse per se ipsum, si velit, non possit resarcire, vt benè inter alios docet Molina statim citandus. Secundò iuxta probabiliorem sententiam tenetur ex iustitia monasterio compensare commodum, quod ex eiusdem dissuasi hereditate, donatione, vel industria expectabatur, consideratis considerandis, id est habita consideratione huius commodi, quo priuatur religio, existere tantummodò in spe, & esse pendens à mutabili voluntate ingressuri religionem.

7 Probatur hæc posterior pars conclusionis; nam licèt religio nullum ius acquisierit in personam præfati, qui ingressurus erat, vel nondum emiserat professionem, peccatum tamen est contra iustitiam per vim, metum, fraudem, vel mendacium impedire ne acquirat. Quod confirmatur, nam sicuti dicitur peccare contra iustitiam, qui vi, metu, aut fraude, seu mendacio aliquem impedit, ne eleemosynam, aut legatum habeat, tenetúrq; ad damni restitutionem. Ità paritratione retrahens à religione aliquem vi, seu fraude, ex cuius discessu religio aliquod damnum patitur, tenetur ex iustitia ad id damnum reparandum. Ità Vasquez *in opusc. de restit. c. 8. n. 38.* Molina *tract. 4. disput. 51. num. 10 concl. 6.* Azorius *p. 3. lib. 5. cap. 2. vers. quartò quę hactenus*, Lessius *lib. 2. de iust. cap. 8. dubit. 3. num. 15.* Bonacina *de restit. disp. 2. q. 1. p. 1. num. 3.* Emanuel sà *tit. de restitut. num. 13.* qui citat Bannes *2. 2. q. 62. art. 4. dub. 3.* Hæc posterior pars conclusionis est contra nonnullos doctores, præsertim Sayrum *in claui reg. lib. 11. cap. 1. num. 33.*

8 Limitatur hæc conclusio à Lessio, qui censet probabilitate non carere, præfatam restitutionem religioni faciendam necesse, quando qui retraxit, restituit dissuasum suæ libertati, fraudemq; aperuit interea temporis, dum adhuc est illi integrum redire; Et est ratio, quia in posterum, qui retraxit non est causa damni monasterio, sed est solus nouitius spontè non rediens. Ità etiã docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9. n. 10.* & colligitur ex Vasquez *n. 43.* Verum addit idem Lessius, etiã si nouitio sit integrum redire; tamen si occasione fraudis, vel vis illatę mutet seriò animum, deceptor videtur causa damni, quia iniustè eius occasionem dedit.

Quar-

9 Quarta conclusio est. Per Tridentinum *sess. 25. c. 18. de regular.* excommunicantur tam cogentes mulieres, ad ingrediendam religionem, quàm impedientes illas ab ingressu eiusdem religionis. De qua videndi sunt Doctores præsertim Suarez *tom. 5. disp. 23. sect. 7. à nu. 8. & tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9.* Filiuc. *tract. 14. cap. 6. q. 5. nu. 89.* Rodriq. *tom 3. q. 14. art. 3. & q. 17. art. 19.* Bonacina *de censuris disp. 2. q. 6. p. 3.* sed inter alios Sanchez *in praecep. decal. lib. 4. c. 4. per totum.*

Disputatio II.

EXaminandæ sunt in hac disputatione conditiones, quæ vigore sacrorum Canonum, & Constitutionis Sixti V. *Cum de omnibus* desiderantur in ijs, qui religionis ingressum petunt.

DVBIVM I.

Quot conditiones exigat ius commune in quocunque Religionis ingressum petente.

SVMMARIVM.

Enumerantur nouem requisita in admittendis ad Religionem. 1.

RESPONDEO nouem. Prima, vt sit liber, & non seruus. Secunda, vt non sit Episcopus, vel si sit, licentiam à Summo Pōtifice obtineat. Tertia, vt non vi, vel metu compulsus, sed libera volūtate religionis ingressum petat. Quarta, vt non sit impubes, furiosus, vel mente captus. Quinta, vt parentes, aut filios pauperes in necessitate constitutos non habeat. Sexta, vt non sit vxoratus. Septima, vt nullum graue delictum cōmiserit, uel de eo neutiquam curiæ suspectus sit. Octaua, ne ita ære alieno grauetur, ut singulis creditoribus sufficienter de proprijs substantijs satisfacere nequeat. Nona, ut non sit obstrictus ratiocinijs. De quibus omnibus in proximo agendum est.

DV-

DVBIVM II.

An serui ad Religionem admitti possint.

SVMMARIVM.

1 *Qui veniant sub nomine seruorum, de quibus in titulo quæstionis & num. seqq.*

2 *Seruus non potest ingredi Religionem absq; licentia Domini sui.*
Et an ingrediendo committatur furtum à seruo, an verò à Religione.

3 *Quod tempus præfigatur Domino repetendi seruum à Religione.*
An dictum tempus sit numerandum à die incepta probationis, vel à die scientia Domini.

4 *An Monasterium teneatur recompensare Domino damnum illatum ex illicita receptione serui. & nu. 6.*

5 *An seruus dolo, vel bona fide Religionem ingressus sit restituendus Domino.*

6 *Professio emissa à seruo intra tempus, quo potest illum Dominus repetere, est valida.*

7 *Non obstante professione facultatem habet Dominus illum reuocandi.*
Seruus tamen est verus Religiosus, & ad castitatem, paupertatemq; tenetur.
Factus sui iuris tenetur ad Religionem redire.

1 RESpondeo duo esse prænotanda. Prius hic non sumi seruũ pro eo, qui spontè alteri seruit, vt ferè sunt omnes, qui seruiunt hisce temporibus nostris: sed pro eo, qui non est sui iuris, qui alio nomine mancipium vocatur. Et hoc dubium intelligitur non solum de seruis, qui verè mancipia appellantur, sed etiam de ijs, quos ius colonos, originarios, & ascriptitios appellat: Inter quos non comprehenditur ille, qui libertatem adeptus est etiam per fugam ad suos, quia hic sine dubio admitti potest ad religionem, vt bene notat Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dubit. 3. nu. 31.*

Posterius sub nomine serui non comprehendi eum, qui obligationem de se circa aliquam particularem actionem tantùm contraxit, veluti si quis vel ad Reipublicæ regimen, vel ad docendum,

aut

aut legendum, vel inseruiendum aliquo determinato temporis spatio, aut toto vitæ suæ tempore se obligasset; Hi enim religionem ingredi possunt, vt dicetur infrà dub. 14.

2 His prænotatis sit Prima cõclusio. Cum seruus nõ sit sui iuris, nec possit de se disponere, perspicuum est in religionem admitti non posse nisi de licentia Domini sui. Et si de facto inuito domino admitteretur, esset furtum tàm ex parte serui, quàm ex parte religionis, quæ eum reciperet. Hæc conclusio habetur expressa in *can. generalis, can. si seruus dist. 54. & can. si quis incognitus 17. q. 2.* Ità D. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 3.* §. 4. Rosella *tit. religio 2. num. 11* Syluest. *eod. tit. 2. q. 3.* Tabiena *n. 10.* & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 1. q. 31.*

3 Secunda conclusio. Si seruus religionem ingrediatur absque sui domini licentia, & ab eodem domino repetatur intra trienniũ, ei tradendus est cum omnibus, quæ ad monasterium attulit, fide tamen accepta de impunitate: Et si intra triennium dominus non repetierit, non poterit eum vltra repetere, nisi tàm longè seruus distet, vt intra id triennium dominus repetere nequeat. Hæc cõclusio habetur expressa *in d. can. si quis incognitus*. Putant nonnulli hoc triennium numerandum esse à die probationis inceptę. Ità Azorius, & Lessius. Attamen magis placet, quod alij astruunt, nempè numerandum esse a tempore, quo dominus conscius fuit admissionis serui in religionem. Ità D. Antoninus, Rosella, Syluester, & Sanchez *in pręcep. decal. lib. 5. c. 4. n. 46.* Et est ratio, quia cum ius concedat domino hoc triennij spatium ad seruum repetendum, & pręsumatur eum consentire ingressui, si intra illud non repetat, constat hoc tempus numerandum esse à tempore, quo dominus conscius fuit, eo quòd ignoranti negligentia imputari non debet. Tempus enim non debet currere ignoranti, in quo non potest considerari aliqua negligentia *l. cum sex, ff. de ędil. edict. l. annus, ff. de calumniator. l. quinquagita, ff. de excusa. tuto.* Bald. *in l. 1. n. 24. ante medium, C. qui admitti.* Steph. Gratian. *discept. forens. c. 475. n. 19.* Et per hanc rationem in quacunque materia, quãdo alicui à lege taxatur tempus, intra quod ius suum, & actionem proponere debeat, illud tempus commensuratur a die scientię, & aduersus ignorantem non currit, Bald. *in l. Genero, ff. qui nota. infam.* Alex. *cons. 34. col. vlt. lib. 1.* Roma. *cons. 228.* Oldrad. *cõs. 319.* Cocta. *de fact. scient. & igno. inspect. 88. n. 3. f. 123.* Cephal. *cons. 1. 6. nu. 26.*

nu.26.& 27. lib.2. Tiraquel. *de retract. Lygnaier.* §. *1. gloss. 4. nu. 12.& seqq.*

4 Ex hac conclusione infertur, dominum repetere non posse seruum absq; sua licentia in religionem admissum elapso præfato triennio, & si nondum sit professus: Ita colligitur ex *d. can. si quis incognitus*, & ex D. Antonino, sed expressius docetur à Sanchez *nu. 44.* Et est ratio, quia dum eum intra triennium non repetijt, præsumitur consensisse. Et licèt Gloss. *in d. can. si quis incognitus, verb. intra triennium*, & Azorius supra citatus censeât, in hoc euentu teneri monasterium recompensare domino damnum : nihilominus textus citati can. contrarium docet, dicens, *si autem intra triennium non fuerit requisitus, postea queri non potest, sed tantum ea, qua in monasterium seruus adduxit, dominus accipiat.* Quod confirmatur à Sanchez *nu. 45.*

5 Tertia conclusio. Si seruus intra illud triennium professionem emittat, & in sua receptione vsus sit fraudibus, probando scilicet per falsos testes se libertatem obtinuisse, si repetatur à domino in illo triennio, est ei restituendus non obstante professione, ne ex fraude sua lucrum reportet. Colligitur hæc conclusio expressè *ex c. de seruorum, de seruis non ordi.* Ità Hostien. *in sum, tit. de voto nu. 10. vers. quid si professus*, Archidiac. *in can. si quis incognitus n. 1. 17. q. 2.* D. Antoninus, Syluest. & Rosella *nu. 2.* Idem dicendum iuxta Rosellam, si dolosè intrauit religionem sciens se esse seruũ: secus verò si bona fide putabat se liberum. At quando Monasterium fuit in culpa, vtpotè quia sciebat, eum esse seruum, vel neglexit inquirere, cum esset incognitus, & admisit eum ad professionẽ, tunc remanebit in religione: sed idem monasterium soluere tenetur domino æstimationem serui. Ita expressè colligitur *ex can. si seruus, dist. 54.* & confirmatur ab Hostien. Syluest. & Tabiena. vbi sup. citatis.

Quarta conclusio. Si seruus professionem emittat elapso triẽnio numerato à scientia Domini, qui in hoc tempore non reclamauit, hæc professio censetur suo valore non carere. Et ratio est aperta, quia tunc seruus poterat profiteri, nec dominus eum amplius reuocare valebat, vt dictum est in illatione secundæ conclu-

6 sionis. Si verò profiteatur intra illud triennium, controuertitur inter Doctores, an hæc professio valeat in eo casu, in quo potest domi-

dominus illum reuocare, pro ut tertia conclusione uisum est. Partem negatiuam sustinent Azorius *p.1.lib.12.c.1.q.3.* & Sanch. *ubi sup. nu.49 ad finem*, qui refert Palud. *4.dist.38.q.4.art.2.num.30.* Ducuntur, quia etsi seruo integrum sit integram castitatem uouere etiam contradicente domino, non tamen ei licitum est, se tradere religioni, quatenus ibi sit Prelato subiectus. At pars affirmatiua censetur probabilior, & est etiam inter DD. communior, quā tuentur Archid. *in can. si quis incognitus 17.q.2.nu.1.* Bellamera *ibi nu.1.* Turrecrem. *ibi nu.3.* Angel. *tit. religiosus n.5.* Syluest. *religio 2.q.3.* Tabiena *nu.10.* Miranda *in manual. prelat. tom.1.q.17. art.2, concl.3.* Lessius *lib.2.cap.41.dubit.3.nu.31.* Suarez. *tom.3.de religione lib.6.cap.6.nu.3.* & alij statim citandi. Probatur, quia per ius canonicum talis professio non irritatur, neq; ex natura rei uidetur esse nulla, eo quòd uota seruorum ualida sunt, quandiu non irritantur, neq; facultate gaudet herus hæc uota irritandi, nisi quantum dominio suo repugnant, & non amplius, ut bene notat

7 Suarez. Hinc licèt dominus facultatem habeat illum reuocandi non obstāte professione; ille tamen uerus religiosus est, tenetur q; obseruare castitatem, & etiam paupertatem instar religiosi è Monasterio eiecti. Immò factus sui iuris, uel facultatem habēs a dño tenetur redire ad religionē, ut inquiūt D. Antonin. *3.p.ti.16.c.3.* § *4.* Rosella *relig.2.n.4.* Suarez, & alij ex Doctorib. modò citatis.

DVBIVM III.

An in Religionem Episcopi recipi possint.

SVMMARIVM.

1 *De cuius licentia Episcopus possit Religionem ingredi.*
An Episcopi status sit perfectior Religiosi.
2 *An licentia Papę sine causa concessa Episcopo ingrediendi Religionem sit valida.*
An sufficiat petita licentia, licet non obtenta.
An vinculum Episcopale habeat indissolubilitatem ex iure Ecclesiastico tantum.
3 *An Episcopus, qui emisit votum Religionis, teneatur illud adimplere dimisso Episcopatu. & n.7.*

4 *Votum Religionis per assensum ad Episcopatum non extinguitur.* b

5 *An in hoc casu ad resignãdũ Episcopatũ reqratur Põtificis licẽtia. & n. 8*

6 *Et tò teneatur petere, an teneatur cũ petione manifestare votum, & n. 9*

1 RESpondeo triplici conclusione. Prima est. Episcopus non potest Episcopatum dimittere, religionemq; ingredi sine licentia Sũmi Pontificis. Hæc conclusio colligitur expresse ex c. *nisi cum pridẽ in fine, de renũciat.* & *c. licet, §. talis, & § si verò, de regular.* & confirmata est ab Antonio de Butrio *in c. licet n. 2. de regular.* Panormit. *in c. quod Dei timorem n. 11. de statu monachor.* Rosella *tit. religio. 2. n. 8.* Angel. *religiosus n. 12.* Syluest. *religio 2. q. 8.* & cõmuniter à Doctoribus & probatur ratione; nã cũ status Episcopalis sit eminentior, perfectiorq; statu cuiuscumq; religionis, vt iure optimo docet D. Thomas *2. 2. q. 184. art. 7.* ab omnibus receptus, perspicuũ est, Episcopũ petentẽ cuiuscunq; religionis ingressum, 2 à statu suo descendere. Ergo ad religionem se transferre nequit. Accedente tamen aliqua iusta causa de licentia Pontificis, vt dictũ est, religionem adire potest: vt si iste trãsitus fieret intuitu maioris boni spiritualis eiusdem Episcopi, sine detrimento Ecclesiæ, quia facilè prouideri posset de alio sponso æquè vtili.

Notanda verò sunt hic duo. Prius: Hæc licentia nedũ peti, sed etiam obtineri debet, vt inter alios notãt Panormit. *in c. licet n. 13. de regular.* & Nauar. *lib. 1. cons. 2. n. 1. de renunciat.* Posterius: Iuxta Suarez *tom. 3. de relig. lib. 1. c. 20. n. 7.* Valida est licentia, seu dispẽsatio Pontificis data sine causa, ac proindè in hoc euentu renunciatio Episcopatus, professio in Religione, & electio alterius Episcopi suo valore non carent; Cuius ratio est, quia vinculum Episcopale habet indissolubilitatem tantum ex iure ecclesiastico, & si nonnulli neoterici contradicant.

3 Secunda conclusio. Si Episcopus votũ religionis ante Episcopatũ emisit, tenetur dimisso episcopatu ad religionẽ transire. Ità habetur *in c. per tuas, de voto, & voti redemp.* & confirmatum est à Caiet. *2. 2. q. vlt. art. 3. §. ad cuius euidẽtiã scito,* Angelo *tit. votũ 2. n. 12. & votũ 3. n. 15.* Syluest. *tit. relig. 2. q. 20.* Tabiena *tit. Eps q. 9.* Armil. *eod. tit. n. 18.* Azor. *p. 1. lib. 11. c. 16. q. 2. & c. 22. q. vlt.* & ab alijs. Vnde Angel. *in cit. loco n. 12.* & Syluest. *votũ 3. q. 9.* iurè inquiũt esse mortale acceptare episcopatũ nõdũ impleto eo religionis voto.

4 Probatur conclusio, quia votum per assensum ad Episcopatum

non

non extinguitur, vt sumitur non obscurè ex *c. per tuas, de regular* Et confirmatur ratione, primò quia votum religionis impletum aliquid perfectionis addit episcopali statui, quod status episcopalis secum non affert. Sit exemplum de religioso ad hanc episcopalem dignitatem assumpto; qui cum religiosus maneat, tenetur vi professionis in religione emissę ad nonnulla, ad quæ secularis Episcopus non obligatur. Cū ergo religionis status addat aliquid pfectionis statui episcopali, patet nō extingui hoc votū, ac proindè teneri prędictū Episcopū dimittere episcopatū, & trāsire ad religionē. Secūdò quia, vt iure optimo docet Caiet. tūc assūptio pfectioris status sufficit ad votū imperfectioris status extinguendū, quādo ij status ità distiguuntur, vt in maiori claudatur minor, vt sunt diuersæ religiones. Secus verò dicēdum est, quādo ij status genere distiguuntur, vt sunt status episcopalis, & religionis, quia tunc in maiori nō clauditur minor, eo quòd religio est status pfectionis proprię, dignitas autem episcopalis est status perfectionis alienæ.

Ex hac secūda cōclusione duę insurgūt difficultates. Vna est, an necessaria sit Pōtificis licentia ad resignādum episcopatū. Altera, an Episcopus petēs præfatā licētiā teneatur votū Pōtifici aperire.

Ad priorē dico, ex Caiet. & Tabiena in locis pximè citatis colligi, hāc licentiā in hoc casu non desiderari, quæ opinio habet pcipuè locū, quando Eps. est tantūmodo electus, sed nō confirmatus, vt benè docet Hostien *in d. c. per tuas nu. 2 verbo resignes*, & notant Sanch. *in pręcep. decal. lib. 4. c. 17. n. 6.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 1. c. 20. n. 1.* & cōstat ex *c. inter corporalia, de translat. Episcop.* At si electus, & confirmatus sit, & si nondum consecratus præfata Pōtificis licentia indiget; eo quòd *in d. c. inter corporalia* definitur integrū non esse Episcopo confirmato absq; Pontificis licentia episcopatum resignare. Et ita docēt Sanchez, & Suarez cū quibus concordat Azorius *vbi sup.* docens in vtroq; casu desiderari hāc licentiā.

6 Ad posteriorē dico; Quāuis Sāchez *n. 7.* sustineat nō esse necessariū manifestare Pōtifici votū: attamē magis placet, teneri Episcopū aperire illud, vt docet Suarez *c. 20 cità n. 4.* & est rō quia cū id votum nō sit p se irritabile à Papa, vt videtur supponi à Sāchez, eo q emissū fuit ante subiectionē, atq; obligationē epatus, fuitq. absolutū sine inclusa cōditione pēdēte à supioris cōsēsu, patet nō posse auferri à Pōtifice nisi p dispensationē, & cōsequēter ex legitima causa: Ergo necessariò apiri debet eidē Papę, quatenus ex causa,

& voluntariè dispenset. Et idem Pontifex non potest hanc licentiam negare, vt benè notat idem Suarez *nu. 9.* nisi intercedat causa iusta, quæ ad dispensandum in voto sufficiat. Notandum verò, si Episcopus petat licentiam adeundi religionem sine voti narratione, eamq; obtineat, votumq; adimpleat, perspicuum esse, omne dubium cessare. Obligatio igitur prefata manifestandi votum tunc habet locum, quando Papa licentiam sine narratione voti petitam negat; quia cum Episcopus in tali casu non maneat in conscientia tutus, tenetur denuò licentiam petere cum narratione uoti.

7 Tertia conclusio. Si Episcopus post Episcopatum emittat uotum adeundi Religionē certum est, hoc uotū includere conditionem affirmatiuā, si Pontifex licentiā concesserit; quia incōsulto Romano Pōtifice non potest renūciare Episcopatui, ac religionē
8 ingredi, ut expeditum est in prima conclusione; Et ideo, cum id uotum nō sit omninò irritum, tenetur Episcopus consensum Papę petere, eoq; obtento uotum adimplere: & è conuersò eo denegato liber erit: Ità Paludanus *4. dist. 38. q. 4. art. 2. num. 21.* D. Anton. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6.* Syluest. *votum 3. q. 1.* Caiet. *in sum. cap. de quatuor conditionibus ex parte vouentis post medium*, Tabiena *tit. votum 5. q. 1,* Azorius *tom. 1 lib. 11. c. 16. q. 2,* Sayrus *in claui reg. lib. 6. c. 5. n. 24. fin.* & Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 21. nu. 36,*

9 An verò quando petitur Pontificis assensus, necessaria sit voti explicatio in hoc casu. Respondeo primò non teneri Episcopum ad hanc explicationem, nisi ad id in emissione voti se obligauerit: ita Sanchez, & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 1. cap. 20. num. 11.* & colligitur ex Caietano *in loco proximè citato*, Armil. *tit. votum num. 7.* & Soto statim citando. Verum in casu negationis iterum, atque iterum petenda est licentiā, quando prudentia id dictauerit, vt benè docent Caiet. Armil. & Sanch. *nu. 31.* Et est ratio, quia per negationem talis licentiæ non extinguitur votum, eo quòd cum non fuerit notum Papæ, non fuit irritum, licèt eius executio maneat suspensa. Secundò, dico, necessariam esse omninò hanc voti explicationem, si per irritationem extingui debeat; quia irritatio, sicut quilibet actus voluntarius non fit absq; voluntate, & hæc voluntas non fertur in obiectum omninò occultum, vt iure meritò docent Caiet. *2. 2. q. 88. art. 8. dub. 2. §. ad obiectionem verò, & in sum.*

ibi

vbi sup. Armil. *vbi sup.* Soto *de iust. lib. 7. q. 3. art. 1. col. 9. vers. At verò rursus,* Nauar. *c. 12. n 69.* Graffius *p. 1. lib. 2. c. 29. n. 7.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 40. dubit. 13. num. 73. vers. aduerte tamen.* & alij quamplures.

DVBIVM IV.

An constituti in dignitate Episcopo inferiori in Religionem admitti possint.

SVMMARIVM.

1 *An Prelati iurisdictione quasi Episcopali gaudentes in propria diecesi possint sine licentia Pape Religionem ingredi.*

2 *An Prelati, vel beneficiati Episcopo subditi possint sine licentia Episcopi.*

3 *An saltem requiratur licentia petita, licet non obtenta.*

1 Respondeo duplici conclusione. Prima est. Prælati iurisdictione quasi episcopali gaudentes in sua diæcesi ipsis plenè subiecta non possunt consulto Pontifice ad Religionem se transferre, etiam si religionis votum emiserint, nisi eo modo, quo potest, & debet Episcopus, vt in superiori dubio expeditum fuit; Quia in omnibus ad iurisdictionem pertinentibus equiparantur Episcopis, cum sola eis desit consecratio; Et ideò instar Episcoporum sunt ueri ecclesiarum suarum sponsi, & sic in eis militant eædem rationes, quæ in prefato dubio de Episcopis allatæ fuerunt. Ita Sanchez *in precep. decal. lib. 4. cap. 25. num. 49.* Et hec olim fuit opinio Ioan. And. quem refert, & sequitur Panormit. *in c. licet, num. 13. de regular.* Hi enim Doctores docent, Prelatos Episcopo inferiores immediatè Pontifici subiectos denegante licentiam Papa ad religionem transire nequaquam posse.

2 Secunda conclusio. Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, & alij omnes Clerici Episcopo inferiores, & eidem Episcopo subiecti dimissa dignitate, prælatura, & cura animarum possunt religionem ingredi etiam Episcopo contradicente, ac proindè uotum adeundi religiosorum claustra emittere, & exequi possunt, ac debent. Hec conclusio colligitur expresse ex *can. due sunt 19. q. 2.* & confirmata est à D. Thom. *2. 2. q. 189. art. 7.* Archid. *in can. duo clerici 19.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rici 19. Panorm. *in c. q Dei timorē n. 11. de statu monachor.* Angelo *tit. religiosus n. 12.* Syluest. *religio 2. q. 8.* Tabien. *religio q. 12.* Graffio *2. p. decis. lib. 2. c. 11 nn. 24.* Azorio *p. 1. lib. 11. c. 16. q. 3.* & ab alijs.

3 Limitatur hæc cōclusio ferè ab omnibus citatis Doctoribus, vt præfati debeant petere ab Episcopo licentiam, quamuis in casu negationis ad religionem se conferre valeant. At hæc limitatio iure optimo non admittitur ab Innocent. *in c. licet n. 3. de regular.* Hostieſ. *ibi n. 7.* Antonio *n. 7.* Cardinal. *n. 3. q. 10.* & Panormit. *n. 14* nisi Ecclesia grauiter læderetur, quia in eo casu ille beneficiarius esset reuocandus argum. *ex c. admonet, de renunciat. & can. si qui verò 7. q. 1.* Ratio, quia non admittitur hæc limitatio est, eo quòd nullo iure probatur hanc licentiam esse necessariò petēdam, vt benè vltra citatos Doctores probat Sanchez *n. 48.* Et ita colligitur ex D. Thoma nullam de hac licentia mentionem faciente, & expressius habetur in citato *can. duæ sunt,* vbi Pontifex ijs absolutè licentiam transitus ad religionem concessit. Quid agendum sit de fructibus beneficiorum tēpore probationis, dicetur infrà disp. octaua.

DVBIVM V.

An qui vi, & metu Religionem petunt, recepi possint.

SVMMARIVM.

1 *Non potest recipi quispiam coactè in Religionem, sed spontè quisq; est recipiendus. & n. 3.*

2 *Quam culpam admittant, & quibus innodentur, qui cogunt vi, vel metu aliquem ad Religionem. & n. 6.*

3 *An peccent contra iustitiam.*

4 *An iustè recipiantur in Religionem, qui metu intrinseco coacti eā petūt.*

Quis metus intrinsecus, & quis extrinsecus.

5 *Item an qui metu illato aliquo iusto titulo accedunt.*

Quis metus censeatur iusto titulo illatus.

1 RESpondeo hac conclusione. Qui vi, vel timore coacti ad religionem accedunt, nullo modo recipi debent. Quare lethalis culpa nexu illaqueatur nedum qui aliquē cogit directè ad hoc,
2 vt ingrediatur religionem, vt benè tradunt Rodriq; *tom. 3. q. 14. art. 3.* Miranda *in manual. prælat tom. 1. q. 17. art. 4. cōcl. 1.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9. n. 1.* sed etiam Prælatus, & religiosi de hac violentia conscij, qui eum recipiunt. Quinimmò excommuni-

cantur per Trident. *sess. 25. c. 18. de regular.* omnes cuiuscunque qualitatis personæ cogentes quamcunq; fœminam, præterquam in casibus iure permissis, ad ingrediẽdum monasterium, vel ad suscipiẽdum habitum cuiuscunq; religionis, vel ad emittendã professionẽ, & etiã dantes eisdem cogentibus auxilium, vel fauorem: De qua excõmunicatione fusè loquuntur DD. citati *disp. 1. dub. vlt.*

3 Probatur cõclusio primò, quia libertas, quæ desideratur ad religionis ingressum, imunis esse debet à violentia, quæ ex suo genere continet grauem iniuriam, eo quòd contra iustitiam est cogere puerum, aut iuuenẽ ad hunc ingressum, ad quem nemo tenetur, & Deus voluit ita vnicuiq; esse liberum, vt nõ pcipiatur, sed tãtummodo consulatur. Secundò, quia colligitur ex iure canonico *can. puella 20. q. 2. can. integritas 32. q. 1. & can. fin. 32. q. 2.* hunc religionis ingressum non coactè, sed spõtè fieri debere. Tertiò, quia si pfessio violẽtiã graui facta, ita vt inferat metum in cõstãtem virum cadẽtem, decidit nulla *ex c. 1. & c. cũ dilectus, de his, quę vi* vt latè probabitur *disp. 13. dub. 12.* patet, ad religionem non esse admittendos, qui vi, vel timore coacti habitum petunt.

4 Limitatur primò, vt non procedat de eo, qui religionis ingressum ex metu intrinseco petit; quia recipi potest. Metus intrinsec⁹ appellaĩ ille, q̃ à causa intrinseca, vel naturali infert, qualis est metus grauis mortis proueniẽs ex piculosa ĩfirmitate, vel naufragio, vel ex alia huiusmodi causa: puta si q̃s ad uitãdum maris naufragiũ religionis votum emittat: hic, pmissione facta coact⁹ ueniẽs ad religionẽ, ut uotum adimpleat, nullũ hẽt ex hac parte impedimentum, q̃n recipi possit. Ita sumiĩ expressè ex Panormit. *in c. sicut nobis n. 5. de regul.* & alijs, quos referã *disp. 13. dub. 12. n. 14.* Intelligiĩ ergo conclusio posita de eo, qui religionem petit ex metu extrinseco ab homine illato ad dictum effectum religionis. Exemplum sit, si pater, aut frater, seu tutor, uel alius minis, & uiolentijs puerum, uel iuuenem, seu mulierem ad ingrediendam religionem cõtra suam uoluntatem induceret, talis coactus nõ esset recipiendus.

5 Limitaĩ secundò, ut nõ pcedat de eo, cui pfata uiolentia aliquo iusto titulo facta est; Nã si q̃s iuste possit mortem alteri ĩferre, aut ẽ p iustitię ministros, & nolit eã remittere, nisi ali⁹ religionẽ ingrediaĩ, non peccabit, nec faciet iniuriã, ut inter alios docet Suarez exẽpliũ est, si marit⁹ nolit parcere uxori adulterę damnatę ad mortem, nisi

nisi religionem ingrediatur; nō enim infert vim, nec facit iniuriā, sed potius ei confert magnū beneficiū. Idem dicendum de patre filiā rigorosius quàm ipsa velit custodiente; nā si ob talem rigorē illa monasterium eligat, ingressus censeri non debet inuolūtarius, nec patri imputanda est aliqua violentia, si re vera limites paternæ prouidentiæ non excessit, nec filiam malè tractauit sinistra intentione, vt ad statum induceretur monachalem; Et est ratio, quia si indè in filia tędium oritur, & consequenter ex tędio propositum religionis, hoc accidētarium est, & quasi naturale, quale est illud, quod ex intrinseco timore consurgit, vt dictum est in prima limitatione; Et ideò Patri minimè imputari debet.

6 Limitatur tertiò, vt non censeatur lethaliter peccaminosa quęcunq; violentia: quia potest aliquando esse adeò leuis, vt venialem culpam non excedat. Non tamen ex hoc inferas, excusare à crimine lethali quamcunq; violentiam, seu metum, qui dicitur leuis, & insufficiens ad professionem irritādam; Nam licèt verum sit, eam violentiam, quæ non diminuit notabiliter voluntatem, esse leuem in ordine ad præfatam professionem irritandam: nihilominus in ordine ad iniuriam, quam affert, plerumq; est grauis; Et ideò iuxta qualitatem violentiæ, & capacitatem eius, cui infertur, hæc culpa ad prudentis arbitrium est libranda.

DVBIVM VI.

An pueri in Religionem sint admittendi.

SVMMARIVM.

1 *Tres ætates in pueris designantur.*

2 *An infans possit recipi in Religionem.*

An infantes à parentibus oblati Religioni possint repeti ab eisdem.

3 *An magis expediat recipere, vel non recipere infantes in Religionem.*

4 *In qua ætate possint recipi in Religionem Capuccinorum Iuuenes.*

5 *An possint recipi in Religionem pueri infra annos pubertatis.*

6 *An puero Religionem ingresso liceat eam egredi propria voluntate ante annos pubertatis & nu. 9.*

7 *An possit repeti à parentibus nu. 10. & 12.*

An arbitrarium sit religioni illum expellere.

An possit ex se vouere.

An possit ex se vouere.

An possit ex se Religionem ingredi.

11 *Quod tempus præfigatur parentibus, vel tutoribus ad reuocandum impuberem à Religione, quam eis inscijs ingressus fuerat.*

Et quando incipiat tale tempus.

13 *Qui DD. videndi circa receptionem impuberum.*

14 *In qua ætate Masculi possint Religionem adire inuitis parentibus. Et item Feminę nu. 16.*

15 *An annus probationis possit perfici ante annum sextumdecimum expletum.*

1 RESpondeo tres ætates in pueris distingui posse. Prima est infantia, & puer dicitur infans vsque ad septimum annum perfectum, vt docet Glossa *in l. etiam infantem, ff. de adopt. & in l. 1. §. initium, ff. de postula. l. quod infans, ff. de rei vendi. l. 3. §. si pupillis, ff. de tutelis, l. seruus, ff. de bono. possess. & in §. pupillus, instit. de inut. stipul.* Et ita etiā Glossa *in c. singulis dist. 77. can. 1. 31. q. 2. c. si eo tempore in fine, de rescrip. & in c. vnico in princ. de desponsat impuber.* Quod quampluribus allegatis comprobat Menoch. *de arbit. iud. lib. 2. casu 57. nu. 9.* testans hanc esse receptissimam doctorum sententiam: Hi infantes septem annis minores doli nō sunt capaces, vt inquiunt Glossa *in c. 1. verbo grandisculis, de delictis puero.* & Menoch. *n. 10.* Secunda ętas est pueritia, quæ incipit expleto septennio, vt notant Glossa *in proęmio sexti, & in c. si eo tempore, de rescrip. in sexto,* & quamplures alij relati, & approbati à Menoch. *in casu citato nu. 20.* Quare iuxta D. Thomam *4. dist. 27. q. 2 art. 2.* ab omnibus receptum completo septennio incipit communiter in pueris vsus rationis, & libertas. Hæc puerilis ętas sumitur quoad rem nostram infra annos pubertatis, quando scilicet puer est doli capax, vt dictum est, atque vsum habet sufficientem ad lethaliter delinquendum, ac proinde ad votum emittendum. Tertia est ætas adulta post pubertatis annos: Et notandum, pubertatem in masculo incipere regulariter completo quartodecimo anno, in fęmina verò post duodecimum annum, vt habetur in iure §. *nostra autem maiestas, Instit. quibus mod. tute. fin. & l. fin. C. quando tut. vel cur. esse desi.*

Hoc

2 Hoc præmisso sit prima conclusio. Puer in prima ætate infan-
tiæ constitutus, in qua locum non habet bonitas, vel malitia ex
parte ipsius pueri potest à parentibus religioni offerri, & ipsa reli-
gio potest illum admittere, seu accipere, dummodò offeratur à pa-
rentibus, vt dictum est; quia hæc conditio in hac ætate necessaria
est, vt licitè recipi possit. Hæc conclusio habetur *in can. addidistis
20. q. 1. & can. 1. 20. q. 2.* & confirmata est à D. Antonin. *2. p. tit. 11.
cap. 2. §. 8. not. 4.* Palud. *4. dist. 38 q. 4. art. 3. n. 36.* Sanch. *in precep.
decal lib. 4. c. 18. nu. 8.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 1. nu. 10.* No-
tari verò oportet, filium præfatum religioni oblatum, quatenus
religiosus fiat, vt supponitur, non posse à memoratis parentibus
reuocari, vt notant DD. sequenti conclusione citandi: secus verò
si causa solius educationis monasterium ingrederetur.
Limitatur hæc conclusio, vt locũ non habeat in illis Religioni-
bus, vbi constitutione, seu statuto cauetur, ne pueri admittantur,
vt benè inquiunt D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 2. §. 4.* & Syluest. *tit. re-
3 ligio 2. q. 10.* Et quamuis D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 5.* ex multis
sustineat esse valdè expediens hos pueros ex voluntate parentum
in religionem admittere: attamen D. Antonin. *3. p. c. 2. §. 4. col. 3.*
& Syluest. *vbi sup.* dicunt, experientiam rerum magistram docere,
4 id non expedire, & sic seruant ferè omnes Religiones. Vnde in
statutis nostris decernitur, neminem regulariter admittendum es-
se ad clericalem statum nisi decimoseptimo ætatis suæ anno ex-
pleto: ad Laicalem verò, nisi post decimumnonum. Notandum
est verbum illud *regulariter*, per quod innuitur, id non esse omni-
nò, & absolutè prohibitum, sed in aliquo peculiari casu aliquem
minoris ætatis, prout in Domino Ministris expedire videbitur,
iurè recipi posse.
5 Secunda conclusio. Puer in secunda ætate constitutus, idest
infrà annos pubertatis, quando est doli capax, potest offerri à pa-
6 rentibus religioni, vt dictum est in prima conclusione. Et quam-
uis sua voluntate egredi nequeat ante annos pubertatis; quia in
illa ætate non tàm sua, quã patris voluntate regendus est: eo quòd
nec scire, nec discernere potest *l. pupillus, ff. de acquir. hæred.* præfata
tamen ætate expleta, liberum est ei vel perseuerare in Religione,
donec professionem expressam, aut tacitã emittat; vel ad seculum
redire, vt expresè habetur *in cap. significatum, & cap. cum simus, de*

regu-

regular. Quod confirmatum est à Gloss. *in d. cap. significatum*, Panormit. ibi *num. 2. Innocent. c. 2. de regular.* Syluest. *religio 2. q. 10.* Sanchez *nu. 9.* & Suarez *nu. 13.*

7 Notanda hîc sunt duo. Prius, filium hoc modo religioni oblatum non posse à parentibus amplius reuocari, vt benè docent Rosel. *nouitius nu. 1.* Syluest. *religio quæst. 11.* Tabiena *nouitius nu. 1.* Armill. *nouitius nu. 1.* & Suarez *in loco proximè citato*; Quia iam cesserunt iuri suo, & quantum in se erat, donationem filij fecerunt religioni. Posterius est, religionem infrà præfatum pubertatis tempus posse memoratum puerum expellere, si ità sibi expedire censuerit, vt inquit Suarez; quia pro nullo tempore se obligauit ad illum retinendum.

8 Tertia conclusio. Puer in hac secunda ætate constitutus, sicut potest ex se votum emittere: ità potest ex se religionem adire, & consequenter potest recipi, accedente tamen voluntate parẽtum, vt benè inquit D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 5.* idest, parentibus non contradicentibus, vt iure optimo exponit Suarez *num. 7.* Et ideò integrum est huic impuberi, monasterium ingredi inconsultis parentibus, dummodo paratus sit religionem relinquere, si ijdem parentes intra tempus a iure statutum illum reuocauerint.

9 Pro maiori huius conclusionis explanatione notanda sunt sequentia. Primum: quando impubes ex se spontè absque oblatione parentum ingreditur religionem, vt modò dictum est, potest quandocunque exire antequam profiteatur, vt constat ex *c. significatum, de regular.* & confirmatur à Gloss. *in d. cap. significatum*, Panormit. *ibi n. 2.* Syluest. *tit. religio 2. q. 11.* & ab alijs. Secundũ. Parentes, vel tutores irritare possunt ingressum religionis huius impuberis: At si anno, & die dissimulantes consenserint, eo tempore transacto illum reuocare non poterunt, vt habetur expressè *c. 2. de regular.* Et quamuis ibi dicatur, si infrà annum non reclamauerint, supplenda est tamen in eo textu dies, vt definitur in *campuella 20. q. 2.* Hic verò annus computandus est à die scientiæ ingressus impuberis habitæ per parentes, aut tutores, vt inquiunt Gloss. *in d. campuella, verb. at si annum in fin.* Hostien. *in sum. tit. de regular. n. 10.* Palud. *4. dist. 38. q. 4. art. 2. n. 25.* D. Antonin. *2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6. col. 2.* Rosel. *tit. nouitius n. 1.* & Syluest. *vbi sup.* Et si ità remotum sit monasterium, vt intra id tempus illum reuocare nequeãt,

10

11

concedendum erit eis longius temporis spatium, prout loci distantia postulauerit, vt docet citata Glossa, & Hostiens. *num. 9.* Tertium: Hic annus necessariò includi debet intra annos pubertatis. Ex quo sequitur, si impubes propè pubertatem inscijs parentibus, aut tutoribus statum suscipiat religiosum, conceditur illis ad eum reuocandum id solum tempus, quod superest vsque ad pubertatē, quo expleto eum amplius reuocare nequeunt. Ità Gloss. *in d. can. puella* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1. nu. 8.* Quartum: In eo casu, in quo integrum est parentibus, aut tutoribus reuocare à religione impuberem, non possunt eum propria auctoritate extrahere, sed auctoritate eius, qui Monasterio præsidet, & in illud potestatem habet: quod clarè colligitur *ex c. 2. de regular.* & confirmatum est à Palud. & Syluest. in locis citatis, & etiam à D. Antonin.
13 *3. p. tit. 16. cap. 2. §. 4. non longè à princ.* Aliæ difficultates circa horum pupillorum receptionem examinandæ essent, quas ego cōsultò, tanquam ad rem nostram superfluas omitto: super quas videndi sunt Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 18. à num. 15.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 1. 2. & 3.*

14 Quarta conclusio. Masculus expleto quartodecimo pubertatis anno, & fęmina duodecimo statim adire possunt religionem inuitis etiam parentibus, aut curatoribus; ac proindè ijdem parentes potestate eos reuocandi carent. Habetur expressa hæc conclusio in *can. 1. & 2. 20. q. 2.* & confirmata est à Doctoribus præsertim à Gloss. *in d. can. 1. in fin.* Panormit. *c. 2. nu. 2. de regular.* & D. Anto-
15 nin. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 6. col. 1.* Non obstat primò Constitutio Sixti Quinti, *cum de omnibus*, quam edidit anno 1587. vt voluit Sorbus *tit. nouitius, de recept. nouitior. vers. sed in anno 1587.* existimans per eundem Pontificem uetari receptionem minoris sexdecim annis; quia in eadem Constit. minimè habetur talis prohibitio, sed solum vt fiat inquisitio de vita, & moribus eorum, qui veniunt ad religionem expleto decimosexto suæ ætatis anno: de qua inquisitione infrà suis locis dicetur. Non obstat secundò Tridentinum *sess. 25. c. 15. de regular.* decernens emittendam non esse professionem antę decimumsextum annum expletum; quia ibi loquitur tantùm de profeßione, nullà prorsus de receptione ad probationē mentione factà. Vnde hodie annus probationis perfici potest antę decimum sextum annum completum, & virtute illius probatio-

nis

nis fieri potest professio expleto sextodecimo anno. Ità Nauar. *lib. 3. cons. 30. nu. 1. de regular.* Rodriq *tom. 3. q. 15. art. 2.* Miranda *in manual. prelat. tom. 1. q. 22. art. 3. concl. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. q. 9. fin.* Reginald. *lib. 18. nu. 385. propè finem*, & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 1. nu. 6.* Et sic patet, nihil innouari per Tridentinum circa masculos quò ad ingrediendam religionem causa probationis; Et ideò iuxta ius antiquū recipi possunt; prout in superioribus enodatum est, & colligitur expresse à Doctoribus modò citatis.

16 Dixi *circa maculos*; quia circa feminas cōtrouertitur inter DD. an correctum sit ius antiquum per illud, quod decernit Trident. *sess. 25. c. 17.* vbi hæc leguntur, *Sancta Synodus statuit, atq; decreuit, vt, si puella, quę habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit; non ante eum suscipiat; nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus &c.* Ex hoc decreto colligunt DD. statim citandi, receptionem puellæ causa induendi habitum probationis in religione prohiberi, nisi duodecim annis sit maior. Ità Azorius *p. 1. lib. 12. c. 18. vers. 53. & 56.* Naldus *tit. habitus n. 6. & tit. monialis n. 5.* & Rodriq. *tom. 3. q. 12. art. 2.* qui testatur huius sententiæ fuisse omnes Patres, qui ad Concilium Prouinciale Toletanum conuenerunt.

At contra hos Doctores sustinent Michael Medina *de sacrorum hominum continent. lib. 4. controuer. 9. c. 4.* Miranda *in manual. prelat. in fine in tract. de sacris monialib. q. 8. art. 2 in concl.* Sanchez *in precep. decal. lib. 4. c. 18. n. 33.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 1. n. 9.* nullam limitationem fuisse positam à Trident. circa præfatam puellarum receptionem; Et ideò concludunt in eo decreto duo statui. Vnum est, vt si puella ingrediens sit maior duodecim annis quantacumq; ætatis sit, duplex Episcopi examen subeat: Primū ante habitus susceptionem: secundum postea ante professionē. Alterū verò, q in eo decreto statuit, est, vt puella minor duodecim annis ingrediens, vnicum examen subeat, professionis .s. tempore.

Nihilominus à prima opinione non est recedendum; quia Sacra Congregatio declarans prefata Tridentini verba, *explorauerit virginis voluntatem*, ità his verbis decernit: *Per hec verba congregatio rescripsit, aliquam puellam non debere admitti ante duodecimum annum ad habitum suscipiendum: cuius causa requiritur voluntatis puellę exploratio: non est autem voluntas Congregationis, neque Concilij, vt ante illam ętatem puella admittatur.*

D V-

DVBIVM VII.

An Amentes & furiosi in Religionem recipi possint.

S V M M A R I V M.

1 RESpondeo unica conclusione, amentes scilicet, atq; furiosos ad probationis habitum admitti nō posse, quia cum rationis usu careant, inhabiles omninò dijudicantur ad religionis ingressum, ut colligitur expresse *ex c. sicut il primo de regular.* & confirmatur ab Angelo *tit. nouitius n. 8.* Syluest. *tit. religio 1. q. 2.* Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 17. art. 5. concl. 3.* & Loricho *in suo thesauro tit. regular. n. 9. § secundò nullus furiosus.*

2 Neque obstat, quod *d. c. sicut* uideatur loqui præcipuè de professione, ad quam homo sine proprio consensu obligari nequit: idem tamen est dicendum de ingressu religionis causa probationis, eo quòd debet tunc nouitius incipere probationem in ordine ad obligationem tempore professionis præstandam. Et cum hæc probatio fieri non possit sine usu rationis, quia fit per experientiā, quæ rationis actus est, patet hanc etiam probationem requirere consensum: Ergo ij amentes, & furiosi inhabiles omninò sunt ad religionem.

3 Et quia hæc conclusio potest intelligi de hoc impedimento amentiæ, quatenus est perpetuum, uel quatenus est temporale, idcirco ex ea duo inferuntur. Primò si quis tempore amentiæ receptus esset, & postea usum rationis recuperaret, annum probationis computandum non esse à tempore receptionis, sed à tempore, quo consensum mediante usu recuperato præstitisset. Secundò si

contingeret amentem perpetuum admitti ad induendum religionis habitum, & post plures annos etiam per miraculum rationis usum recuperaret, perspicuum esse, eum non posse ratione totius preteriti temporis professionem facere, aut nouitius reputari, etiã si ratam habere uellet primam receptionem. Ita colligitur non obscure ex Panormit. *in d. c. sicut, nu. 4.* Ang. Syluest. & Miranda *in locis citatis*, & docetur expressius à Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. nu. 5.* quicquid dicat Hostien. ab ijs Doctoribus relatus.

4 At hic oritur dubium, quid sentiendum, si quis legitime receptus incidat tempore nouitiatus in amentiam? Respondeo, si in ea aliquo notabili tempore perseueret, certum esse, priorem receptionem reddi nullam, quia tempore, quo laborauit hac amentia, inhabilis fuit ad probationem necessariam, ut bene notat Suarez *ubi sup. num. 3. in fine.* Si uero expleto probationis anno amentiam incidat, denuoq; sanæ mentis factus ratam habeat probationem, admitti potest ad professionem, ut inter alios docent Syluest. & Lorich.

DVBIVM VIII.

An filij habentes parentes in necessitate constitutos Religionem ingredi possint.

SVMMARIVM.

1 *Distinguitur triplex status necessitatis parentum filij recipiendi in Religionem.*

2 *Quare parentibus in extrema necessitate constitutis filius nequeat Religionem petere.*

3 *An parentibus in graui necessitate constitutis, vel probabiliter constituendis possit filius Religionem ingredi. n. 6. maximè si filius Religionem vouerit. n. 9.*

An tam ille quàm illum recipientes peccent mortaliter.

4 *An idem sit de filio naturali, & spurio.*

5 *An de filio emancipato.*

6 *Necessitas, quę probabiliter futura censeatur, necessitati pręsenti ęquiparatur.*

7 *An*

7 *An filius, occurrente graui necessitate parentum tempore sui nouitiatus, vel post suam emissam professionem, teneatur deserere Religionem.*

8 *Quid iuris, si dubium sit, an necessitas sit verè grauis.*

10 *An possit quis Religionem ingredi relictis ascendentibus in graui necessitate.*

11 *Item an filius, si desperet se posse graui necessitati parentum subuenire, vel probabiliter speretur esse subueniendos ab alijs filijs nu. 14.*

12 *An Religionis ingressus differendus sit à filio ad leniendum dolorem parentum.*

13 *An qui non in totum, sed in partem subuenire potest necessitati parentum, possit transire ad Religionem.*

15 *An possit ingredi Religionem filius saltem, quando eam vanit relictis parentibus in graui necessitate, ex hoc quod ab eis prouocetur, vel inducatur ad malum, vel ex hoc quod manens in seculo in proximo peccandi periculo nu. 17.*

In quo differunt inducere, & prouocare.

An filia possit deserere Patrem infirmum eius pudicitiam tentantem.

An liceat Religionis ingressus filio, qui segregatus à parentibus potest illis succurrere.

16 *An idem sit de filio habente parentes infideles.*

17 *An filio liceat ingredi Religionem dimissis parentibus in communi, vel leui necessitate constitutis.*

1 RESpondeo, præmittendum esse, hanc parentum necessitatem esse posse triplicem. Prima est extrema, quando scilicet pater, aut mater est in eo vitæ discrimine, vt nisi ei subueniatur moraliter certa sit mors, aut grauissimum periculum. Secunda grauis, quando scilicet pater, aut mater vitæ cursum transigere nequit nisi cum magna penuria, indigentia, ac difficultate, vel cum magno dedecore; quia vel artem mechanicam exercere, vel mendicare, vel alijs famulari debet cum notabili status proprij diminutione, vel cogitur nimium affligi, aut incarcerari propter debita, vel alia huiusmodi incommoda pati. Et ideò parens, qui potest sine suo magno dedecore aliquam artem exercere, ac subinde de necessarijs sibi prospicere, non dicitur constitutus in hac necessitate. Quod probatur, nam ius mandans aliquem alendum esse intelligit, si ex arte, vel industria nō potest viuere, vt notat Gloss.

in l. si

in l. si quis argentum, §. *1. C. de donat. & in l. si quis à liberis, in princ. ff. de liber. agnoscen.* & alij relati, & approbati à Surd. *de aliment. tit. 1. q. 78. n. 32.* Quia alimentarius non debet esse otiosus, sed tenetur operari ad cõmodum eius, qui prestat alimenta, *can. de lapsis ad fin. 16. q. 6. l. fin.* §. *sanè il. 2. in fine, C. de his, qui ad eccles. confug.* Vndè Bald. *in l. 1. n. 7. C. de leg.* inquit, alimentariũ non debere in domo stare sicut corpus mortuũ. Quando verò nequit artem sine suo dedecore exercere, tunc quidẽ dicitur esse in graui necessitate constitutus, quia sicuti filius ali debet à patre, quando nõ potest sine dedecore exercere artẽ, vt allegato Bart. & Caccial. docet Surd. *tit. 4. q. 29. nu. 4.* Ità pari ratione in eodem casu ali debet pater à filio. Tertia necessitas dicitur lenis, seu cõmunis quãdo videlicet pater aut mater cogitur pace, & moderatè viuere, & carere nedum superfluuis, sed etiam aliquando congruis, quamuis adhibita industria, & diligentia ei non desint necessaria.

2 His prænotatis sit prima conclusio. Filijs patrẽ, vel matrem in extrema necessitate constitutos habentibus illicitũ esse, eos causa ingrediendi religionẽ deserere. Hæc conclusio est certa apud oẽs, & probabitur à fortiori ex dicendis in proxima cõclusione. Et cõfirmatur *argum. l. 2. C. de patr. qui filos suos distr.* vbi habetur licere parentib. propter famem filos distrahere. Id quod à multis factitatum esse legit apud historicos, & refert Tiraq. *de retr. lygnag.* §. *26. gloss. 1. n. 16. & seq.* & Giouagnon *resp. 44. nu. 3. lib. 1.* Quod ꝓcedit et in filijs adultis, q̃a ĩ oĩbus est eadẽ rõ necessitatis iuxta Gloss. & DD. ĩ d. l. 2. vt testaur Surd. *de aliment. tit. 8. priuileg. 38. n. 7. & 8.*

3 Secũda cõclusio. Quamuis nonnulli sustineant, filijs causa adeundi religionem tutum esse deserere parentes in graui necessitate constitutos: attamen verissima sententia est, & cõis inter DD. existente patre, vel matre in hac graui necessitate minimè licere filio hũc religionis ingressum. Ratio est per se aperta, nã diuinũ, & naturale ꝓceptũ prætermittendũ nõ est propter cõsilij opera: Cum ergo ꝓceptũ sit naturale diuinũ subuenire parentib. in hac necessitate cõstitutis, patet hoc obsequiũ omittẽdũ nõ esse ꝓpter cõsiliũ adeũdi religionẽ. Quod confirmat ꝑ illud, ꝙ habetur in Concilio Gãgrẽsi, & refert *can. 1. dist. 30.* vbi anathematizãtur filij deserẽtes parentes necessitate pressos occasione diuini cultus. Ita D. Tho. *2. 2. q. 189. art. 6. & q. 101. art. 4. ad quartũ quodlib. 3. art. 16. & quodlib. 10. art. 9.* Caiet. *2. 2. quæst. 101. art. 4. ad finem* D. Antoninus

3.p.tit.16.c.2.§.1. Sum. Astens. p.1.lib.1.tit.14.q.5. Rosella tit. religio 2.nu.7. Angelus religiosus n.11.fin. Syluest. tit. religio 2.q.7. Tabiena tit. pietas nu.1.fin. Armilla tit. pietas num.1. Corduba c.2. q.6. statim in princ. Nauar. c.14.n.14. Toletus lib.5.cap.1.num.5. Emanuel. Sa tit. religio n.2. Azorius p.1.lib.12.cap.1.q.8. Grassius lib.3.consil.5.de voto n.8. Politius c.2.n.45.circa mediu, Rodriquez tom.3.q.13.art.5.vers.tertio dico, Miranda in manual. prælat. tom.1. q.17.art.8.concl.1. Sanchez in præcep.decal.lib.4.c.20.nu.3. Suarez tom.3.de relig.lib.5.c.5.n.11. Bonac. in præcep.decal.disp.6.q.vnica. p.5.n.4. & alij, Vnde bene inquiunt, Felin. in c.in præsentia nu.39. de probat. Surd. de aliment.tit.1.q.29.nu.12. Nauar. Toletus, Grassius, & Rodriq. vers. quarto dico filium ingredientem religionem in hoc casu lethaliter delinquere, quod supponunt etiam D. Thomas 2.2.q.101.art.4.ad quartum, & alij Doctores modo citati. Et idem dicendum de ijs, qui eum recipiunt, nisi ignorãtia impedimenti eos excusaret. Quod confirmatum est à Zenardo in direct. theolog.p.2.c.26.

4 Intelligitur conclusio nedum de filio ex legitimo matrimonio nato, sed etiam de illegitime procreato; Quia sicuti pater tenetur alere filium naturalem, vt definitum est in iure Authen. licet, C. de nat.lib. & ex quampluribus allegatis probat Surd. de aliment.tit.1. q.9.per totam, & etiam filium spurium, quamuis ex damnato, & etiam punibuli coitu sit procreatus c.cum haberet in fine, de eo, qui dux.in vxor. eam, quam poll.per adulter. & confirmatũ est ibi à Glossa, Cardin. atque Panormit. & in cons.50.& 115.vol.2. & quampluribus alijs, quos cõgerit, & sequitur Surd. q.10. Quia naturalis est coniunctio inter patrem, & filium: Et natura nulla constituit differentiam inter legitimos, & illegitimos, nec eam cognouit, vt habetur in iure, Authen. quibus mod.natur. ef fic.legit. col.2.vers. liceat igitur, & notatur à Natta cons.231.nu.4. immo est omnibus filijs communis tam legitimis, quam naturalibus, l.hos accusare, §. omnibus, ff. de accusat. Ita ij filij tenentur alere patrẽ, quia mutuo alimenta sibi præstare debent. Et quamuis filius spurius iure ciuili alimenta patri non ministret, vt docent Azo. in sum. C. de legitim. hæred. in fine, Bart. in l.fin. ff. de his, quibus vt indign. Bald. in l.1. nu.27. C. de Sacrosanct. Eccles. & alij, quos refert, & sequitur Corduh. in l. si quis à liberis, §. vtrum à nu.78. ff. de lib. agnoscen. Quia si

spurij

spurij adeò sunt legibus odiosi, vt in odium parentum facti sunt in-successibiles, multò magis parentibus ipsis denegandum erit subsidium, a quibus processit vitium. Nihilominus, quia ius canonicum *in d.c. cum haberet* hunc legis ciuilis rigorem correxit, dicendum est, patris, & filij conditionē esse exequatam, vt scripsit Bald. *in Authen. licet n. 3. de natu. libe.* ac proinde sicut pater tenetur filiū spurium alere, vt visum est, ita cogitur filius spurius pares vices patri reddere, eo quod tenetur ad antidora, *l. sed & si lege, §. consu-luit. ff. de petit. hered.* Quod confirmatur, nam ea ratione, qua mouetur lex canonica ad subueniendum filio spurio, ea ipsa tenetur spurius subuenire patri, vt bene probat Surd. *tit. 1. q. 20. a num. 4.* Quod intelligendum est, dummodo spurius agnoscat patrem suū. Quæ dicta sunt de patre, locum sibi vendicant etiam in matre, vt latè sustinet Surd. *q. 21. nu. 1. 6. 15. & 16.*

5 Idem dicendum de filio emancipato, eo quod tenetur alere patrē, vt habetur expressè *in l. si quis a liberis, statim in princ.* vbi D.D. *ff. de liber. agnoscen.* & ita docent Bart. *in tract. de aliment. num. 10. & in l. alimenta, §. Imperatoris nu. 5. ff. de liber. agnoscen.* & alij relati, & approbati a Surd. *de aliment. tit. 1. q. 17. nu. 6.* Neque obstat, filium emancipatum non esse in patris potestate, *§. emancipatione, Instit. quibus mod. ius patr. potest. soluitur,* quia hæc alendi obligatio non oritur ex patria potestate, sed ex sanguinis charitate, vt probat tex. *in d. l. si quis a liberis, §. 1.* quod notat *ibi in princ.* Bartol.

6 Ampliatur primò hæc conclusio, vt filius nequeat Religionem ingredi, etiam si in actu parentes in præfata necessitate non sint, sed probabilibus coniecturis tractu temporis in eam absque filij auxilio eos casuros esse creditur; Quia necessitas, quæ probabiliter futura censetur, necessitati præsenti æquiparatur. Ita iure optimo docent Sanch. *n. 5.* Suarez *nu. 3. in fine*, & Bonac. *de legib. disp. 6. q. vnica p. 3. num. 4. vers. amplia*, quicquid dicat Rodriq.

7 *1. 2. sum. c. 6. nu. 4.* Quod confirmatur a fortiori, nam si de facto contigeret necessitas tempore probationis, teneretur nouitius religionem deserere, etiam post assumptum religionis habitum, nō tamen emissa professione iuxta sententiam D. Antonini, Nauarri, Tabienæ, & Emanuel. Sa *in locis modo citatis*. Ergo multo minus religionem ingredi nequit, quando necessitas ob filij absentiam

creditur futura, eo quod non se reddere debet impotentem ad pa-
8 rentes subleuandos, quando necessitas occurrerit. Si verò omni-
bus perpectis vertatur in dubium, an parentum necessitas sit adeò
grauis, vt filius teneatur illi consulere, existimant Sanchez *n. 6.* &
Bonacin. *n. 5.* integrum ei esse religionem adire.

9 Ampliatur secundò, vt locum habeat etiam si filius votum re-
ligionis habeat; quia tenetur præfatos parentes non deserere, do-
nec cesset eorum necessitas, vt benè docent D. Antonin. Angel.
Syluest. Tabiena, Corduba, Politius Sanch. *n. 8.* & Suarez *n. 16.*

10 Ampliatur tertiò, vt præfata obligatio locum sibi vendicet nè-
dum in graui parentum necessitate, vt dictum est, sed etiam cæte-
rorum ascendentium, quia ij omnes reputantur, vt parētes, ac sub-
indè hæredes sunt necessarij descendentium, & mutuò alimenta
sibi præstare tenentur. Quare nepoti integrum non est religionē
ingredi, si auus in hac necessitate constitutus habeat. Quod con-
firmatur; nam sicuti auus tenetur alere nepotem, vt ex multis pro-
bat Surdus *de aliment. tit. 1. q. 12. nu. 1.* Ità & è conuersò tenetur
nepos alere auum; quia dispositum in vno correlatiuorum locum
habet in alio *l. non tantum, ff. de re iud. l. fin. C. de instit. & substitut.*
Bart. *in l. liberorū, ff. de his, qui notan. infam.* Hinc Bart. *in tract. de
aliment. nu. 8.* quem refert, & approbat Surd. *de aliment. tit. 3. q. 1.
n. 27.* docet, dari auo contra nepotem, & nepoti contra auum offi-
ciū Iudicis pro alimentis consequendis. Et ità tenet in proprijs
terminis Sanchez *vbi sup. n. 28.* quicquid dicat Suarez *n. 8.*

11 Limitatur primò, vt non procedat in filio, qui spem probabilem
non habet subueniendi necessitati parentum manendo in seculo,
quia non tenetur vltra, quàm facere possit: Et quis dicitur non
posse, quando honestè, & commodè facere non potest id, quod te-
netur iuxta Glossam *in l. in condemnatione in princ. ff. de reg. iur.* Ia-
cob. de Aret. Bald. & alij *in l. si maritus, ff. solut. matrim.* cum Sur-
do *de aliment. tit. 1. quæst. 78. nu. 2.* qui alios refert. Et ideò pater
non conuenitur à filio vltra, quàm facere possit, §. *sunt præterea*,
vers. sed & si quis, Instit. de actio. Qui textus non solum loqui-
tur in patre, sed in quocunque parente vtriusq; sexus iuxta Gloss.
in l. patronus, vers. parētes, ff. de re iud. & Surd. *n. 3.* Et ità in proprijs
terminis intendunt omnes doctores in conclus. citati, & docent
expressius Clauis regia *lib. 7. c. 6. n. 5.* Sāch. *vbi sup. n. 3.* & Suar. *n. 4.*

Nec

12 Nec refert, si ob ingressum filij in religionem pater, vel mater magno dolore, aut desolatione afficiendi sint; Nam hi effectus per se nõ augent necessitatem, aut obligationem, vt benè notat Suarez, nisi fortè inde timeret probabiliter magna mortis acceleratio, quia tunc integrũ esset filio huic malo subuenire differendo ingressum.

13 At hæc limitatio sic intelligi debet, vt filius deductis proprijs alimentis nequeat commodè subministrare parentibus egenis integram, vel aliam notabilem alimẽtorum partem; Quia si aliquid eis præstare posset, quo eorum necessitas aliqua ex parte subleuaretur, non liceret ei ad claustra se transferre, nisi id, quod præstare posset, censeretur quid minimum respectu huius obligationis. Ità in simili docet Surd. *de aliment. tit. 7. q. 8. ad finem*. Præterea filius, cui desunt facultates, ab hac obligatione non excusatur, si ad manus habeat artem, officiumue, quo & ipse viuere, & parentum necessitates subleuare in totum, vel in partem valeat, quia tũc commodè potest huic debito satisfacere.

14 Limitatur secundò, vt non comprehendat filium, quando pater, vel mater habet alios filios, vel alium modum, quo suæ necessitati prospicere possit. Ità D. Thomas *quodlib. 3. art. 16. & 2. 2. q. 101. art. 4. ad secundum*, qui refert D. Cyrillum: Et ità etiam docent D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 2.* §. 1. *col. 1. circa medium* Rosel. *tit. religio 2. n. 7.* Syluest. *religio 2. q. 7.* Tabiena *tit. pietas n. 2.* Corduba *c. 2. q. 6.* Clauis reg. *n. 6.* Sanch. *num. 3.* & Suarez *nu. 5.* Et est ratio quia qui vult adire religionem, tunc non est necessarius parentib⁹, quando alius frater, vel persona adest, quæ necessitati eorundem parentum consulere valeat. Quod tamen intelligendum est, dummodo moralis certitudo habeatur necessitatem parentum, vel per alium fratrem, vel per aliam viam fore subleuandam; Quod ideò dico, quia si frater manens in seculo posset, & nollet parentibus iuuare, alteri fratri minimè licitus esset religionis ingressus.

15 Limitatur tertiò, vt non comprehendat filiũ, quẽ ipsimet parẽtes ad peccandum prouocant. Ità D. Tho. *2. 2. q. 101. art. 4. ad 1. & 3.* Caiet. *ibi*, Sum. Astens. *p. 1. lib. 1. tit. 14. q. 4.* Tabiena *tit. pietas n. 2.* Arm. *n. 1.* Miran. *in manual. plat. to. 1. q. 17. art. 8. col. 2.* & Sãch. *n. 12.* Quæ limitatio intelligi debet, vt optimè explicat Caiet. q. differẽtiã cõstituit īter puocationẽ, & inductionẽ ad malũ. Prouocatᵣ tũc filius à parentib. quãdo tentatᵣ, etiã si resistat: Inducitur autem,

quando

quando ità prouocatur, vt consentiat. Quando ergo parentes prouocant filium ad malum, deserendi sunt quoad hoc, vt filius non sequatur eorũ prouocationes, id est filius potest deserere eos quoad comercium, quamuis ad hoc non teneatur, si moraliter certus sit propter illorum prouocationem se non constituendum in morali peccandi periculo. Quod idem Cajet. hoc exemplo declarat: Si pater infirmus filiam sibi seruientem nititur violare, & illa non timet se induci, quia scit suam, & intentionem, & constantiam, non tenetur relinquere patris sui seruitia, quamuis propter eius demerita possit illum relinquere, si nõ vult cessare à prouocatione. Existimat tamen Suarez *nu. 20.* tunc filium teneri vitare in hoc casu parentum consortium, quando scilicet commodè eorum necessitati subuenire potest per alium, qui eis necessaria ministret. Notandum tandem, iuxta eundem Suarez *nu. 27.* filium in hac prouocatione gaudere præfata libertate dimittendi, aut in cura parentum perseuerandi, etiam si voto religionis sit obstrictus.

Quando verò parentes inducunt filium ad malum, tunc simpliciter, & absolutè sunt deserendi, id est filius non solum potest, sed etiam tenetur eos deserere; quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona: Et etiam si propter nullam causam dandum est scandalum, multò minus est sustinendum. Notandum verò, obligationem subueniendi parentibus in hoc euentu omnino non cessare, vt benè notat Suarez *nu. 22.* Quod ideo dico, quia si filius habitans in seculo à parentibus segregatus possit mediante suo labore, vel industria per alios illis subuenire, tenetur hanc curam non dimittere ingrediendo Religionem, vbi hoc facere non posset: Quia pater non desinit esse pater, quamuis sit impius, *§. si verò cõtigerit, in Authent. de incest. nupt.* & cum alimenta debeantur etiam ratione reuerentiæ, quam patri exhibere filius tenetur, *l. Imperator, ff. ad Trebellia.* hæc reuerentia patri etiam impio, & scelerato est præstanda *l. liberto, ff. de obseq. liber.* vbi dicitur, personam patris semper videri debere honestam filio, etiam si idem pater sit psona inhonesta, vt benè subiungit ibi Glossa *in verbo honesta*. Si verò in claustris valeret illis succurrere, liceret ei vtiq; ad Religionem transire.

16 Idem dicendum de filio habente parentes iudæos, vel aliter infideles in necessitate constitutos. Ità sumitur non obscurè *ex can.*

si qui

si qui filij, dist. 30. Et est ratio, quia tenetur filius tales parentes alere, eisq; succurrere, vt colligitur ex *d. can. si qui filij,* & confirmatum est expressius à Glossa *ibi verbo fideles.* Quod licèt alijs allegatis probat Surd. *de aliment. tit. 1. q. 19. nu. 3.* Immò Gloss. *in can. non satis, verbo domesticos, dist. 86. & in can. filij, qui parentes, dist. 30.* Panormit. *in c. si quis Episcopus not. 1. de hæret.* Barbat. *cons. 09. col. 4. post medium, vol. 2.* & alij relati, & approbati à Surd. *de aliment. tit. 1. q. 96. n. 1.* iure optimo docent potius subueniendum esse patri infideli, & malo, quàm alicui fideli sancto in eadem necessitate constituto. Obijcies *c. gaudemus, de diuort.* Ex quo sumitur, sicuti Vxor fidelis non tenetur sequi virum infidelem: ità nec filium fidelem cogi patrē sequi infidelem. Respondeo, hoc intelligi quoad infidelitatem, habitationem, & alia, quæ cultum Dei respiciunt: secus verò quoad ea, quæ sustentationem concernunt, vt benè notant Gemin. *in d. can. si qui filij,* & alij relati, & approbati à Surdo *n. 10.* Et ideo si filius ab habitatione horum parentum segregatus valeat necessitati eorum prospicere, nequit Religionem adire, nisi in claustris possit illis succurrere. Hæc tamen non procedunt primò si per huiusmodi alimentorum præstationem parentes fierent deteriores quoad Deum, vel quando sustentatio parentū in damnum fidei, & Ecclesiæ redundaret. Ità Cardin. *in d. can. non satis,* & Præposit. *ibi n. 20.* quos refert, & sequitur Surd. *tit. 1. q. 96. in fine.* Secundò si ijdem parētes labe hæresiæ essent maculati, quia in extrema tantùm necessitate eos alere tenetur filius, vt sustinet probabilior opinio, quam præcipuè tuetur Surd. *de aliment. tit. 7. q. 14. n. 24.* Sanch. *in precep. decal. lib. 2. c. 24. n. 7.* & Farinac. *de heresi q. 182. nu. 14.*

17 Limitatur quartò, vt locum nō habeat in filio, qui in seculo morari nequit absque proximo lethaliter peccandi periculo: lex enim charitatis exigit præferendam esse propriam animæ salutem omni temporali parentum commodo. Ità D. Thom. *quodlib. 10. art. 9. & quodlib. 3. art. 16.* Alens. *3. p. q. 33. memb. 4. art. 2.* Sum. Astēs. *p. 1. lib. 1. tit. 24. art. 3. q. 4.* Angelus, Syluest. Tabien. Corduba *in locis citatis,* Toletus *n. 6.* Sanchez *n. 11.* Suarez *n. 32.* Clau. reg. *n. 7.* & Grassius *n. 16.* Quæ tamen limitatio intelligēda est, vt hoc periculum sit extraordinarium. Et ideo periculum peccandi ordinarium, quod est in seculo non videtur sufficiens ad excusandum

ab hac obligatione filium, vt benè inquiunt Sanch. & Suarez. Debet igitur esse periculum peccandi non confusè, aut vagè modò in hac, modò in alia materia, prout offerri contingit, sed circa materiam certam, & determinatam. Præterea tale esse debet, vt filius eam occasionem peccandi auferre, simulq; obsequium parentibus debitum præstare nequeat.

18 Tertia conclusio. Filijs parentes in tertia necessitate cõstitutos habentibus integrum est Religionem ingredi; quia non tenentur in hoc casu omittere statum perfectionis, vt parẽtibus subueniãt Ità D. Thomas *2. 2. q. vlt. art. 6. in corp. & quodlib. 10. art. 9.* quem communiter sequuntur Doctores. Quæ conclusio probatur; nam cum præceptum subueniendi parentibus sit affirmatiuum, non semper obligat, sed pro articulo necessitatis, & iuxta gradũ eiusdẽ necessitatis. Cũ ergo hæc necessitas cõis, seu leuis parentum reputari debeat nulla cõparatione tanti incõmodi quãtum est priuare filium statu perfectionis, patet, eam nullã inducere obligationem. Ex quo infertur, non cessare in hoc casu obligationem executionis voti religionis.

DVBIVM IX.

An Patri filios in necessitate constitutos habenti integrum sit in Religionem ingredi.

SVMMARIVM.

1 *An Pater possit ingredi Religionẽ relictis filijs in graui necessitate, tisuè non relicta prouisione, qua educari possint num. 3.*

2 *An maior sit obligatio Patris ad filium, quàm filij ad Patrem.*

4 *Pater alere debet filium emancipatum.*

1 RESpondeo hac conclusione. Pater habens filios in graui necessitate constitutos nequaquam potest causa ingrediendi Religionem eos deserere. Ità D. Thom. *2. 2. q. vlt. art. 6. in corpore,* D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 2. §. 1. circa finẽ,* Corduba *c. 2. q. 6. p. 1. in fine.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 1. q. 8.* Reginald. *lib. 18. nu. 376.* & alij statim citandi. Quare iuxta D. Tho. ingredi nequit religionẽ nisi relicta prouisione, qua filij educari possint. Quod confirmant D. Anton. Nauar. *cõment. 1. de regular. n. 8.* Miranda *in manual. prælator. tom. 1. quæst. 17. art. vlt. conclus. 3.* Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. cap. 20. nu. 35.*

nu. 35. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 6. *nu.* 1. & Politius *c.* 2. *nu.* 45. *in fine*. Et ideò minimè hæsitandum est, eum nexu lethali innodari, si derelictis filijs egentibus transit ad monasterium non relicta prouisione alendi, educandiq; eos. Ità supponunt omnes DD. citati, & docetur expressius à Felino *in c. in præsentia nu.* 39. *de probat.* & Surd. *de aliment. tit.* 1. *q.* 29. *nu* 6.

Ratio huius conclusionis est, quia idem iudicium est de obligatione patris in filios, quòd est filij in parentes quantum ad propositum subueniendi necessitati alterius. Quinimmò maior videtur esse obligatio patris ad filium, quàm filij ad patrem. Quod probatur, nam iuxta nonnullos maior ratio est alendi filiũ, quàm patrem; Quia pater erga filium tenetur iure naturali *Institut. de iure naturali gentium, & ciuili in princ.* Filius verò erga patrem tenetur quidem iure naturali, sed de iure ciuili, Ità latè probat Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 17. *à num.* 4. *& tit.* 7. *q.* 2. *num.* 1. *&* 2. quam opinionem amplexati sunt alij Iuris Consulti præsertim Bero. *in cap. Raynutius, num.* 176. *&* 177. *de testa.* Gomez *de testam. cap.* 4. *num.* 7. Crau. § *legitima, quæst.* 2. *vers. aut loquimur*, Pereg. *de fideico. artic.* 49. *num.* 44. & Bardel. *consil.* 12. *num.* 14. *lib.* 1. Et quamuis plures DD contrarium sustineant; vt scilicet alimenta, & succesio debeatur eodem iure parentibus, quo debetur filijs, idest naturali per *tex. in* §. 1. *versus finem in auth. de hered. & falcid.* Hi sunt Bald. *in l.* 1. §. *ius naturale, ff. de iust. & iur.* Franch. *in c.* 1. *n.* 1-2. *de testã. in sexto*, Merlinus *de legit. lib.* 1. *tit.* 2. *q.* 12. *n.* 4. *& lib.* 5. *tit.* 1. *q. fin. n.* 9. Rota *decis.* 668. *n.* 1. *p.* 1. *diuer. &* apud Seraph. *decis.* 1331. *n.* 11. *&* 13. Et hæc opinio est forsan probabilior. Nihilominus, quia prior sententia nõ caret probabilitate, iuxta eam maior est obligatio patris ad filiũ, quàm filij ad patrẽ, vt dictũ est. Quod quidem melius comprobari potest rõne, quã affert D. Tho. *in loco citato*; quia scilicet filius non per se, sed per accidens, idest ratione necessitatis tenetur ad alendum, honorandumq; patrem: At pater non ex accidenti, sed per se tenetur alere, & curã habere filij, eo quòd est principiũ eius. Notandum verò, licèt maior, seu altior sit obligatio patris ad filium iuxta priorem opinionẽ, quia oritur ex iure naturali: arctiorẽ tñ, & magis obligatoriã esse obligationẽ filij erga patrẽ ad hoc; Quia cũ ex iure ciuili procedat, cõsequẽter ex ea orit actio, vt benè aduertit Surd. *de alimen. tit.* 7. *q.* 2. *nu.* 10.

3 Limitatur hæc conclusio ab Abulens. *in c. 8. Matth. q. 68.* docente tutum esse parentibus ingredi Religionem relictis filijs adultis: secus si sint paruuli: prius enim tenentur eos educare, vel alij viro probo educandos committere, quia educatio est de iure naturali, *Instit. de iure natura. in princ. can. ius naturale, dist. 1.* Quæ quidem limitatio intelligi debet, vt filius adultus parentis subsidio non egeat; quia si graui necessitate laboraret, eum parens deserere non posset, etiam si emancipatus esset, ac proinde, vt persona sui iuris se gereret. Et est ratio, quia in hac necessitate obligatur parens succurrere filio emancipato eadem obligatione, qua ipse filius tenetur subuenire parenti in simili necessitate constituto, prout docet Suarez *n. 2.* à quo non discordant Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 3. n. 34.* & Sanchez *n. 38.* Quod confirmatur, nam pater tenetur alere filium emancipatum, vt est text. *in l. si quis à liberis, §. 1. ff. de liber. agnoscend.* & notat Cagn. *in l. unica, n. 25. C. quando non peten. par.* & ante illum Bald. *in d. l. vnica, n. 6.* Ascan. *in tract. de patr. potest. effec. 17. n. 20. c. vlt. n. 89.* quos refert, & sequitur Surd. *de aliment. tit. 1. q. 1. n. 24.* Nec obstat filium emancipatum haberi pro mortuo *l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de lib. & posthu.* & non esse in patris potestate, § *emancipatione, Instit. quibus modis ius patr. potest. soluitur*, quia hæc alendi obligatio non ex iure patriæ potestatis, sed ex sanguinis charitate oritur, vt probat text. *in d. l. si quis à liberis, §. 1. vers. vtrum*, vbi Bart in princ. id notat, ac proindè emancipatio non tollit naturalem filij obligationem erga patrem *l. iura sanguinis, ff. de orig. iur.* Merlin. *de legit. lib 1. tit. 2. q. 3. n. 5.* nec iura sanguinis Bero, *decis. 131. num. 6. & 7.* Merlin. *num. 6.* & Surd. *vbi sup. num. 23.*

DVBIVM X.

An qui habet fratres, vel sorores magna egestate laborantes fieri possit Religiosus.

SVMMARIVM.

1 *An quis teneatur Religionis ingressum differre ob grauem necessitatem fratrum suorum nu. 3. vel saltem possit. nu. 4.*

2 *An frater obligetur alere alios fratres minores natu.*

3 *An sit maior obligatio fratris ad fratrem, quam ad extraneos ad effectũ, vt quis teneatur differre ingressum Religionis.*

4 An

4 ***An grauis necessitas fratrum sit sufficiens causa, vt dispensetur cum eo, qui voto Religionis est adstrictus.***

1 RESpondeo hac conclusione nempe. Qui fratres, vel sorores
in graui necessitate constitutos habet non teneri causa eis
subueniendi ad differendum Religionis ingressum. Ita Azorius
p.1. lib.12.c.1.q.8. Lessius *lib.2.c.41.dubit.3.n.34.* Sanch. *in præ-
cep.decal.lib.4.c.20.n.30.* Su *c.10 . l relig. lib.5.c.6.n.5.* & Bonac.
2 *in præcep.decal.disp.6 q.vnica p.5.n.4. vers. dixi.* Et est ratio, quia
frater non obligatur ad alendum, vel educandum suum fratrem
etiam minorem natu, quia non est principium eius. Et quamuis
ratione charitatis possit obligari frater ad subueniendum alijs fra-
3 tribus: hæc tamen obligatio non excedit modum obligationis,
quæ habetur respectu necessitatis extraneorum, licet sit maior ra-
tione coniunctionis intra tamen limites charitatis: At è conuerso
obligatio, quæ est inter parentes, & filios, est veluti ex iustitia ra-
tione proprij iuris, vel naturalis; Ex quo patet, ex hac obligatio-
ne, quæ est inter fratres oriri non posse hoc religionis impedimen-
tum, nisi ad breue tempus, id est in casu extremæ necessitatis.
4 Hæc tamen grauis necessitas censetur causa iusta ad differen-
dum, & omittendum religionis ingressum, vt benè inquiunt *S*ua-
rez, & *S*anhez, & etiam censetur sufficiens ad dispensandum cum
eo, qui voto religionis est astrictus, vt notat *S*uarez *n.5.* eò vel ma-
ximè si habeat sorores, vel puerilis ætatis, vel nubiles, & ob disces-
sum eius timeatur eas crimen impudicitiæ, aut eius periculum in-
cursuras; quia tunc charitas suadet, vt benè aduertit Azorius, ea-
rum pudicitiæ consulendum esse differendo religionis ingressum.
5 Illud tandem notandum, posse aliquando contingere, fratrē
causa aliorum fratrum, vel sororum differre teneri religionis in-
gressum, quando scilicet ijdem fratres sunt adhuc sub cura paren-
tis, eo quòd respectu eorum augetur necessitas eiusdem parentis,
quia sunt pars eius: Exempli gratia, mater vidua habens necessa-
ria ad suam sustentationem non indiget subsidio filij ex parte sui:
sed quia sub cura habet filias, pro quarum educatione, & colloca-
tione iuxta decentem suum statum caret necessarijs, censetur esse
in graui necessitate, ratione cuius integrum non est filio eam dese-
rere propter religionis ingressum, vt iure meritò notat *S*uarez
num.3.

DVBIVM XI.

An vxoratus ingredi Religionem queat.

RESpandeo: Cum Regula nostra de hoc speciale præceptum tradat, sequenti disputatione huic dubio satisfaciam.

DVBIVM XII.

An criminosi, vel suspecti de crimine admitti possint ad Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Qui criminosi, vel suspecti de crimine non possint recipi in Religionem. Pœnę inflictę contra recipientes criminosos.*

2 *An possint recipi criminosi absoluti à Iudice, vel iudicio finito puniti.*

3 *Quattuor conditionibus non concurrentibus criminosi possunt recipi in Religione.*

4 *Si admittantur ad professionem contra tenorem bullę Sixti Quinti professio est valida.*

1 RESpondeo duplici conclusione. Prima. Cõstitutione Sixti Quinti, quæ incipit *Cum de omnibus* sub grauissimis pęnis cautũ est, ne huiusmodi criminosi, aut de crimine suspecti ad Religionis habitũ recipiantur: Immò si temerè admittãtur, declaratur ibi nulla tàm receptio, quàm professio. Et licèt Clemens VIII. moderatus fuerit hanc Sixti Constitutionem quoad professionis nullitatem, vt in secunda cõclusione dicetur, manet tñ in suo robore, & quoad nõ recipiendos hos criminosos, & quoad pęnas, quas imponit supioribus cõtrà eius tenorẽ recipientibus. Et quia eius vigore excludũtur tantũmodo ab ingressu religionis, qui facinora exorbitãtia, turpiaq; ppetrauerint, vt furtũ, latrociniũ, rapinã, homicidium, vel aliud simile delictum, patet sub ea non comprehendi infra numerandos.

Primò non comprehendit, qui errata inferiora, ac mala pęna digna perpetrauerit. Quod confirmatum est à Llamas *in instruct. confess. in append.* §. 15. & 16. cuius sententię quamplures doctissimi viri se subscripserunt, vt ipse testatur.

2 Secundò non comprehendit eum, qui post accusationem, vel inquisitionẽ, absoluitur à Iudice, vel quia probatũ nõ fuit delictũ,

vel quauis alia causa. Ità colligitur ex eadem Cõstitutione, & cõfirmatũ est à Sanch. *in pcep. decal. lib. 4. c. 16. n. 39.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 8. n. 19.* Idem dicẽdũ de eo, qui iam iuridicè de tali crimine fuit conuictus, & ad pęnã damnatus; Quia si pęnã impleuit, ex parte huius Cõstitutionis remanet expeditus, ac proindè nõ interdicitur ei Religionis ingressus; eo quòd intentio Pontificis solũ est præcauere, ne colore religionis ij criminosi euadant impuniti. Ità Rodriq. *tom. 3. q. 10. art 7.* Mirãda *in manual. plat. to. 1. q. 19. art. 8. in fine*, & Suarez. At si hic damnatus notã infamiæ contraxerit vigore statutorũ nostror. recipi neq̃t, vt dicẽ *disp. 4. dub. 3.*

3 Tertiò non cõprehẽdit eum, qui aliquod de prędictis facinorib. perpetrauerit, nisi quatuor conditionibus cõcurrentibus, prout ex eadem Constitutione non obscurè colligitur. Prima, vt accusatio, vel inquisitio illius constet actibus publicis. Ità Llamas, Sanch. & Suar. *n. 18.* Secunda, vt in particulari sit contra eum inquisitum; Et ideò non sufficit inquisitio in cõi facta, vt benè notant Sanch. & Suar. *n. 17.* Tertia, vt hæc accusatio, seu inquisitio præcedat susceptionem habitus: Ità Llamas, Sanch, & Suar. Quarta iuxta Sãchez necessariò esse debet hęc accusatio, seu inquisitio coram Iudice seculari; Quare si quis solum coram Iudice ecclesiastico inquisitus esset, non comprehenderetur sub hac inhibitione.

4 Secunda cõclusio. Clemens VIII. anno 1602. die 2. April. moderatus est pfatam Sixti V. Constitutionẽ quoad professionis tãtùm nullitatẽ, eamq; in hac parte ad ius cõmune reduxit hac sua Constitutione.

IN suprema Eccles. Apost. specula, meritis licet imparib. diu. prouidẽtia dispon ẽte cõstituti: oĩbus incõmodis, quę in eadẽ Ecclesia nõ sine fideliũ animarũ periculo, & detrimẽto oriri possunt, ob variã, & sinistrã Constitutionũ Romanorũ Pontificũ Prędecessorũ nostrorũ, quas iustis de causis ediderũt interpretationem, pro nostri pastoralis officij munere conamur prouidere, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum igitur felicis recordationis Sixtus Papa V. Prædecessor noster, ad integritatem, & candorem in regularibus & religiosis ordinibus, in Ecclesia sancta institutis, retinendum, & conseruandum, quadam sua, quæ incipit: Cum de omnibus Ecclesiasticis ordinibus sub Dat. 6. Calen. Decembris, Pontificatus sui Anno tertio; nonnulla circa mo-

du n

dum, formam, & qualitates, admittendi religiosos ad quosuis regulares ordines, decreuerit, & deinde alia simili, quæ incipit: Ad Romanum spectat Pontificem, sub Dat. 12. Calendas Nouembris Pontificatus sui anno tertio, quædam dubia super dicta priori Constitutione exorta, declarauerit; & præterea piæ memoriæ Greg. Papa XIV. etiam Prædecessor noster alia sua perpetuo valitura Constitutione, quæ incipit: Circumspecta Rom. Pontificis prouidentia, sub Datis Idibus Martij Pontificatus sui anno primo, respectiue edita, Constitutiones Sixti prædecessoris sui supradictas; quoad illegitimos moderatus fuerit, prout in eisdem Constitutionibus plenius continetur. Tamen quia longo vsu, & experientia compertum est, ex nimia facilitate, & multitudine casuum, in quibus professio à suscipientis habitum alicuius regularis ordinis, à dicto Sixto prædecessore nulla declaratur, multos hac occasione arrepta, fraudulenter petijsse, & in dies petere, vt professio, quam in aliquo regulari ordine emiserunt, nulla declaretur, ex quo nonnulli eorum, regulares ordines, & instituta sub hoc prætextu deseruerunt, & idcirco prædictis in locis maxima incommoda, & scandala exorta fuerunt: nos ea scandala, & incommoda, quantum in Domino possumus, remouere, & ne in posterum alia huiusmodi hac de causa exoriantur, oportuna ratione prouidere cupientes, singularum Constitutionum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, matura super ijs cum venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, super negotijs Episcoporum, & regularium deputatis, consultatione præhabita, ex illorum sententia & voto, Constitutiones prædictas Sixti prædecessoris, quoad eam partem, per quã eorum, qui formam in eisdem Constitutionibus præscriptam, de cætero non seruauerint & quo ad alios etiam casus ibi expressos, in quibus receptorum, in quibuscunq. etiam Mendicantium Ordinibus, professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & sacrorum Canonum, perinde ac si prædictæ Constitutiones in illa parte editæ non fuissent, auctoritate Apostolica, & tenore præsentium reducimus. Cæterum pœnas contra superiores quarumcunq; ordinum, etiam Mendicantium huiusmodi, qui in admittendis regularibus ad habitum & professionem, earundem Constitutionum formam non seruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, in illis Constitutionibus inflictas, saluas esse volumus, & statuimus. Sicque, & non aliter, in præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos,

sublata

sublata eis, & eorum cuilibet, quauis iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus, non obstantibus praefatis Constitutionibus, caeterisq; in contrarium facientibus quibuscumq; &c.

DVBIVM XIII.

An qui debitis oneratus est, Religionem ingredi queat.

SVMMARIVM.

1 *Diuiditur solutio quęstionis.*
2 *Ante Religionis ingressum debet soluere debita potens.*
3 *Impotens verò excusatur.*
4 *An debita incertis soluenda impediant Religionis ingressum? Quibus soluenda.*
An Religioni erogari possint.
An ad ea soluenda requiratur Episcopi auctoritas.
5 *Priuilegium, quo gaudent in hac parte Minores.*
An illud sit relaxatiuum eorum regulae.
6 *An debita spontaneè impediant Religionis ingressum.*
7 *Sensus tituli quaestionis.*
An pęna, qua punitur Reus ob delictum perpetratum, sit verè debitum.
An debitum contractum ex violatione puellae impediat Religionis ingressum.
8 *Opinio affirmans debitorem realem impotentem soluere in re; sed potentem in spe, posse Religionem adire.*
9 *Altera opinio contrarium sustinens.*
10 *Media sententia vtramq; per distinctionem concilians.*
11 *Qui moraliter censeatur impotens soluere debita.*
12 *Et qui moraliter potens.*
13 *Quod tempus censeatur breue, intra quod possit debitor soluere debita.*
14 *Quos inhabilitet ad Religionis ingressum, & professionem bulla Sixti V.*
15 *Qui non comprehendantur in ipsa bulla.*
16 *An dicta bulla maneat nunc in suo robore.*

Respon-

1 RESpondeo discutiendum esse hoc dubium primò attento iure communi, & ordinario. Deindè attento motu proprio Sixti Quinti incipiente *cum de omnibus*. Prænotanda sunt ergo nonnulla, quæ apud omnes sunt certa.

2 Primum est. Si debitor bona temporalia possideat, quibus sufficienter creditoribus satisfacere valeat, debet ante religionis ingressum soluere, aut disponere, vt tempore debito satisfactionem habeant.

3 Secundum. Si debitor est impotens ad soluendum simpliciter; idest in re, & in spe, eo quòd in præsenti non habet vndè restituat, nec sperat habere, quia arte, atque industria caret; certum est à solutione excusari posseq; Religionem adire, renunciando creditoribus bona, quæ habet.

4 Tertium. Debita incerta, quæ nulli certæ personæ sunt restituenda, non impediunt Religionis ingressum, etiam si debitor habeat vndè soluat, dummodò quantum debet, religioni tribuat. Quod ideò dico, quia cum hæc bona incerta pauperibus eroganda alijsue pietatis operibus applicanda sint iuxta communem DD. sententiam, vt est videre apud Conatru. *in reg. peccatum p. 3. §. 1. nu. 3.* Medinam *C. de restit. q. 3. cau. f. 10.* Nauar. *c. 17. n. 92. & 93.* Lessium *de iust. lib. 2. c. 14. dubit. 6. nu. 33.* & alios, consequenter potest ea religioni elargiri. At si debitor careat bonis, vndè soluat, etiamsi habeat spem soluendi manendo in seculo, potest religionē ingredi; quia nihil ita pium ac se, & sua religioni dedicare. Ità Arragon. *2. 2. q. 88. art. 12. circa solut. ad primū,* Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 9. in princ.* Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 17. art. 7. in concl. non longè à princip.* Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. cap. 19. num. 4.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 7. nu. 1.* Si verò potest his debitis incertis satisfacere, nec solutionem illorum vult religioni donare, sine dubio expendere debet in pauperes, vel alios pios vsus eam quantitatem, quam incertis creditoribus debet, vt benè notant Sanch. & Suarez; Quia cum satisfacere possit, non est, cur excusetur ob religionis ingressum. Non est aūt necessaria ad hanc satisfactionem, seu dispensationem faciendam Episcopi auctoritas, vt iure optimo docet Syluest. *tit. restitutio 8. q. 5.* referens auctoritatem quamplurium Doctorum, & confirmatur à Medin. & Nauar. *vbi sup.* quicquid dicant nonnulli ab eodem Syluest. relati.

5 In Compendio priuileg. *tit. nouitius n. 12.* habetur Clementem Quartum fecisse religioni hanc concessionem, nempè, *quod si aliqui habitum fratrum Minorum assumentes diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, aliqua bona restituere teneantur, possint Ministri, & Custodes, & Vicarij eorum singulis in locis sibi commissis bona ipsa in pios vsus conuertere, prout secundum Deum viderint expedire.*

Pactus autem *consid. 1. in declarat. tertij priuilegij* meritò existimat hanc concessionem esse regulæ nostræ laxatiuam; Ducitur, quia vi eiusdē regulę fratres dispensationi rerum nouitiorū se immiscere nequeunt, & ità etiam docet Rodriq *tom. 3. q. 56. art. 4* cū quibus videtur concordare Crousers *lect. 3. §. quæret hic aliquis in c. 2. f. 81.* At si religionē ingrediēs ex se offerat hęc bona fratrib⁹, nulla certè interuenit regulę laxatio: Vndè integrū erit Ministris, & Custodib. ea in vsus aliorū Monasteriorū cōuertere, seu mittere seruatis tñ circa pecuniā cōditionib⁹, quę iuxta *c. exijt, de verbor. signif. ī sexto* obseruari đbēt. Cauēdū verò, nè hęc eleemosyna sit ità excessiua, & notabilis, vt sinister ocul⁹ cōtra fratres p̄sumi possit.

6 Quartum notandum. Debita ex mera liberalitate, spontaneaq; promissione prouenientia religionis ingressum minimè impediūt, vt alijs allegatis docet Sanchez *n. 10.* & confirmatum est à Suarez *n. 53.* & Reginald. *lib. 18. n. 378.* Et est ratio, quia huiusmodi obligationes, seu promissiones tacitè includunt conditionem non impediendi religionis ingressum. Non est sermo hic de obligatione personæ, vt quando quis promittit personam suam ad docendum, vel legendum, quia de hac promissione dicetur infrà.

7 Ex his notandis colligitur, controuersiam inter DD. an debitis oneratus, possit religionem ingredi, non esse de quocunq; debitore, sed de eo solùm, qui impotens est ad soluendum in re non habens vndè soluat, sed potens est in spe, quia probabiliter speratur, vt manens in seculo acquirat bona, vel arte, vel industria, quibus soluat. Neque etiam est de quocumq; debito, sed de debitis tantummodò, non personalibus, sed realibus, seu pecuniarijs, quæ veniunt ex mutuo, contractu, & etiā delicto; Quia pęna, qua punitur reus ob delictū perpetratum est verè debitum, vt latissimè probat Henriq *lib. 7. de indulg. c. 13. n. 6.* quem referunt, & sequuntur Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 9 in princ.* & Mirand. *in manual. plat. to. 1. q. 17. art. 7. in fine.* Idem dicendum de eo, qui ad turpiter sibi cō-

sentiendum puellam induxit, propter quod ipsa infamiæ nota laborat; Hic enim religionem ingredi nequit, nisi prius eidem satisfaciat, vt docet Nauar. *comment. 1. de regular. num. 8. vers. quarto quod, & lib. 4. consf. 20. de spons.* & expressius Rodriq. *in art. citato not. 3* & Miranda *vbi sup. in fine*. Quod fusius enodabitur infra *disp. 3. dub. 4.*

8 Circa ergo hanc controuersiam tres inueniuntur opiniones. Prima sustinet, eum, qui grauatur ære alieno, prout modo dictum est, posse tuta conscientia Religionem adire, eiq; sufficere, si cedat bonis. Ita D. Thomas *2. 2. q. vlt. art. 6. ad tertium* Caiet. *ibi.* D. Antonin. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 1. in fine* Rosella *tit. restitutio 16. n. 1. vol. 2.* Angelus *tit. religiosus n. 6. & 8.* Syluest. *religio 2. q. 4.* Tabiena *q. 11.* Armil. *n. 5.* & Arrag. *2. 2. q. 62. art. cons. 8. & q. 88. art. 12. circa solut. ad primum.* Ratio huius opinionis est, quia propter pecuniam secundum iura ciuilia persona hominis liberi non obligatur, sed solum res, eo quod persona liberi hominis superat omnem pecuniæ æstimationem. Et notandum, debitorem non teneri ad hanc cessionem eo pacto, quo lex faciendam iubet ei, qui hac de causa constitutus in carcere bonis cedit, vt inde liberetur, *vt habetur in toto tit. ff. & C. de cessione bonorum, vbi Doctores*, sed sufficit, quod bona creditoribus inter ipsos pro rata diuidenda renunciet. Ita Rodriq. *in fine art. citati*, Sanch. *n. 7.* & Suarez *n. 6. in fine*.

9 Secunda opinio est omnino contraria primæ: etenim sustinet præfatum debitorem nullo modo Religionem ingredi posse, nisi prius creditoribus satisfecerit. Ita Gerson *2. p. tract. an liceat grauato debitis alph. 39. lit. x, & y.* Gabriel *in 4. dist. 38. q. 1. art. 5. dub. 2. concl. 2.* Angles *2. p. quæst. quis teneatur restituere art. 2. diffic. 12.* Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 7. vers. præter has nouem causas*, Medina *C. de restit. q. 3. art. 8.* Molina *tom. 3. disp. 758.* Zanard. *in direct. theologor. p. 2. c. 26. vers. quarto*, Bonacina *de restit. disp. 1. quæst. vlt. p. 2. §. 1. n. 1.* & alij quamplures maxime, ex Doctoribus Parisiensibus, vt asserit Gerson. Citantur quoq; pro hac opinione Maior, & Nauar. qui tamen tertiæ opinioni modo recensendæ adhærent. Ratio potissima huius opinionis est, quia propter opus consilij non est omittendum opus præcepti; Et ideo cum præceptum naturale diuinum sit satisfacere creditoribus, patet non posse hominem se reddere impotentem ad hoc præceptum exequendum per religio-

nis ingressum, quod est consilij opus, sed tenetur manere in seculo, & labore, atque industria soluere, quod debet.

10 Tertia opinio tali pacto præfatas opiniones inuicem concordat. Priorem inquit tunc locum habere, quando is, qui bona creditoribus cedit, non potest eis manendo in seculo propria arte, seu industria, aut alio quouis modo breui tempore satisfacere. Posteriorem verò, si debitor breui spatio sine notabili difficultate satisfacturus credatur, vel fructibus beneficij, seu hæreditatis, vel industria, seu quouis alio modo. Vtraq; pars huius opinionis probatur rationibus ab vnaquaq; opinione allatis. Hanc igitur opinionem sequi debemus, quia opinio concilians per distinctionem cōtrarias sententias est tenenda iuxta Alex. *cons. 10. nu. 7. lib. 7.* quem refert, & approbat Rota *decis. 574. n. 6. coram Greg. XV. per tex. l. si finita, § illud, ff. de damn. infect. & per c. literas, de restit. spoliat.*

11 Prior pars confirmatur, nam qui breui tempore debita soluere nequit, moraliter ad id impotens dicitur. Et quemadmodum moraliter impotens censetur, qui sine damno famæ, & honoris lucrari non potest, vt creditoribus satisfaciat: pari ratione impotens existimandus est, qui hoc idem peragere nequit sine magna difficultate, maximeq; spiritualis suæ salutis dispendio, vti est per longū tempus religionis ingressum differre.

12 Posterior pars confirmatur; nam qui breui interuallo debita soluere potest, moraliter impotens non censetur ad debitorum solutionem; Et ideò hæc obligatio soluendi non cessat per hanc impotentiam, quia non est impotentia simpliciter, sed secundum quid. Et ità tenent Maior. *4. dist. 38. q. 17. cor. cl. 3.* Nauar. *comment. 1. de regular. n. 8. in quinta ratione, & in solut. ad quartum.* Petrus Nauar. *de restit. lib. 4. c. 4. difficul. vlt. à n. 92.* Azorius *p. 1. l. 12. c. 1. q. 5. vers. in hac quæstione circa finem,* Sayrus *in claui reg. lib. 10. tract. 5. c. 7. n. 15.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 3. nu. 32.* Rebel. *par. lib. 2. q. 17. sect. 4. n. 28.* Sanch. *in precep. decal. lib. 4. c. 19. n. 8.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 7. n. 2. & 5.*

13 At qua res, quod tempus dicatur breue in hoc casu? Respond. iuxta Azorium, & Lessium dici tunc breue, quando debitor paucis annis satisfacturus creditur. At Maior tempus duorum, vel trium annorum ponit. Nauar. *in quinta ratione*, & Sanchez duorum. Suarez verò *n. 2.* vnius anni. Quare si debitor vno, vel altero anno

se satisfacturum esse probabiliter credat, Religionem aggredi nequaquã poterit: secus verò si hæc spes non habeatur. Sanchez cẽset prãfatã procedere si totam, vel saltem notabilem, non autem si paruã, vel minimã partẽ intrà id tẽpus soluturus putetur. Quod si ad vtrãq; partem sint ꝓbabiles rõnes, an debitor satisfactu⁹ sit, nec ne, existimat idẽ Sãch. cũ abstinere d̃bere à religionis ĩgressu.

Iuxta ꝑdicta in oĩbus, & per omnia determinandum est de eo, qui voto religionis astrictus est, vt benè notãt Nauar. *n. 8. in solut. ad quartum*, & Azorius *in loco modò citato.*

14 Superest dicendum de Constitutione Sixti Quinti *Cum de omnib.* cuius vigore redduntur inhabiles, & ad receptionẽ, & ad professionem qui ingenti ære alieno supra vires suarum facultatum

15 fuerit grauati. Circa quã Constitutionem notandum est, ex verbis eius constare, eã non cõprehendere, Primò debitores, qui facultates sufficientes ad soluendũ habent. Secundò qui non habẽt debita magni momenti: ità Sanch. *nu. 21.* & Suarez *n. 20.* Tertiò qui incertis debitis sunt grauati, Rodriq. *to. 3. q. 10. art. 9. vers. notandũ secundò*, Miranda *in manual. prẹlat. tom. 1. q. 17. art. 7. in princ. concl.* & Sanch. Quartò qui debitis supra suas facultates sunt onerati, si bona oĩa renũciãt, nec vlla habeatur spes, ꝙ manentes in sęculo soluere possint, Rodriq. *in fine art.* Miranda *post mediũ concl.* & Sanch. Quintò qui ex sola promissione liberali sunt debitores, Sanch. *n. 28* Sextò, qui consensu, atq; voluntate creditorũ religionem ingrediuntur, Rodriq. *not 4.* Miranda *vbi sup.* & Sanch. *n. 27.* septimò qui debitis sunt grauati, sed monasteriũ, vel alius se obligat ad eorũ debita soluẽda, Sanch. Octauò qui sine graui sua culpa facti sunt impotentes ad soluendũ, nec vlla habetur spes, vt in sęculo manentes soluere valeant: Quinimmò putat Sanch. *nu. 25.* hos in hac Constitutione non comprehendi etiã si manentes in sęculo possent arte, & industria soluere, peccarent tamen, si religionem ingrederẽtur, & possent breui tẽpore creditoribus satisfacere, quia iuxta ius commune religionem adire nequeunt, vt visum est. Nonò iuxta Sanch. *n. 26.* non cõprehenditur sub hac Cõstitutione damnatus ad pecuniæ pœnam ratione alicuius delicti; nec obligatus ad satisfactionem pecuniariã causa alicuius damni, vel iniuriæ illatæ, vt qui virginem deflorauit, quãuis contrarium sentiant Rodriq. *not. 1. & 3.* & Miranda *in loco citato in fine.* At quicquid

sit de

sit de hac Constitutione, certum est, ex vi iuris communis huic non posse religionem ingredi, nisi prius pœnæ, aut iniuriæ illatæ satisfaciat, vt expeditum est supra. Decimò, Moniales nõ comprehenduntur sub hac Constitutione, vt ipsemet Sixtus Quintus aliò motu proprio declarauit.

16 Tandem notandum est, hanc Constitutionẽ à Clemente VIII. quoad professionis nullitatem moderatam, reductamq; fuisse ad iuris communis terminos; Et ideò manet in suo vigore, solùm quoad illicitam horum receptionem, & recipientium pœnas, vt in superiori dubio enucleatum fuit.

DVBIVM XIV.

An persona obligata ad aliquid certum agendum possit non impleta promissione ad Religionem se cõferre.

SVMMARIVM.

1 *Quando promissione non impleta possit quis ad Religionem transire, & quando non possit num. 4.*

2 *An promissio Matrimonij per sponsalia iurata impediant Religionis ingressum.*

3 *An tutius sit promissionem iuratam implere ante Religionis ingressum.*

5 *An damnum sequutum ex fidei fractione impediat Religionis ingressum.*

6 *An religionem ingrediens non seruatis promissis, teneatur postea ingressus ea seruare.*

7 *Religiosus debitis oneratus non tenetur in Religione elaborare.*

An Religionem exiens teneatur ad rem promissam.

1 REspondeo triplici conclusione. Prima est. Si quis promiserit personam suã alicui, vel etiã cõmunitati causa, vel docẽdi, vel legendi, vel quid simile faciendi poterit vtiq; promissione non impleta ingredi Religionẽ, etiã si medio iuramẽto se obligasset. Ratio potissima est, quia in omni ꝓmissione subintelligitᷣ conditio, seu exceptio melioris frugis. Quod confirmatᷣ, nã si in ꝓmissione matrimonij per spõsalia iurata includitur tacitè hęc cõditio, seu exceptio, vt ex multis probat Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 43. à n. 3.* multò magis in quocunq; alio pacto humano subintelligẽda est. Tenẽt hãc opinionẽ Gloss. *in can. ꝑterea, verb. fũctionib. dist. 51.*

Hostiens.

Hostien. *in sum. tit de obligatis ad ratiocinia num. 5. col. 3* Panormit. *in c. vnico, n. 8. de obligatis ad ratiocinia,* Palud. *4. dist. 38. q. 3. art. 2. nu. 13. fin. & q. 4. art. 1. nu. 16. concl. 7.* Astens. *2. p. sum. lib. 6. tit. 19. q. 6.* D. Antonin. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 1. fin.* Rosella *tit. religio 2. num. 5. & 6.* Angelus *religiosus num. 9. & 10.* Syluest. *religio 2. q. 4. fin. & q. 5.* Azorius *p. 1. lib. 11. c. 5. q. 4. & lib. 12. c. 1. q. 1.* Sanch. *in præcep. decal. lib. 4. cap. 19. num. 31.* & Reginald. *lib. 18. num. 378.*

3 Censent tamen Hostien. Panormit. & alij tutius esse explere rem iuramento promissam ante religionis ingressum. At hoc consilium nō est bonum, quia retardaret, & etiam posset religionis feruorem tepefacere, nisi vbi posset quis implere incontinenti, aut aliàs sequeretur scandalum, vt notat Syluester.

4 Limitatur hæc conclusio, vt non procedat in eo, qui vltrà promissionem iureiurando firmatam habet aliam iustitiæ obligationem ratione, vel iniuriæ, vel damni illati, seu debiti facti, vt si quis stipendium anticipatum pro munere, ad quod exercendum se obligauit, recepisset; Quia de astricto ad hanc restitutionem dicendum erit, quod de onerato alijs debitis resolutum fuit in superiori dubio. Ita Azorius *p. 1. lib. 11. c. 5. q. 4.* Sanch. *num. 32.* Suar. *to. 3. de relig. lib. 5. c. 7. num. 13.* & Crousers *lect. 2. §. nunc de obligatione, in c. 2. f. 75. in fine.* Idem asseuerandum esse cēsent quamplures DD. à Sanch. *n. 33.* allegati de damno sequuto ex eo quòd fides seruata non fuit; Etenim ij sentiunt, hoc damnum ex bonis ingredientis religionem esse resarciendum. Nihilominus contrarium censetur probabilius, eo quòd contractui tacitè subintellecta fuit conditio idest nisi eligatur status religionis. Præterea cum hic transitus culpa vacet, non debentur damna ex eo sequuta. Ità Palud. D. Antonin. Sanch. & Bonac. *de restit. disp. 1. q. vlt. p. 2. §. 1. num. 5.*

6 Secunda conclusio. Persona obligata ad aliquid agēdum, post
religionis ingressum, non tenetur exercere in monasterio actum
promissum, etiam si non sit cum religione incompatibilis. Ita Rosella *nu. 5. in fine,* & Sanch. *nu. 35.* Ratio est, quia si præfatę obli-
gationi subintelligitur conditio, nisi status religionis eligatur,
posita electione omninò cessat obligatio, sicut si in promissione
7 eadem conditio expressa esset. Deindè quia oneratus debitis nō
tenetur elaborare in religione iuxta probabiliorem opinionem;

quia cum in religione profitendo cesserit eo ipso bonis, iam soluendi præcepto liberatus est. Præterea extraordinarium medium est, & multum difficile cogi religiosum bona acquirere in claustro, quatenus creditoribus satisfaciat, eo quod incapax est aliquid proprium acquirendi, & magis tenetur seruire religioni, cui se mancipauit, quam alijs. Ita Palud. *4. dist. 38. q. 3. ad secundum n. 25.* D. Anton. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 1. in fine, & in 3. p. tit. 16. c. 2. §. 3.* & alij, quos cumulat, & approbat Sanch. *in præcep. decal. lib. 4. c. 19. num. 14.* Et hęc opinio non discrepat à mente D. Thomę *2. 2. q. vlt. art. 6. ad tertium.* Pręfata conclusio est contra Hostiens. Panormit. Astensf. & etiam Nauar. *comment. 2. de regular. nu. 42.* & Bonac. *nu. 6.*

8 Tertia conclusio. Qui ingressus est religionem non impleta promissione, & exijt ab ea tempore probationis, tenetur adimplere, quod promiserat; quia non deficit conditio, nempè si transitus ad religionem non placuerit; Non enim placuit effectu, & verba cum effectu sunt intelligenda, *c. relatum, de cleric. non resid. & cap. hæc autem verba, de pœnit. dist. 1.* Quod ex nonnullis alijs iuribus comprobat Glossa *in d. cap. relatum, verbo cum effectu.* Secus verò si post professionem expelleretur, eo quod iam effectu defecerat illa conditio, & consequenter extincta erat obligatio. Ita Sanch. *num. 34.* quicquid dicat Bonacina.

D V B I V M XV.

An reddendis ratiocinijs obnoxius in Religionem admitti queat.

S V M M A R I V M.

1 *Sensus quæstionis.*
Quæ publica, & quæ priuata administratio.
2 *Quos reddendis ratiocinijs obnoxios inhabilitet ad Religionẽ ius cõmune.*
3 *Et quos constitutio Sixti Quinti* Cum de omnibus.
4 *An inhabilitet eos, qui sine lite, aut magno grauamine possunt reddere ratiocinia.*
5 *An dicta constitutio reducta fuerit ad terminos iuris communis.*

Resp. en-

1 REspondeo, prænotandum esse, posse aliquem dupliciter ad ratiocinia reddenda teneri, idest vel ob publicam, vel ob priuatam administrationem. Ob publicam tenetur is, cui bona Reipublicę, vel alio modo communia commissa fuerunt. Ob priuatam verò, qui tutoris, curatoris, procuratoris villici, vel aliusmodi officijs functus est.

2 . Hoc prænotato sit conclusio. Quamuis per ius antiquum commune qui publicis ratiocinijs reddendis tantummodo erat obnoxius, non autem qui priuatis, à Religionis ingressu excluderetur, vt habetur *can. fin. dist. 53. & c. vnico, de obligatis ad ratiocinia*, & confirmatum est a D. Antonin. *3. p. tit. 16. cap. 2. §. 3.* Syluest. *tit. religio 2. q 6.* Armilla *num. 5.* Tabien. *num. 11.* & alijs. Nihilominus

3 nunc vigore Constitutionis Sixti Quinti *Cum de omnibus*, obligati & publicis, & priuatis ratiocinijs reddendis ab ingressu religionis prohibentur. Quod ex his eiusdem Constitutionis verbis non obscurè elicitur, *Auctoritate apostolica perpetuò statuimus, vt huiusmodi ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauati, vel reddendis ratiocinijs obnoxij nullatenus recipiantur.* Cum enim Pontifex absolutè, & absq; vlla distinctione loquatur, stante regula, quod vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus *l. non distinguimus ff. de arbit. l. de pretio, ff. de publ. in rem act. l. si verò, §. de viro, ff. solut. matrim.* dicendum est, æqualiter vtroque modo astrictos ad reddenda ratiocinia religionem suscipere non posse. Ità Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 11.* Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 17. art. 6.* Sanchez *in precep. decal. lib. 4. c. 19. num. 29*, & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 7. nu. 20.*

4 Limitatur conclusio, vt non comprehendat eum, qui redditurus est ratiocinia, dum à prudenti persona probabiliter præsumitur reddi posse sine lite, aut magno grauamine, vel distractione; quia huiusmodi ratiocinia religionis ingressum non impediunt, vt colligitur ex ijs eiusdem constitutionis verbis: *vel reddendis ratiocinijs ità obnoxios, vt ex huiusmodi causa lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, ne inferatur.* Et confirmatum est à Sanchez, & Suarez: Quam limitationem docuit etiã Diaz *in sua pract. crim. cap. 20.* quem refert, & sequitur Naldus *tit. religiosus nu. 2.* dũmodò patrimonium ingressuri religionem longè superet æstimationẽ administrationis præstitæ, At quamuis hæc à veritate non discrepent,

pent, consultius tamen erit prius omninò expedire hæc ratiocinia; & ità regulariter obseruandum est, nisi vbi aliqua specialis necessitas cogeret, accedente simul prudentis iudicio, & probabili spe, quod res sine lite, ac molestia finiri poterit.

5 Tandem notandum est, quòd aliàs dictũ fuit, hanc scilicet Sixti Quinti Constitutionem fuisse per aliam Clementis Octaui moderatam quoad solum, vt professio præfatorum ingredientium religionem valeret: quoad illicitam verò receptionem, & pœnas recipientium in suo vigore adhuc maneret.

DVBIVM XVI.

An pęnitentes hęretici ad Religionem admitti possint.

SVMMARIVM.

1 *Pęnitentes hęretici nequeunt recipi in Religione sine dispẽsatione Papæ.*

2 *Recipi possunt, si ante sententiam pęniteant.*

1 RESpondeo hac conclusione. Pænitentes hæretici sine dispẽsatione Papæ religionẽ ingredi nequaquã possũt ex Cõcilio Tolesano, q̃ allegat, & scripsit Calder. *in tract. de hęreticis redeuntibus, & cõuersis n. 5.* teste Farinac. *de hęresi q. 193. §. 3. n. 69.* Idẽ habetur in Concilio Narbon. *cap. 18.* prout refert Pegna *in direct. Inquisit. p. 2. cõment. 45. vers. Illud hoc, f. mihi 332. col. 2*, qui hęc dicti Cõcilij verba refert, *Ne aũt per tales religionis simplicitas corrumpatur, nullũ de pſatis culpabilibus religionẽ quãcunq; ingredi, nisi ex Domini Papæ, vel eius legati indulgentia permittatis. Et si qui sine ipsorũ, & vestri licẽtia post inchoatã inquisitionẽ, vel si et ante, nõ tamẽ cõfessi, & canonicè absoluti, ingressi fuerĩt, reuocetis.* Hoc tamen intelligitur de reuertentibus ab hęresi, qui grauiter fuerunt culpabiles, vt benè notant Pegna, & Farinacius.

2 Hãc cõclusionẽ sic intelligendã esse cẽseo. Quemadmodũ hęreticus pęnitens, & ex bono corde rediẽs ad fidẽ nõ amittit beneficia, nec ad alia obtinẽda inhabilis redditur, nec deponit secũdũ Archid. *in c. vt cõmissi, in fine n. 4. de hęret. in sexto*, Quę quidẽ oĩa procedũt in pęnitẽte ante sentẽtiã, secus verò in pęnitente post sententiã, vt benè docẽt Gemin. *in d. c. vt cõmissi, verbo priuãdi n. 6. in fine*, Frãch. *ibi nu. 7.* atq. alij relati, & approbati à Farinac. *de hęresi q. 189. §. 6. n. 84.* Ità hæreticus pęnitẽs ex corde ante sententiam non est inhabilis ad religionis ingressum: secus verò si pęniteat post sentẽtiã: Et ità videtur docere Farinac. *in d. q. 193. §. 3. nu. 70.*

Disputatio III.

IN hac disputatione examinandæ sunt conditiones, quas ex vi regulæ nostræ habere debent, qui in Religionem fratrum Minorum admittendi sunt.

DVBIVM I.

An qui ad Religionem Minorum accedunt, de fide catholica, & ecclesiasticis sacramentis sint examinandi.

S V M M A R I V M.

1 *An præceptum, vel consilium sit in Regula Minorum examinare postulantes habitum de fide, & Ecclesiasticis sacramentis. Et an semper necessarium. num. 4.*

2 *Ad quos spectet hoc examen.*

3 *An in Regula Minorum ex similibus similia intelligentur, & in maioribus minora implicentur.*

5 *Quare Regula minorica expostulet ab assumentibus habitum, vt sint Catholici, cum id sit de iure diuino & Ecclesiastico.*

6 *Qualem fidei ardorem requirat in postulantibus habitum Regula Minorum.*

1 REspondeo duplici conclusione. Prima est. Cum regula nostra c. 2. dicat, quod Ministri diligenter examinent de fide catholica, & ecclesiasticis Sacramentis qui petunt ordinis ingressum, olim inter antiquiores Expositores fuit ambiguum, an hoc esset præceptum, vel consilium, vt est videre apud Quatuor Magist. c. 2. col. 2. & B. I. Hugon. *cap. 2. col. 3.* Nihilominus, quia *in Clem. exiui, §. item quia in fine, de verbor. signif.* definitur omnia esse tanquam obligatoria obseruanda, quæ in regula ponuntur ad modum receptionis nouitiorum

spectan-

spectantia, sentiunt recentiores expositores post hanc declarationem pontificiam esse præceptum examinare de fide catholica, &
2 ecclesiasticis sacramentis hos religionis habitum petentes: Quod quidem examen fieri debet per eos, qui facultate recipiendi ad Ordinem gaudent. Ita Cordub. *cap. 2. q. 4. §. & quamuis*, Politius *cap. 2. num. 14.* & Sorbus *tit. nouitius de receptione nouitiorum versic.*
3 *ac primum*. Notandum vero iuxta D. Bonauent. *cap. 2.* in præfato examine includi examen de alijs minoribus ad fidem pertinentibus; Modus enim regulæ est dare ex similibus similia intelligere, & minora in maioribus implicare.

4 Limitatur hæc conclusio à D. Bonauent. vt non sit necessarium præfatum examen nisi in illis partibus, vbi contingit aliquos inueniri hæreticos; Et ideò dicendum est, non teneri Ministros ad hanc conditionem obseruandam, nisi quando id rationabiliter ex concurrentibus circunstantijs necessarium videbitur: vt puta, si recipiendus ex partibus hæreticorum descenderet, vel inter eos habitasset, vel conuersatus fuisset, vel aliæ huiusmodi circunstantiæ adessent, propter quas à prudentibus, & doctis hoc examen necessarium iudicaretur. Quod probatur; nam quotiescunque cessat rationabilis suspitio, quæ haberi potest de persona recipienda circa integram rerum fidei confessionem, tunc quoq; cessat ratio huius obligationis: & ita docent Cordub. §. *notandum tamen*, Sorbus, Politius *vbi sup.* & Miranda *tom. 1. q. 18. art. 1. fin.*

5 Secunda conclusio. Quamuis ex iure diuino, & ecclesiastico requiratur hæc conditio, vt scilicet ingrediens religionem sit fidelis, & catholicus, vt notat Corduba §. *& quamuis*. Nihilominus Seraphicus Pater Franciscus hoc in regula expressit, vt à toto Ordine suo omnem circa fidem amoueret suspicionem, ex qua scandali specimen apud proximos oriri posset. Eademq; ratione vitādi scandali præceptum abstinendi à suspecto consortio mulierum, & alia huiusmodi cap. 11. iniunxit. Hinc Martinus V. *in suis Cōstitutionibus cap. 2.* inquit, quod ingressuri religionem sint fideles, & de nullo errore suspecti. Quare iure optimo inquiunt Corduba *cap. 2. q. 4. non longè à princ.* Politius *num. 18.* & Miranda *post medium art.* in Ordine Minorum nullatenus recipi posse eos, de quibus aliqua rationabilis suspicio circa fidem habetur, quamuis re vera fideles essent, & catholici, nisi prius talis de eis suspicio apud

homines remoueretur. Quinimmò D. Bonauent. ex regulæ textu colligit, talē fidei ardorē, & firmitatē desiderari ī ijs, qui ad Ordinē hūc veniunt, vt pro eadem fide mortem subire parati sint.

DVBIVM II.

An vxoratus post ratum, sed nondum consummatum matrimonium, Religionem ingredi possit.

SVMMARIVM.

1 *Quisq; coniugum post ratum, sed non consummatum matrimonium potest Religionem ingredi.*
2 *An ità sit tenendum de fide.*
3 *Quod tempus sit præscribendum alterutro coniugi ad reddendum debitum, vel ad ingrediendam Religionem nu. 6. Et an sit determinatum à iure, vel arbitrarium Iudici nu. 8.*
4 *An intra illud tempus teneatur non solum sumere habitum, sed etiam profiteri.*
5 *An tempus probationis nouitiatus possit breuiari.*
7 *An elapso tempore præfixo possit Iudex compellere ad ingrediendam Religionem, vel ad reddendum debitum.*
9 *An elapso eodem tempore peccet mortaliter coniux non reddendo debitum, vel non ingrediendo Religionem.*
10 *An si ingrediatur post longius multum spatium temporis præfixi, professio semper dirimet matrimonium.*
11 *Alia dubia remittuntur de hac materia videnda in DD.*

1 RESpendeo triplici conclusione. Prima est. Post ratum matrimonium nondum tamen cōsummatū liberū erit vnicuiq; coniugū altero & inuito Religionis statum suscipere. Hæc cōclusio est de iure communi, & eam docent cōmuniter tàm Canonistę, 2 quàm Theologi. Immò adeò verū est, hoc matrimoniū ratum non consummatū dirimi per solemnē Religionis professionē, vt, ità de fide esse tenendū notet Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 18. n. 3.* Et sic determinatū habemus per multos Pōtifices maximè per Eusebiū *can desponsatā 27. q. 2.* per Gregoriū *can. decreta legalia 27. quæst. 2.* per

per Ioan. XXII, *in eius extrauag. antiquæ, de voto*, per Alexandrum tertium *c. 2. & c. ex publico, de conuers. coniug.* per Innocent. tertiũ *c. ex parte tua, eod. tit.* & nouissimè per Tridentinum *sess. 24. de matrim. can. 26.* vbi hæc leguntur. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consumatum per solemnem religionis professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit.* Et quamuis alij textus haberent, post ingressum religionis irritari: intelligebant tamen de ingressu cum effectu, professione scilicet emissa, & in hoc sensu intelligendam esse Extrauagantem modò citatam censuit, & de facto declarauit Concilium Trident.

3 Secunda conclusio. Quia in iure *c. ex publico, de conuers. coniug.* definitur, coniugem post matrimonium ratum obligari intra duos menses, vel ad reddendum debitum, vel ad ingrediendam religio-
4 nem, si velit. Nonnulli DD. & præsertim Panormit. *in d. c. ex publico nu. 11.* & Nauar. *c. 16. nu. 27.* existimant hoc bimestre, præscribi nedum ad ingrediendam religionem, sed etiam ad professionem emittendam, ità vt sponsus intra illud spatium teneatur, vel profiteri, vel matrimonium consummare. At Doctores intelligunt cuiq; sponso concedi tempus duorum mensium ad deliberandum de ingressu religionis quò ad receptionem habitus, & non quò ad professionem. Ita D. Thom. *4. dist. 27. q. 1. art. 3. qq. 2. ad secundum.* Palud. *ibi q. 1. art. 3.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 21. §. 1.* Soto *4. dist. 27. q. 1. art. 4. col. 15. vers. at verò si infrà,* & alij, & præsertim Hostiens. *in sum. tit. de conuers. coniugat. nu. 11.* Qui omnes etiam censent posse addi annum probationis; quia nec religio te-
5 netur cedere iuri suo, nec etiã nouitius. Quod quidẽ tempus probationis iuxta id, quod decernitur in Trident. *sess. 25. c. 15. de regul.* non pōt nunc breuiari nisi de licentia Papæ, vt benè notat Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 5. nu. 8. & in comment. lit. F.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 9. c. 23. nu. 2.* Rodriq. *p. 1. sum. c. 239. n. 2. & tom. 3. q. 13.*
6 *art. 4.* & Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 7. n. 59. vers. septimò.* Et hoc intelligitur etiam si sponsus de vna ad aliam religionem transiret, & ita tempus professionis in fraudem eius, qui in seculo remansit, differret, prout respōdit anno 1588. Sacra Cardinaliũ cõgregatio.

7 Dicunt tamen DD. posse Iudicem in hoc casu sponsum compellere, vt vel expleto probationis anno in vna religione professionem emittat, vel ad alterum sponsum redeat, & consummet matri-

matrimonium; quia in magnum alterius sponsi damnum cederet, si per plures annos maneret ligatus primo matrimonio, nec posset secundum contrahere. Itâ Palud. *4.dist.27.q.3.art.2.concl.2.n.14* D. Antonin. *3.p.tit.1.c.21.§.1.* & Sanch. *lib.2. de matrim.disp.24.*
8 *nu.9.* qui alios Doctores refert. Potest etiam Iudex coarctare, aut prorogare tempus duorum mensium à iure præfixum ad deliberandum de religionis ingressu, eo quòd est eidem iudici arbitrariū, vt docent Glossa *in d.cap.ex publico verbo,infrà duorum.* Panormit. *ibi nu.11.* Rosella *tit.debitum num.1.* Syluest. *q.1.causa 4.* Nauar. *c.16.n.17.* & alij: quamuis non debeat de facili recedere à termino *in d.c ex publico* statuto, vt inquiunt Panormit. & Syluester.

9 Tertia conclusio. Quamuis cuiq; coniugum licitum fuerit in præfato duorum mensium tempore negare alteri debitum: eo tamen bimestri transacto illicita est hæc negatio, ac proindè culpa lethali non vacat, nisi negans statim se ad religionem transferat. Itâ colligitur ex D. Bonauēt. *4.dist.27.art.3.q.2. in resp.ad argum.* qui docet, post id bimestre teneri coniugem, vel ad aliam vitam se transferre, vel debitum reddere: Et ita loquuntur alij DD. præsertim Toletus *lib.7.c.24.nu.3.vers.quartus casus.* quod expres-
10 sius docent Sanchez, & Bonacina statim citandi. Notandum verò, licet coniux elapso bimestri peccet negando debitum, vt modò dictum est: nihilominus certum esse, eum non amittere ius ingrediendi religionem; quia professio religionis dirimit semper matrimonium ratum: Et itâ tenent Glossa *in d.cap.ex publico verbo infrà duorum.* Syluest. *tit.votum 5.q.3.dict.1.* Sanch. *lib.2. de matrim.disp.24.num.27.* & Bonac. *de matrim.q.3.p.4.nu.4.* qui allegat Perez *de matrim.* §. *18.* Coninch. *disp.26.dub.4.nu.49.* & Gutierrez *cap.54.num.19.*

11 Hic discutiendum esset, quomodo computandum sit hoc bimestre, & an per professionem dissoluatur matrimonium ratum, cuius copula antea præcessit, & quando dicatur consūmatum matrimonium; Quæ omnia videri possūt apud DD. præsertim apud Couarru. *4.decret.1.p.c.4.§.1.* Suarez *tom.3. de relig.lib.9.cap.25. à nu.3.* & præcipuè apud Sanchez *lib.2.de matrim.disp.21.22.& 24. à num.14.*

DV.

DVBIVM III.

An vxoratus post matrimonium consummatum ad Religionem migrare valeat.

SVMMARIVM.

1 *Post matrimonium consummatum vterq; coniux inhabilis est ad Religionem altero contradicente.*
2 *Secus si altero consentiente: tribus tamen concurrentibus.*
3 *Regula Minorica an statuat circa coniugatos idem, quod ius commune.*
4 *An ita necessario de licentia Episcopi votum continentiæ sit emittendũ à coniuge manente in seculo, vt sine ea professio alterius coniugis Religiosi sit irrita.*
5 *Cuius ætatis debeat esse coniux manens in seculo ad hoc, vt suus vir licitè transeat ad Religionem.*
An ætas prædicta magis sit consideranda secundum stabilitatem virtutum, quàm secundum multitudinem annorum.
Quando vir, vel mulier dicantur senes.
An ex muliere plusquam quinquagenaria possit suscipi proles.
6 *An sit habilis ad Religionem vir, cuius vxoris manentis in seculo incontinentia timetur.*
7 *An idem iuris sit, quando timetur de eius alijs atrocibus vitijs excepta incontinentia.*
8 *An ingressus Religionis sit licitus, vel professio valida illius viri, qui culpa vxoris solutus est à vinculo coniugali per diuortium.*
9 *Et item si culpa sui ipsius viri solutus sit à vinculo matrimoniali.*
10 *An vxor innocens concedens viro suo adultero facultatem ingrediendi Religionem teneatur ipsa monachalem statum suscipere, vel vouere continentiam in seculo.*
11 *An Vxor recusans reconciliari viro suo post diuortium, censeatur ei cõcedere ingressum Religionis.*
12 *Qui DD. videndi circa alias quæstiunculas de hac materia.*

1 Respon.

1 Respondeo duplici conclusione. Prima est. Ex iure commu-
ni post matrimonij consummationem uterq; coniux inha-
bilis est ad religionis ingressum altero contradicente: secus verò
si ambo religionis statum suscipere consentiant. Quòd si vnus
tantùm assentiente altero ingredi uelit, id fieri non poterit nisi tri-
2 bus concurrentibus. Primò, ut manens in seculo continentiæ vo-
tum emittat, ut habetur *in c. cum sis, c. vxoratus, & c. ad apostolicam,
de conuers. coniug.* Secundò, ut idem manens in seculo sit senex, &
absque incontinentiæ suspicione, ut habetur *in d. cap. cum sis,* ubi
Alexander tertius loquitur præcipuè de senectute mulieris, cuius
uerba sunt, *Prohibemus, ne virum, vel vxorem (nisi vterq; ad religionē
migrauerit) transire permittas. Verùm si ita uxor senex est, & steri-
lis, quod sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poteris, vt ea in
seculo remanente, & castitatem promittente, ad religionem transeat vir
eiusdem.* Et *in d. c. ad apostolicam* Innocentius tertius loquitur de
senectute tàm uiri, quàm mulieris dicens, *Quod alter coniugum re-
cipiendus non est ad obseruantiam regularem, nisi reliquus perpetuam
continentiam repromittat: sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit eius
ætatis, vt sine suspicione incontinentiæ valeat in seculo manere.* Tertiò,
vt manens in seculo non emittat continentiæ uotum, nisi accedē-
te Episcopi auctoritate, quod cautū est *can. si vir, & vxor 27. q. 2.*
ubi hęc leguntur, *Si vir, & vxor diuertere pro sola religiosa, inter se
consenserint, vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat.* Idem col-
ligitur *ex cap. 1. de conuers. coniug.*

3 Secunda conclusio. Seraphicus Pater noster Sanctus Francis-
cus *cap. 2. reg.* decernit obseruandas esse in receptione eorum, qui
uxores habent, easdem conditiones, quas ius commune in eodem
casu obseruari mandat, ut in proxima conclusione dictū est. Quare
recipientes ad Ordinem Minorum geminato obstringuntur uin-
culo ad non recipiendum aliquem uxoratum, nisi præfatis condi-
tionibus cōcurrentibus, circa quas occurrunt nonnullę difficulta-
tes enodandę.

4 Prima est, an ex iure communi, & etiam uigore regulę nostræ
censeatur necessarium, ut mulier manens in seculo uotum conti-
nentię de licentia Episcopi emittat. Respondeo, Doctores com-
muniter docere, hanc licentiam ad professionis ualorem minimè
esse necessariam: Vertitur tamen inter eos in dubium, an ex prę-

cepto petenda sit. Vnde alijs allegatis partem negatiuam sustinet Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 32 nu. 3. post medium*. Huius opinionis est etiam Gutier. *de matrim. c. 95. nu. 4.* Alij verò censent ex pcepto ad mortale obligante esse petẽdam; quia agitur de re graui. Ita colligitur ex Butrio *in c. pterea, de conuers. coniug.* & alijs, sed docetur expressius à Rebel. *de obligat. lib. 3. q. 4. nu. 18.* & Bonacin. *de matrim. q. 3. p. 4. n. 12. vers. tertia est*, qui refert Perez §. *40 f. 140.* & hęc posterior opinio mihi magis arridet. Sed quicquid sit de iure cõi, certũ est ex pręcepto regulæ nostrę desiderari hanc licentiam; quia *in clem. exiui, § item quia pręter, in fine, de verbor. signif.* declaratur, omnia, quæ ponuntur in regula ad receptionis modũ spectãtia esse tanquã obligatoria obseruand. Et ita tenent Corduba, *c. 2. q. 2. condit. 2. vers. vel si habent*, Politius *c. 2. num. 20.* Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 18. art. 2.* & Thesaurus *c. 2. f. 124.*

5 Secunda difficultas est, an mulier, quę marito licentiam ingrediendi religionem concedit, senilis ętatis necessariò esse debeat. Respondeo. Quãuis D. Bonanent. *c. 2. his*, quẽ sequitur Politius *c. 2. nu. 19. fin.* existimauerit senectutem mulieris, quę & à iure, & à regula nostra desideratur, magis considerandam esse secundũ stabilitatẽ virtutũ, quã secundum multitudinem annorũ iuxta illud. *Sap. 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Nihilominus omninò tenendum est, non posse admitti in religionem virum, cuius vxor antiquę non sit ętatis. Quia iura in prima conclusione citata expressè uolunt coniugem manentem in seculo, et præcipuè mulierem senilis ætatis esse debere; Quod ex eo probatur, quia iuuentus uarijs incontinentiæ casibus est ualdè subiecta; Et ideò Ioan. And. *in cap. coniugatus in fine, de conuers. coniug.* Ancharan. Antonius de Butrio *ibi fin.*, et Panormit *n. 4.* non concedunt posse se transferre ad religionem, qui habet mulierem iuuenem sine suspicione: quia cum fœmina semper sit uolubilis, non est sine suspicione incontinẽtiæ: et ita etiam docet Bonacina *de matrim. quęst. 3. p. 4. num. 12. vers. prima est.* Quod confirmant DD. qui nolunt uirum posse religionem ingredi nisi mulier manens in seculo sit sexagenaria. Ita Soto, *4. distinct. 27. quæst. 1. artic. 4. colum. penult. versic. potest, & vnus solus.* Corduba *in sum. q. 178.* Ouand. *4. dist. 27. q. vnica in fin.*

Angles *p. 1. vbi de matrim. q. 1. de essentialibus ipsius dist. 27. artic. 3. post 3. difficul.* & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 1. q. 6.* Hoc tñ relinquendũ est arbitrio uiri prudentis, ut benè inquit Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 32. nu. 16.* Qui ex multis ꝓbat, in casu nostro, mulierem quinquagenariam, & uirum sexagenarium senes esse putandos; & ità tenendum esse censeo, quia habetur in iure *l. si maior quinquagenaria, C. de legit. hared.* cum mulier sit plusquã quinquagenaria mirabile esse prolem suscipere; Et ita resoluit Rota *decis. 49. n. 4. coram Mantica.* Notandum tandem non sufficere, ut mulier sit sterilis ratione naturæ, sed oportet, eã esse sterilem ratione ætatis, ut notat Gloss. *in d. c. cũ sis, verbo sterilis;* q̃a multæ sũt steriles, & iuuenes, ut benè subiũgit eadem Glossa, quæ cõtineri nõ possunt, nec uolunt.

6 Tertia difficultas est, an habilis sit ad religionis ingressum uir, cuius uxor, quæ manet in sæculo, quamuis sit senex, timetur tamen de eius incontinentia, etiam si uoto castitatis sit obstricta. Respondeo, nullo pacto esse habilem ad religionem. Ità colligitur ex Glossa *in cap. coniugatus, verbo continentiam,* & docetur expressè à Panormit. *in cap. ad apostolicam nu. 11. de conuers. côiug.* Syluest. *tit. diuortium quæst. 3.* & Couarru. *4. decret. 2. par. cap. 6. §. 3. num. 3* Et est ratio, quia iura in prima conclusione citata, & etiam regula nostra postulant non solum senilem ætatem, atque continentiæ uotum, sed etiam, ut non præsumatur incontinentię periculum.

7 Idem dicendum est, quando suspicio incontinentiæ cessat, non uero aliorũ atrociũ uitiorũ, q̃a est suspecta absente marito, ne fiat incãtatrix, malefica, vsuraria, aut in q̃ simile peccatũ corruat. Ità Ioa. And. *in c. ad apostolicã n. 9. de cõuers. cõiug.* Amon. de Butr. *ibi n. 3.* Panor. *n. 2.* & Anchar. *fin.* Verũ si vir in hoc posteriori casu ingreditur religionem, tenet ingressus, vt inquiunt DD. citati.

8 Quarta difficultas est, an uir culpa uxoris solutus à vinculo coniugali per diuortium, possit religionem Minorum ingredi. Respondeo; prænotandum esse, hic non controuerti de ualore professionis huius uiri, si eam emitteret: in hoc enim omnes affirmatiuè consentiunt: sed difficultas est de licito ingressu. Dico ergo Cordubam *cap. 2. quæst. 4. condit. 2. vers. vel si habent* Politium *cap. 2. num. 20.* & Mirandam *in manual. prælat. tom. 1. quæst. 18. art. 2.* tenere, præfatum vi regulæ nostrę non posse inter trantes.

tres Minores recipi, nisi interueniant conditiones, quę desiderantur à regula in receptione coniugatorum, puta, vt mulier, quæ manet in seculo, præbeat assensum, continentiæ votum emittat, sitq; senilis ætatis, nec incontinentiæ suspecta. Quare concludunt, Ministros nexu lethalis culpę innodari recipientes prędictum, quando vxor vel reclamat, vel suspecta est de incontinentia, etiam si sua culpa priuata fuerit iure coniugali propter adulterium. Quorum ratio est; quia pręfatæ conditiones in hoc casu ex pręcepto regulę sunt obseruandę.

Nihilominus pace tantorum doctorum contrarium censeo asserendum. Ducor, quia cum regula imponit obseruantiam præfatarum conditionum, loquitur expressè de receptione illorum, qui coniugali vinculo obstringuntur, id est de illis, quorum matrimonium, & obligatio eius integra est. At cũ pręfatus per definitiuam sententiam ratione adulterij coniugis sit absolutus à toro, & habitatione vxoris, quamuis propter adulterium nõ soluatur matrimonium, quoad uinculũ *c. ex publico, de conuers. coniug.* pspicuũ est, eius receptionẽ ijs cõditionib. nõ subiacere; eo q cessante hoc debito habitãdi cũ muliere, cessat quoq; rõ huius obligationis; Et ideò sicut põt de iure communi religionis statum suscipere, ut liquet *ex cap. constitutus, & cap. veniens, de cõuers. coniug. & can. Agathosa 27. q. 2.* & docent communiter DD. ut est uidere apud Sãch. *lib. 10. de matrim. disput. 11.* & Stephan. Gratian. *tom. 1. disceptat. forens. cap. 102 nu. 24.* Ità pari ratione integrum est ei religionem Minorum ingredi, eo quòd regula nostra nihil in hoc pręcipit supra ius commune, ut in superioribus uisum est. Nec obstat reclamatio mulieris, quia adultera omne ius coniugale amisit, quod solum obstaculum erat ingressui religionis innocentis: Confirmat hanc opinionem Crousers *lect. 1. ad finem in cap. 2. reg. f. 70.* & alij tenent eam teste Corduba.

9 Quinta difficultas est, an uir, cuius culpa diuortium factum fuit, admitti possit in religionem sine mulieris consensu: Respondeo, maritum in hoc euentu non posse ingredi religionem; quia mulier innocens habet integrum ius cogendi eum ad reconciliationem, vt iure optimo docent D. Thom. *4. dist. 35. quęst. 1. art. 6. ad tertium* D. Bonauen. *ibi art. vnico quæst. 5. ad secundum* Rosella *tit. diuortium num. 11.* Syluest. *quæst. 10.* Armil. *num. 18.*

Grassus p. 1 lib. 2 c. 84 nu. 14. & alij quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. de matrim. disp. 10. nu. 13. quicquid nonnulli in contrarium sentiant.

10 Si verò mulier innocens licentiam ingrediendi religionem marito adultero concedat, non tenetur ipsa monachalem suscipere vitam, nec manens in seculo continentiam vouere, sed solummodo ei prohibetur transitus ad secundas nuptias. Et in hoc sensu dicunt quidam, & maximè Sanch. nu. 15. intelligendos esse D. Antoninum 3 p. tit. 1. c. 21. §. 6. & Sylu. tit. diuortium nu. 13. docentes posse innocentem præstare licentiam ingressus adultero, sed ipse contineri debet id est à secundis nuptijs.

11 Verum, quando vxor innocens post diuortium recusat reconciliari marito, tunc dicitur eidem licentiam adeundi religionem cōcedere. Et licèt assensum neget, talis tamen negatio est irrationabilis; quia tenetur, vel eum sibi reconciliare, vel religionis ingressum ei permittere. Quare non obstante eiusdem mulieris reclamatione potest vir religiosorum statum suscipere, dummodo sit emendatus, atq; mulier de hoc pluries certior facta sit Et quāuis nonnulli credant, mulierem de hoc per Episcopum necessariò monendam esse, id tamen non videtur necessarium. Quę omnia confirmantur allegatis quampluribus doctoribus à Sanchez n. 16. Et habent locum etiam si maritus religionem Minorum sit ingressurus.

12 Quamplures aliæ difficultates contingere possunt in hac materia, quas consultò breuitatis causa omitto, eò vel maximè quia rarò contingunt, vt est illa, an mulier postquam concessit marito licentiam adeundi religionem, possit illam reuocare ante professionem: vel si ingressus religionis factus absque licentia alterius cōiugis possit ratus haberi: De quibus inter alios videndus est Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 6. à num. 6. Aliæ etiam difficultates contingere possunt circa professionis emissionem, de qua dubitari potest, an sit valida, maximè si in recipiendis his coniugatis non obseruentur nonnullæ conditiones à iure requisitæ, de quibus omnibus videndus est inter alios Sanchez in suo tractatu de matrimonio, vbi latè, doctéq; discutit has materias, & pręcipuè lib. 7. disput. 33. & seqq.

DV-

DVBIVM IV.

An qui virginem violauerit Religionem ingredi possint?

SVMMARIVM.

1 *Stuprator non punitur nunc pœna iuris ciuilis, sed pœna iuris canonici.*
2 *Distinctio tituli quæstionis.*
3 *An promissio matrimonij ficta sit Sponsalia.*
4 *An defloratio Virginis cum promissione ficta matrimonij impediat Religionis ingressum.*
An sic deflorans teneatur ducere defloratam in vxorem.
5 *An quod debetur ex iustitia commutatiua possit adimpleri per æquipollens.*
6 *An etiam voto Religionis adstrictus deflorans Virginem cum promissione ficta matrimonij, possit ei satisfacere pecunia, vel aliquo alio modo nu. 11. 12. 14. & 16.*
7 *Maximè si deflorans excedat notabiliter statum deflorata.*
8 *Vel si timeatur ex eo matrimonio non leue scandalum.*
9 *Vel si deflorata se finxisset Virginem.*
10 *Vel nisi eam verè non deflorasset. & num. 15.*
12 *An stuprans cum promissione vera matrimonij, possit post matrimoniū solummodo ratum, Religionem ingredi.*
17 *An stuprum per se, vel sola promissio matrimonij post stuprum habita impediant Religionis ingressum, vel ad aliquam restitutionem obligent, num. 19.*
Maximè si stuprum fuerit extortum, vel violentum, aut cum precibus seu cum dolo n. 20.
21 *An stuprator teneatur in foro conscientiæ ad restituendum puellæ, quādo ex eo nullum patitur detrimentum.*
22 *An in foro fori teneatur stupratam dotare.*
23 *An possit cogi à Iudice ad contrahendum matrimonium cum ea.*
24 *Puella in dubio præsumitur seducta.*
Si stuprator neget puellam fuisse Virginem, cui incumbat onus probādi.
An puella in dubio præsumatur Virgo.
Cogi non potest puella, nec Pater eius, vt cum stupratore nubat.

26 *Clericus stuprans tenetur defloratam dotare.*
27 *An stuprator excusetur à solutione dotis, si puella remiserit ei hoc debitũ*
28 *An stuprator ob impotentiam soluendi dotem prorogare possit Religionis ingressum.*
Qua pœna puniatur impotens ad soluendam dotem.

1 RESpondeo, præmittẽdum esse primò, pœnam, qua iure ciuili punitur stuprator, & de qua latè scripsit Farinac. *de delictis carnis q. 147. §. stuprũ per totũ,* correctã esse per ius canonicum, ità vt nunc attendatur tantum pœna iuris canonici, non verò iuris ciuilis iuxta *Clar. in pract. §. sturpũ. n. 3.* Ludou. Peguer. *decis. crim. 42 n. 3. & 4.* Caball *resolut. crim. cas. 196. n. 12.* qui testatur, ità quotidie, & vbiq; locorum seruari in practica: Et ità tenent alij relati, & approbati à Farin. *in dicto tractatu de delictis carnis q. 247. n. 113. & 116.* Pęna iuris canonici est, vt stuprator ducat in vxorẽ defloratam, constituendo ei dotem conuenientẽ, vel si renuat eã ducere, tenetur ad supplẽdum illud vltra dotem, quo deflorata indiget ad inueniendum virum sibi æqualem, vt infrà enodabitur.

2 Secundò, hanc virginis deflorationem, quoad rem nostrã, quadruplici modo cõtingere posse. Primò cum promissione ficta matrimonij. Secundò post sponsalia sub spe vera matrimonij. Tertiò nulla habita matrimonij promissione, sed postea defloratore matrimonium illi promittente. Quartò nulla interueniente promissione ante, vel post deflorationem.

3 His præmissis sit prima cõclusio. Quamuis promissio matrimonij ficta, & oretenus solummodo facta non sit sponsalia, neq; obliget vi promissionis, vt docent communiter Doctores, quia nõ est verè promissio, sed tantùm promissionis fictiò lethaliter peccaminosa: Nihilominus fictè promittens, & sub hac promissione deflorans virginem non potest religionem ingredi; quia tenetur sub mortali defloratam ducere in vxorem, vt docet D. Thomas 4. *dist. 28. q. vnica art. 2. ad quartũ* D. Antonin. *2. p. tit. 5. c. 6. §. 1.* Rosella *tit. matrimonium 4. nu. 2.* Angelus *stuprum nu. 1.* Syluest. *luxuria q. 5.* Tabien. restitutio *q. 22.* Armil. *ibi num. 22.* Nauar. *cap. 16. nu. 18.* Molina *tom. 4. disp. vlt. num. 4.* Azorius *p. 3. lib. 5. cap. 5. q. 3.* & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 10. n. 3. vers. secundum.*

Pro-

5 Probatur, quia iustitia commutatiua, contra quam stuprator peccat, non solum petit, vt reddatur æquale, sed etiam id, quod ex iustitia debetur: vndè vnum pro alio inuito creditore reddi nō potest *l.2.§.mutui,ff. si cert.petat.* Cum ergo puella consenserit in stuprum hoc pacto, vt eā in matrimoniū ducat, patet, teneri deceptorem eā ducere, nec ei satisfacere posse mediāte pecunia, nisi puella sit illa æstimatione contenta. Intelligitur conclusio, etiam si deflorator votū religionis habeat, vt in sequenti conclusione dicetur.

7 Limitatur hæc conclusio primo, vt non procedat, si violator notabiliter excedat puellæ statum, vel ratione diuitiarum, vel nobilitatis, vel alterius huiusmodi causæ, & eadem puella huius excessus erat conscia. Ratio est, quia ex inæqualitate promissionis poterat, & etiam debebat puella nosse se ab illo decipi. Et idem dicendum, si fœmina ex verbis, aut alijs coniecturis facilè poterat fallacem promittentis animum agnoscere. Ità D. Thom. D. Anton. Angel. Syluest. & ferè omnes DD. modo citati.

8 Limitatur secundo, vt non procedat, quando probabiliter timetur ex eo matrimonio scandalum magnum consurgere debere: tunc enim excusatur deceptor. Et idem dicendum, si ex eo matrimonio malus exitus timeatur: vt si puella esset notabiliter leuis: Ità nonnullis allegatis docet Sanch. *nu.9.& 10.*

9 Limitatur tertio, vt non habeat locum, quando fœmina se finxit uirginem, ac proindè decepit uirum; quia in iniurijs datur cōpensatio. Ità nonnulli, quos refert, & sequitur Sanch. *nu.11.*

10 Limitatur quarto, ut qui fictè promisit matrimonium, & sub hac promissione non deflorauit, sed habuit cum uirgine tactus, & oscula non teneatur eam ducere alio tñ modo resarcire possit, & debeat iniuriam, quæ non est tanta, ac si eam deflorasset. Ità Nauar. *lib. 4. cons. 20. de sponsal in 2. edit.* & Sanchez *nu. 14.*

11 Controuertitur inter DD. an deflorans hac ficta promissione teneatur aliquid restituere puellę uiolatæ in ijs posterioribus casibus, in quibus eam ducere nō cogitur; Et ideo uidēdi sūt DD. pręsertim Molina *to.4.disp.vlt.* & Sāch. *lib.1. tota disp. 10. q alios refert.*

12 Secunda conclusio. Contrahens sponsalia, & sub ea spe uirginē deflorans, id est cum promissione uera, & non ficta matrimonij, ingredi nō pōt religionē, nisi corrupta assensū præstet. Probatur hęc cōclusio a fortiori ex dictis in prima cōclusione; Nā si deflorās cū

promis-

promissione ficta tenetur ducere violatam, multo magis cogitur in hoc casu non renuere nuptias, quia vera sponsalia hanc obligationem inducunt, & iniuria illata aliter resarciri nequit, nisi iuxta promissa eam ducendo: Et ob hanc rationem citari possunt pro cõfirmatione huius conclusionis oẽs Doctores superius citati, quã tñ conclusionẽ expressè docent Henriq. *lib. 11. de matrim. cap. 13. num. 3. & in comment. lit. K.* Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 44. nu. 3.* Lessius *de iust. lib. 2 c. 10. dubit. 4. & c. 41. dubit. 3. nu. 30.* Reginald. *lib 31. num. 258.* Chapeauil. *de sacrament. ministran. tempore pestis cap. vlt. quęst. 17.* Naldus *tit. virgo num. 2.* Bonacina *de matrim. quęst. 1. p. 5. nu. 5. & alij.*

13 Notandum, defloratorem nullo modo satisfacere huic debito, si contrahat matrimonium, & ante illius consummationem ingrediatur religionem iuxta concessionem sponsis factam, de qua dictum fuit *dub. 2.* quia hoc matrimonio non resarcitur iniuria virginitatis, & famæ. Ità Sanch. *n. 7.* Reginald. & Bonacina.

14 Ampliatur hæc conclusio primò, vt habeat locum, etiam si ipse deflorator voto religionis obstrictus esset. Ità Sanch. *disp. 45. n. 3.* Gutier. *de matrim. cap. 25. num. 7.* Lessius, Reginald. Chapeauil. Naldus, & Bonacina *nu. 7.* Quod probatur, nam cum communiter DD. merito sentiant, votum non obligare mutatis notabiliter rebus, patet, si votum adimpleatur, indè notabilem mutationem superuenire ratione grauissimę obligationis iustitiæ, & damni proximi. Ergo voti obligatio cessare debet.

15 Ampliatur secundo, vt procedat etiam in eo, qui sponsalia cum virgine contraxit, quamuis vsuram corporis non obtinuerit, si tamen cum dicta puella magnam familiaritatem habuerit, vt indè rationabilis suspicio copulę oriatur, ac proindè non possit recedere à contractu sine notabili eiusdem puellæ infamia. Ità Henriq. *vbi sup.* Rodriq. *in sum. p. 1. cap. 24. num. 11.* Gutier. *cap. 25. nu. 1. & 6.* Sanch. *disp. 44. nu. 4.* Lessius *l. 2. cap. 10. disp. 4. nu. 25.* Reginald. *vbi sup.* & Bonacina *num. 4.* Et idem dicendũ merito putant Lessius, & Sanchez si erat vidua bonæ famæ, & non infimæ sortis.

16 Limitatur conclusio, vt non teneatur eam ducere, si ipsa corrupta non ignorabat illum, vel castitatis, vel religionis voto esse obstrictum; quia non bona fide contraxit, cum non ignoraret, ipsum nec nuptias promittere nec licitè contrahere posse. Ità iure optimo

mo docent Gutier. *nu. 7. ad finem* Sanch. *disp. 45. nu. 5.* Reginald. *vbi sup. ad finem*, & Bonac. *n. 7.* cum quibus concordat Lessius, qui etiam existimat nullam aliam compensationem esse eidem faciendam: quia dum impedimentum nouerat, non fuit decepta; nisi fortè violator persuasisset puellæ, se facilè obtenturum dispensationem.

17 Tertia conclusio est. Qui deflorauit virginem nulla habita matrimonij promissione, si postea defloratæ promittat matrimoniũ, nihilominus ad religionem se conferre potest. Primò quia promissio matrimonij ex mera liberalitate processit. Secundò quia cum delictum nullam rationem iniuriæ habeat, nec ad aliquid restituendum obliget, consequenter promissio, seu obligatio includit tacitam conditionem, nisi transitus ad religionem eligatur.

18 Ita Sanch. *lib. 8. disp. 36. nu. 9.* qui intendit procedere hanc conclusionem, dummodo deflorator non vtatur precibus, quę obligationem restituendi inducant. Et defloratio etiam spontanea nõ fuerit cum promissione alicuius summæ pecuniariæ, quamuis postea deflorator loco pecuniæ promittat matrimonium.

Idem dicendum existimat, si defloratio fuerit iniuriosa, idest extorta, mediãte violentia, vel precibus violentię equipollẽtibus: In hoc enim euentu, si sua sponte post deflorationẽ promittat matrimonium ob satisfactionem iniurię ei illatæ, censet ingredi non posse religionem. Quod probat, nam cum iuxta determinata *c. 1. de adult.* ex vi iniuriosæ deflorationis teneatur, vel eam ducere, vel eius dotem augere, hęc matrimonij promissio dici nequit liberalis, sed verè satisfaciens iniurię violationis, & ex vi illius debita, quamuis non determinatè, sed sub disiunctione: Vndè postea accedente matrimonij promissione, & acceptante muliere, tenetur determinatè ad matrimonium. Ergo contra hanc obligationem ex iustitia debitam non poterit statum religionis suscipere contradicente muliere. Nihilominus probabilius esse censeo cũ Lessio *lib. 2. cap. 10. dubit. 4. nu. 33.* hanc promissionem esse liberam, ac proinde integrum ei esse, vel eam ducere, vel eius dotem augere, vt in sequenti conclusione dicetur. Ex quo sequitur, inhabilem non esse ad religionem post satisfactionem.

19 Quarta conclusio, qui deflorauit virginem sine dolo, & deceptione, quia illa se ad id obtulit, vel rogata consensum pręstitit,

in conscientiæ foro nihil tenetur restituere; quia scienti, & sponte consentienti non fit iniuria *l. 1. §. v sq; adeò, ff. de iniur. l. cum donationibus, C. de transactio, c. scienti de reg. iur. in sexto.* Ità D. Antonin. *2. p. tit. 5. c. 6. §. 1.* Angelus *tit. stuprum num. 2.* Syluest. *luxuria q. 5. col. 2.* Nauar. *c. 16. n. 17.* Azorius *p. 3. lib. 3. cap. 5. q. 2.* & alij, quos refert, & sequitur Bonacina *de matrim. quæst. 4. p. 17. nu. 7.* Intelligitur conclusio, ut nulla ante, vel post deflorationem promissio intercedat.

20 *S*i uerò ui, uel metu, uel fraude, uel etiam precibus uiolentiæ equipollentibus eam deflorauerit, ità ut uideatur esse inuoluntarie corrupta, non tenetur deflorator in eodem foro conscientiæ soluere ei integram dotem, sed solummodo damnum resarcire dãdo ei tãtam pecuniæ quantitatem, quanta plus illa indiget ad inueniendum uirum sibi æqualem, ac si esset uirgo. Ità D. Antoninus, & Couarruuias *4. decret. 2 p. c. 6. § 8 nu. 15.*

21 At si ex defloratione nullum puellæ sequatur detrimentum in fama, uel in aliquo alio bono, quia eque bene nubere potest, ac si non esset passa deflorationem, stuprator non tenetur ad ullam restitutionem, ut bene docent Molina *tom. 4. disp. 104. nu. 11.* Lessius *lib. 2. c. 10. dubit. 2. nu. 15.* Bonacina *de matrim. q. 4. p. 17. nu. 8.* nisi forte dicamus, teneri ad aliquid restituendum ratione iniuriæ, uel uiolationis claustri, quod damnum uidetur pecunia æstimabile, iuxta Nauar. *c. 16. n. 19.* & Bonacinam contra alios.

22 Quò verò ad forum exterius, præfatus deflorator obligatur ad corruptam dotandam per textum *c. 1. & 2. de adult.* vbi omnes, & confirmatum est à D. Antonin. Couarru. Ant. Gomezio *in l. 80. Tauri n. 8*, Gutier. *lib. 1. qq. canon. cap. 37.* Bernard. Diaz *in practic. crim. can. cap. 77.* concordat cum ijs doctoribus Farinac. *de delictis carnis q. 14. n. 99. & 104.* & ita resoluit Rota *decis. 779. diuers. p. 4. in*

23 *statim in princ.* Et quamuis nonnulli Canonistæ præsertim Innocent. & Hostiens. *in d. cap. 1. de adult.* tenuerint, defloratorem etiam inuitum auctoritate iudicis cogendum esse ad matrimoniũ contrahendum: nihilominus cõtrariam sententiam vsu iudiciorũ receptam esse testantur D. Antonin. Ant. Gomezius, Couarru. Gutirr. & alij per textũ *c. 2. de adult.* per quẽ temporatur dispositio *c. 1* iubentis virginem defloratã, & ducendã, & dotandã simul. Vnde Rota citata uoluit ex duobus illis capitib. hanc deduci sententiam

tentiam menti legislatoris conformem, vt qui virginem deflorauerit, cum ea præcisè matrimoniū contrahere cōpellatur, sed caussatiuè Anchar. *in d. c. 1. de adult. not. 5. n. 51* vbi Marian. Socin. *n. 13 in fine* D. Antonini *vbi sup.* & Gutier. *in citato c. 37. nu. 1.* Et ideò pro resolutione dicendum est ad hoc, vt stuprator dicatur ducere corruptam in casu, & ad effectum de quo agimus, satis esse si constituat ei dotem, quam iuxta qualitatem puellæ, & consuetudinē regionis foret habitura. Si verò renuat illam in vxorem ducere, tenetur ad supplendum illud vltra dotem ordinariā, quo illa indiget ad inueniendum virum sibi ęqualem, vt benè inquiunt Ioan. And. *in d. cap. 1. num. 9. in fin. de adult. & ibi not. 6. num. 6.* Anchar. Panormit. *num. 4.* Couarru. *in loco citato*, & alij. Cessabit verò hoc augmentum, quando corrupta cum dote consueta dari virginibus potest consequi, aut consequitur maritum sibi æqualem, vt notat Couarru. de mente scribentium *in d. cap. 1. & 2. de adulter.* Quæ omnia dicta fuerunt à Rota in decis. citata.

24 Obijcies, præfata locum minimè sibi vendicare, nisi deflorata fuerit seducta, & etiam nisi fuerit virgo. Concedo totum, quando illud constaret per concludentes probationes, veluti per propriam confessionem ipsius stupratæ in iudicio. Sed quando taliter de eo non constat, nego; nam primò, licèt vir asserat, se non seduxisse, in foro tamen exteriori puellam in dubio præsumi seductam. Ità Ruin. *consil. 18 p. num. 9.* Gutier. *in loco citato*, Canonistæ *in d. cap. 1. de adult.* & est communis opinio. Secundò, si stuprator negaret puellam fuisse virginem, ei incumbere onus probandi, & in dubio puellam præsumi virginem, sicut virgo nascitur, iuxta communem sententiam, ut testatur Panormit. *in d. capit. 1. num. 5. de adult.* Clarus *in §. stuprum num. 4. versic. sed pone, quod stuprator*, & ità dixit Rota *in decis. citata num. 5. & 6.*

25 Quinta conclusio. *Si pater puellæ defloratæ recuset illam nubere, cum stupratore, uel etiam ipsa deflorata recuset, nequaquam cogi possunt*: In hoc uerò euentu stuprator tenetur eam dotare, ut habetur in iure *cap. 1. de adult.* Glossa *ibi verbo dotabit*, Hostiens. *num. 1. in fine*, et alij relati, et approbati Farinac. *vbi sup num. 105.*

Vide Menoch. *de arbit. iud. lib. 2. casu 288. nu. 9. in addit.* & Gaitier. *in qq. canon. cap. 37. nu. 28.* qui benè declarant, qualis dos constituenda sit in hoc casu à stupratore.

26 Sexta conclusio. Si stuprator sit clericus, cui defloratam in vxorem ducere non licet, non ideò propter hoc excusatur à præstatione dotis, vt inquiunt Panormit. *in cap. peruenit nu. 4.* Henricus Boich. *nu. 1. de adult.* Caccialup. *in repetit. l. si qua illustris, num. 20. C. de Orphic.* Diaz. *in practica crim. canon. cap. 83. in verbo stupri, nu. 2.* & Baiard. *ad Clarum in §. Stuprum, num. 10.* relati, & approbati à Farinac. *num. 107.*

27 Limitātur præfatæ conclusiones, in quibus dictum est, teneri stupratorem ad dotandam defloratam, vt locum non habeant; si puella stupratori dotem remiserit; Quia talis remissio suo valore non careret, si ea sui iuris esset, quia iuri suo quilibet renunciare potest *l. si quis in conscribendo, iuncta Glossa, C. de pact.* Rota *decis. 269. nu. 3. p. 1. in recent.* Secus verò, si habeat parentes, ac subindè non sit sui iuris; Quia tunc hæc remissio stupratori non prodesset, vt sustinent nonnulli allegati, & approbati à Farinac. *nu. 117.* Immò Baiard. *vbi sup. nu. 19.* tuetur, stupratorem omninò teneri ad dotem, etiam si deflorata remiserit eam.

28 Superest videndum, an ob impotentiam soluendi præfatum debitum teneatur corruptor religionis ingressum prorogare; Et ideò dico, si vno, vel altero anno probabiliter credatur satisfacturum esse toti, vel saltem notabili debiti parti, perspicuum esse demorari debere, donec soluat: secus verò si hæc spes non habeatur iuxta expedita *disp. 2. dub. 3.* & ità in proprijs terminis docet Sanchio *lib. 8. de matrim. disp. 30. num. 16.* Hic tandem notandum iuxta Petrum Gregor. *in sintagm. iur. lib. 36. cap. 9. rub. de stupratoribus num. 3. ad finem*, quem refert, & sequitur Farinac. *nu. 109.* talem inopem, & impotentem fustigari, exilioq; damnari debere.

Disputatio

Disputatio IIII.

IN hac disputatione enodandæ sunt conditiones vigore statutorum nostrorum seruandæ in receptione nouitiorum, quæ cum supradictis iuris communis non conueniunt.

D V B I V M I.

An fieri posſit à Religione hęc Constitutio, vt probationis habitus nulli olim hæretico, vel infideli concedatur.

S V M M A R I V M.

1 *An apud P P. Minores Sancti Francisci de Obseruantia, & Minimos S. Francisci de Paula specialiter prohibeantur recipi descendentes ex genere maculato circa fidem.*

2 *An Religio posſit condere statutum contra ius commune.*

Quod statutum dicatur contra ius.

3 *An pœnitentes hæretici admitti posſint ad Religionem.*

4 *An validè statuerint Capuccini, vt non recipiantur, qui olim fuerunt hæretici, vel infideles. Et an ingreſſus, vel profesſio contra tale statutum sit nulla nu. 8.*

5 *An posſit condi statutum præter ius.*

Quod statutum dicatur præter ius.

6 *An Religio posſit statuere, vt ad profesſionem emittendam requiratur ætas viginti annorum.*

7 *An sit validum statutum Religionis Hierosolymitanæ, vt ad eam non recipiantur qui sunt ex Patre, vel auo notario.*

1 RESPONDEO prænotandum esse primò. Patres Minores de Obseruantia à Summis Pontificibus obtinuerũt speciales bullas, quibus ingreſſus in illam Religionem interdicitur descendentibus à Iudæis, Sarracenis, vel hæreticis vsque ad quartam generationem. Quæ bullæ referuntur à Rodriquez in sua Collectione priuilegiorum, & interpretantur

tur ab eodem Doctore *tom.3.q.11.art.4.* & etiam à Miranda *in manual prælatorum tom.1.q.19 art.7.* Aliam huiusmodi bullam obtinuerunt alumni Sancti Francisci de Paula. Quæ omnes, cum sint pœnales propter pœnas in eis contentas, & comprehendant has dūtaxat peculiares religiones, ad alias non extenduntur, quicqd nonnulli non satis cautè dixerint. Et est ratio, quia in pœnalibus licèt fiat aliquando extensio ex verisimili mente de casu ad casum, non tamen fit de persona ad personā, ac proinde, nec de religione ad religionē *l. si quis ita §. si quis cū ignor. ff. de test. tut.* cum alijs per Aret. & alios *in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de liber. & post.* & Tiraquel. *in l. si vnquam, in verbo libertis num. 23. C. de reu. dōn.* & dictum fuit à Rota *decis. 383. num. 9. p. 1. diuer.* Et in proprijs terminis docet Rodriq. *tom. 1. q. 55. art. 17. ad finem,* has bullas non extendi ad alias religiones. Notandum verò ob fauorem, quem continent hæ Cōstitutiones, appellari posse partim pœnales, partimq; fauorabiles: Sunt enim pęnales, quia earum transgressores pœnas in eis contentas incidunt: Et è conuersò sunt fauorabiles Religioni, dum interdicunt ingressum ijs, qui ab infidelibus, & hæreticis descendunt. Vndè huius fauoris causa extendi possunt ad alias religiones vi cōmunicationis priuilegiorū, ac subindè liberū est cuiuis religioni illis vti, hac tamen conditione, vt qui cōmodū ex eis consurgens sentire volunt, debeant quoq; incommodum sentire, subijcientes se illis pęnis *c. rationi, de reg. iur. in sexto.*

2 Secūdò. Nulla religio cōdere pōt statutū contra ius cōe canonicum, nisi speciali priuilegio hāc ei facultatē concedēte decoretur. Ità apertè sumit ex *c. cū super his, de maior. & obed.* & docetur à Panorm. Dec. *in c. si duobus, de appellat.* Nauar. *lib. 1. cons. 3. n. 1. de elect. lib. 3. cons. 26. n. 4. de regular. in 2. edit.* Rodriq. *tom. 1. q. 10. art. 3. & tom. 3. q. 11. art. 1. circa med.* Miranda *vbi sup. vers. secundo præmitto,* Suarez *de legib. lib. 6. c. 26. n. 7.* Duard. *in bullā cęn. lib. 1. c. 1. q. 1. n. 7.* & dictum fuit à Rota *in simili decis. 267. nu. 7. & 8. coram Greg. XV.* Et tunc statutum dicitur contra ius canonicum, quando aliquid contra aliquem canonem, vel legem Pontificiam disponit, vt colligitur apertè ex Rota *decis. 497. nu. 1. p. 1. in recent.* exempli gratiâ, statutum excludens à beneficijs certum genus personarum dicitur contra ius, vt inquit Butr. *in c. cū dilectus à n. 38. in 2. lectura de consuet.* & sæpissimè resolutum fuit à Rota *decis. 65. n. 7. p. 1. in recent.*

quia

quia est contra *c. ad decorem, de instit.* Quando igitur religio tale statutũ facere vult, necesse est, vt beneplacitũ Papæ interueniat, nec sufficit illud haberi in genere, quia confirmari debet in forma speciali; nam confirmatio in forma cõmuni nihil operatur, vt dictũ fuit à Rota *in decis. 267. coram Greg. XV. modo citata, vbi nu. 14. alias decisiones, & doctores cumulat* Beltramin.

3 Tertiò pęnitentes heretici iure cõi admitti nequeũt ad religionem sine dispensatione Papæ, maximè si differant pęnitentiã post sententiã, vt dictũ fuit *disp. 2. dub. 16.*

4 His pręmissis sit conclusio. Cum omnis Religio habeat generalem potestatem condendi leges, vt colligitur ex Innocent. *in c. singulis, versus finem, de statu monachor.* Caiet. *statim citando*, & docetur expressius à Sebast. de Medicis *de legib. & statut. p. 1. q. 9. & 15.* Vasq. 1. 2. *disp. 153. c. 1. n. 5.* Salas 1. 2. *disp. 8. sect. 18.* & Suarez *statim citando* dũmodò, nõ sint positiuè contra ius canonicũ, minimè hesitandum est, potuisse religionem nostrã facere præfatam cõstitutionem, vt scilicet nullus, qui olim fuit hæreticus, aut infidelis reciperet. Ratio est, quia tale statutum nõ est positiuè cõtra ius canonicũ. Lex .n. inferioris esse põt duplici modo cõtra legẽ seu ius superioris. Primò positiuè, secundò negatiue: uel primò cõtra ius prohibens, secundò cõtra ius concedens, seu non auferẽs aliquid. 8
Statutũ quidẽ positiue contrariũ iuri cõi, vbi .s. aliquid prohibet,
5 fieri non põt per inferiorẽ Sũmo Pontifice. Statutum verò q̃ solũ est negatiue contrarium iuri cõi, fieri põt per inferiorem Summo Pontifice. Cum ergo nullũ ius canonicũ reperiat̃ præcipiens, vt ij olim infideles sint ad omnẽ religionẽ habiles, vel prohibens, vt nõ excludãtur ab aliqua religione, liq̃do constat, memoratam constitutionẽ non esse positiue contra ius canonicum, sed esse negatiue, idest p̃ter dictũ ius canonicũ. Ex quo sequitur quãlibet religionẽ addere posse aliq̃ conditionẽ in receptione nouitiorũ, quæ à iure cõi non requiratur. Exẽpli gratia ius cõe requirit ętatẽ sexdecim annorũ, quatenus professio sit valida, põt religio statuere, vt in ea necessaria sit ętas 20. annor. & professio ante facta sit irrita, vt docet Nau. *cõs. 24. n. 2. de reg. in 2. edit.* et est cõis sentẽtia inter DD. ut testat̃ Suar. statim citãdus. Hãc cõclusionẽ tenet Caiet. *ĩ opusc. to. 1. trac. 31. resp. 5.* eãq; late defẽdit Suar. *to. 4. de rel. trac. 10. li. 2. c. 2 à n. 4.* et ĩ p̃prijs terminis Rot. *decis. 297. n. 1. p. 1. ĩ recẽt.* dixit statutũ

quod

quod habet Religio Hierosolimitana, vt in eo Ordine pro fratrib. militibus non admittatur ille, qui ex patre, aut auo scriba, seu notario, aut tabellione publico natus fuerit, non esse contra ius commune, quia non datur lex, vel Canon, vbi contrarium disponatur, & citatur ibi *decisio 23. nu. 1. lib. 3. penes Puteum.* Aliud quoq; simile statutum iudicatum fuit validum ab eadem Rota *decis. 215. nu. 1. coram R. P. D. Coccino,* vbi allegatus fuit Dec. *in cap. dilecti, nu. 48. de appell.*

Hæc conclusio est contra Nauar. *in cons. 26. citato,* Rodriq. & Mirand. *in locis citatis,* & etiam contra Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. nu. 30. & in præcep. decal. lib. 5. cap. 4. n. 73.* Hi enim DD. censuerunt præfatum statutum esse contra ius canonicum; sed verius est non esse, vt probatum est. Quapropter summa prudentia sancitum fuit in Religione nostra, ne præfati reciperetur; quia experientia docet, eos vt plurimum inconstantes in fide esse, in moribus ab alijs Christi fidelibus discrepare, & res diuinas cum difficultate apprehendere; Quare frequenter eo deuotionis affectu carent, qui desideratur in ijs, qui statum religiosum, & maxime austeritates nostras amplecti cupiunt.

8 Notandum tandem, non esse irritum ingressum ad probationē, & etiam ad professionem alicui concessum contra hanc conditionem; Quia Constitutiones verbis irritantibus non vtuntur. Et idem dicendum de ingressu, & professione facta contra alias Constitutionum conditiones, excepta illa, de eo, qui morbo galico, vel alia infirmitate contagiosa laborabat, & rogatus noluit eam manifestare; quia eius ingressus, & professio est inualida, eo quod Constitutiones verbis irritantibus vtuntur, quod fusè dub. 15. disp. 13. probabitur.

DVBIVM

DVBIVM II.

Quomodò intelligenda sit conditio illa, quæ vult, vt venientes ad religionem nostram sint integræ valetudinis mentis, & corporis, ità vt comprehendatur, eos non petere ingressum, nisi causa Deo solummodò seruiendi.

SVMMARIVM.

1 *Perfectiorem integritatem mentis requirunt in recipiendis ad Religionem statuta Capuccinorum, quàm ius commune.*

2 *Quomodo dignoscenda valetudo corporis in recipiendis ad ordinem.*

3 *Qualis habitudo corporis expostuletur in recipiendis ad Ordinem Capuccinorum.*

4 *An peccet mortaliter, qui in sua receptione ad Religionem aliquod graue impedimentum sanitatis occultet.*

5 *Quę intentio necessariò desideretur in recipiendis ad Ordinem.*

1 RESpondeo triplici conclusione. Prima. Quoad validitatem mentis pro indubitato habeo vi huius conditionis desiderari in ijs, qui ueniunt ad religionem nostram sanius iudicium, quàm ius commune exigat, Enucleatum fuit *disp. 2. dub. 7.* carentes usu rationis, ut amentes, & furiosos esse iure communi ad religionis ingressum inhabiles, quia huiusmodi personę reputantur mortuę *l. diuus, ff. de offic. præsid. l. furiosum C. qui testa. fa. pos.* Quapropter licèt iure communi non sit ad religionem inhabilis natura leuis, & inconstans, neque qui ex corporis lęsione est stolidus, neq; surdaster, aut mutaster, uel balbuciens, neque laborans alio huiusmodi impedimento, dummodo non sit tantus, ut mentis discretionem excludat, prout latè probat Barbat, *cons. 59. vsque ad num. 12. vol. 2.* & etiam probabitur infrà *disp. 13. dub. 15. notãd. 2.* quia homo in hoc statu est subiectum ad recipiendam professionẽ dispositum. Nihilominus minimè dubito, hos uigore huius Constitutionis minimè recipi posse inter nos, quia non sunt satis sanę

mentis,ut benè inquit Barbat. loquens præcipuè de surdastro, & mutastro.

2 Secunda conclusio. Quoad secundā huius conditionis partem dico, ad praxim solam esse necessaria in recipientibus prudentia, qua expendatur, quanta sit petentis ingressum valetudo corporis, & an censeatur habilis ad austeritates, labores, oneraq; religionis perferendas; Et ideò D. Bonau. *in opusc. in qq. circa regulā nostrā q. 10.* docet non esse recipiendos ad hanc vitam imbecilles, qui rigorē ordinis sustinere nequeunt. Facit adhoc *c. quia in insulis, de regul.* vbi prohibetur receptio puerorū ante decimū octauum annum in insulis, quia ibi dura est congregatio monachorum: Et hac ratione, quia scilicet valdè aspera est vita nostra extendunt hunc Canonem ad nos, & ad PP. Prædicatores Panormit. *in d. cap. quia in insulis,* Anchar *ibi num. 1.* & Ang. *tit. nouitius num. 2.* Et quamuis censeam id decretum contrario vsu esse reuocatum, vt tenent Ioan. And. & Butr. *in d. cap. quia in insulis.* Zabare. *in Clem. eos, nu. 6. de regular.* D. Anton. *3. p. tit. 16. cap. 3. in fine.* Sylvest. *tit. religio 5. q. 2.* & Nauar. *lib. 3. cons. 33. nu. 2. de regular. in 2. edit.* Attamen dispositio huius text. valdè facit ad rem nostram, vt scilicet inhabiles ad onera, atq; austeritates religionis nostræ sustinendas vi huius Constitutionis minimè recipi possint. Hinc Zabarella ait, *d. c. quia in insulis* obseruari debere in suo casu, idest vbi dura est congregatio. Non tamen existimo inhiberi ingressum affectis quadam debili corporis habitudine, maximeq; si ad statū clericalem recipi debeant, dummodo probabiliter censeatur eos esse habiles ad essentiales saltem status nostri austeritates perferendas; Non enim abbreuiata est manus Domini, omnibusq; nobis notum est, legi in Conformitatibus, vocem Domini in vertice Montis Fontis Palumbi auditam fuisse dicentis: Scio quantum humana fragilitas possit, & quod auxilium huius vitæ sequacibus ego ipse impertiri decreuerim.

4 Notari verò oportet, ingressurum religionem lethali labe coinquinari, si interrogatus de bona valetudine falsò graue aliquam, vel contagiosam infirmitatem, vel aliud huiusmodi sanitatis impedimentum occultet. Quod procedit, etiam si non sit interrogatus, quando ille ex se tale impedimentum aduertit, vel de eo rationabiliter dubitat, Quod fusius infra probabitur: & ita docet

Nauar.

Nauar. *lib.3.conf.25. de regular.& in 2. edit.conf.*48. Suarez *tom.3 de relig.lib.5.c.4. in fine*. & Miranda *in manual. pralat. tom.1. q.19. artic.2.*

5 Tertia conclusio. Quò ad posteriorem huius conditionis partem dico, à Constitutionibus desiderari, vt non recipiantur nedũ qui coacti, sed etiam qui inani gloria, vel temporali affectu, humanoue respectu ad religionem veniunt: sed eis duntaxat concedatur ingressus, qui sponte, recta, sanctaq; intentione ducti religioni se mancipare cupiunt, quatenus de peccatis pœniteant, Deo fideliter famulentur, Religioni inseruiant, atque sperent, mediante diuino auxilio austeritates, & religionis incommoda vsq; ad extremum, vitæ terminum sustinere. Hanc quoq; conditionem exigit Constitutio Sixti V. *Cum de omnibus* §.4. in qua decernitur, vt, vltra alias conditiones, quas ui huius Constitutionis habere debẽt, qui religionis ingressum petunt, constet, eos non humana aliqua ratione, sed tm̃ deuotionis, & pietatis feruore uitam religiosam sponte, & ex animo elegisse.

DVBIVM III.

Qui sint illi infames, quibus ingressus in Religionem nostram interdicitur.

SVMMARIVM.

1 *An statuta Capuccinorum prohibeant ingressum Religionis infamibus. tàm facti, quàm iuris.*

2 *Quæ sit infamia iuris, & quæ infamia facti.*

3 *Propter quæ delicta inducatur infamia tàm à Iure Canonico, quàm à Ciuili.*

1 RESpondeo vnica conclusione. Cum uitæ, ac morum honestas ingressuris religionem necessaria sit, quia amissio honoris, & famæ excedit amissionẽ totius uitæ *l. isti quidẽ in fine, ff. q met. caus.l.iusta, ff.de manum.vind.& l.quis qs, C. de postul.* late Rim. *iun. cõs.243.à n.59.& cõs.268.n.59.* & Giouagn. *respons 18.n.16. lib.1.* Hęc statuta, seu Cõstitut. nrę, iure meritò ꝓhibẽt receptionẽ eorũ, q notãtur ĩfamia, & ab exẽplis ab eisd. statutis adductis apte colli

gitur, omnem infamem tàm iuris quàm facti repelli ab huius religionis ingressu. Et quamuis infamia facti non inducat irregularitatem, nisi proueniat ex delicto hac pœna infamiæ à lege expressè punito, vt infrà *disp. 9. dub. 22.* dicetur: nihilominus minimè hæsitandum est, per hanc constitutionem nostram interdici ingressum quibuscunq; infamibus, etiam si aliquando ratione huius infamiæ facti non sint absolutè, strictèq; irregulares; quia opinio eius, qui petit religionis ingressum, in nullo vacillare debet, vt colligitur ex *can. laici dist. 33.* Hęc constitutio summa prudentia sancita fuit; nam si ijs infamibus portæ dignitatum patere non debēt *l. vnica. C. de infamibus l. 2. C. de dignitatibus, cap. inter dilectos, de excessibus prælat. & reg. 87. infamibus in sexto*, recta ratio etiam suadet, vt ingressus religionis eis occludatur.

2 Infamia iuris non inducitur, nisi pro delictis, quæ in lege ciuili, vel canonica notantur infamia, vt *in dub. 20.* citato fusius dicetur. At infamia facti in casu nostro inducitur cum opinio alicuius grauata est apud bonos, & graues viros super aliquo crimine, seu peccato. Ita Dynus *in regul. infamibus n. 2.* Felinus *in cap. testamentum num. 14. de testibus.* Vgolinus *de irregular. cap. 60. num. 4.* Syluest. *tit. infamia num. 2.* & alij; Et ideò qui notati, seu grauati sunt hac infamia recipi inter nos nequeūt.

3 Vide *can. constituimus 3. quæst. 5. can. omnes, can. illi, can. infames 6. quæst. 1. & can. tantis, Daniel dist. 81.* vbi habes, per quæ crimina inducitur infamia. Vide etiam Doctores, & pręcipuè Azorium *tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 3.* referentem delicta, quibus & iure ciuili, & canonico inducitur infamia.

Disputatio

Diſputatio V.

IN hac diſputatione examinandę ſunt quędam conditiones, quę licèt in iure, vel in regula, aut ſtatutis non ſint expreſsę: attamen per quandam conſequentiam iuxta Doctorum ſententiam religionis ingreſſum prohibent.

DVBIVM I.

An Hermaphroditi in Religionem recipi poſſint.

SVMMARIVM.

1 *Viri ad Religiones virorũ, fæmina verò ad Religiones fæminarum ſunt recipiendę.*

2 *Qui Hermaphroditi ſint inhabiles ad ſacros Ordines, vel ad beneficia num 5. vel ad Religionem.*

3 *De honeſtate quicunque Hermaphroditi arcendi ſunt ab ingreſſu Religionis.*

4 *An Hermaphroditi ſint irregulares.*

1 RESPONDEO, prænotandum eſse. Quamuis ſtatus religionis ſit viris, & fœminis cõmunis, quia vterque ſexus eſt habilis ad religionem: hoc tamen cum proportione accommoda intelligi debet, id eſt, vt viri ad religiones pro viris inſtitutas, & fœminæ ad ſuas ſint habiles. Quare fœmina ad ingreſſum religionis virorum eſt inhabilis, & è contrariò vir ad religionem fœminarum, vt habetur *in can. diffinimus 18. quæſt. 2.*

2 Hoc prænotatò, ſit prima concluſio. Cum Hermaphroditi nec ſimpliciter mares, nec ſimpliciter fœminę ſint, ſed utrumq; ſexum participent, dijudicari debent iuxta ſexum pręualentem *l. quęritur, ff. de ſtatu hominum.* Vndè quemadmodum ille, in quo ſexus fœmi-

fœmineus præualet, per legem diuinam neque ad sacros ordines, neq; ad beneficia admitti potest, vt docent Doctores præsertim Henriquez *lib. 14. de irregular. cap. 8. num. 6.* Ità neq; ad ingressum religionis virorum aptum esse constat. è contrario verò si virilis sexus prædominetur, ad monasteria mulierum est inhabilis. Quod si vterq; sexus est æqualis, cum æquè & vir, & fœmina iudicetur; à quacunq; religione absolutè reijciẽdus est. Ità Nauar. *lib. 1. cons. 8. nu. 3. de ætate & qualit. in prima addit. & in 2. lib. 3. cons. 47. n. 3. de regular.* & Sanchez *de matrim. lib. 1. disput. 106. nu. 10.*

3 Secunda conclusio. Quamuis in rigore non sit inhabilis ad religionem virorum Hermaphroditus, in quo præualet sexus masculinus. sanum tamen est consilium, ei talem ingressum non con-
4 cedere. Primò quia licèt nonnulli, & præsertim Nauar. *cap. 27. num. 203.* asserãt, esse characteris capacem, propter tamen indecẽtiam, & monstruositatem est irregularis, vt docet Suarez *tom. 5. disp. 51. sect. 2. num. 1.* affirmans doctores omnes hanc sequi sententiam, ea fortè freti communi legis regula, qua omnes corpore
5 vitiati irregulares declarantur, vt habetur *cap. 1. dist. 36.* Secũdò, quia iuxta Azorium *p. 2. lib. 6. cap. 2. quæst. 3.* excluditur ab ordinibus, & beneficijs, si verisimiliter credatur, quod ex tali promotione aliorum offensa oriretur.

DVBIVM II.

An persona affecta censura Ecclesiastica in Religionem admitti possit.

SVMMARIVM.

1 *Quando sine graui peccato excommunicatus nequeat admitti in Religionem.*
2 *An ingressus excommunicati criminosus sit validus.*
3 *An professio excommunicati sit valida.*
4 *An aliæ censuræ, excommunicatione excepta, impediant Religionis ingressum.*
An aliquo modo indicent aliquam indignitatem petentis ipsum ingressũ.

Respon-

1 RESpondeo duplici conclusione. Prima est. Excommunicatus maiori excommunicatione religionem sine graui peccato ingredi, nec eam recipi nequaquam potest. Et est ratio, quia cum excommunicatio priuet communi communicatione, præsertim spirituali; hic ingressus fieri nequit sine eadem communicatione spirituali. Ità non obscurè sumitur ex Panormit. *in c. cum illorum nu. 4. de sent. excom.* Felino *ibi n. 2.* Auila *de censur. p. 2. c. 6. disput. 6. dub. 6. vers. de professione*, & docetur expressius à Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 4. num. 8.* & Gregorio *lib. 3. consil. q. nu. 4. de regular.* Quod procedit ex parte recipientiū, quando excommunicatio est notoria, vt benè aduertit Panormitan. Immò neutra ex parte intercedit culpa, si excommunicatus petat ingressum ea intentione, vt beneficium absolutionis statim in ingressu obtineat, & eadem religio facultate cum absoluendi gaudeat. Quod amplia, vt etiam si excōmunicatus sit nominatim denunciatus, satisfacta tamen parte nō censeri inhabilem ad religionē in eo casus, in quo Religiones gaudent priuilegio eum absoluendi, vt probabitur *disp. 9. dub. 9.*

2 At estò excommunicatus cum culpa ingrediatur, & recipiatur: nihilominus talis ingressus est validus, vt iure optimo docent Panormit. Felin. & Suarez; & est ratio, quia si valida est professio excommunicati, ut sumitur ex *c. illorum de senten. excom.* & confirma- 1
tur à Ioan. de Lignan. *de sent. excom. in tract. 2. f. 3. n. 9.* Panormit. Felin. Couarr. *4. decret. part. 2. c. 6. n. 3.* Nauar. *lib. 3. cons. 3. n. 1. in 2. edit.* Henr. *lib. 13. de excom. c. 7. n. 7.* Rodriq. *to. 3. q. 17. art. 14.* & Sayr. 3
de cens. lib. 2. c. 9. n. 18. qui alios quāplures refert; ualidus etiā dijudicatur ingressus; eo magis, quia professio est actus maioris perfectionis, quàm ingressus. Ità Auila *p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 6. ad fin.*

3 Dixi *professionem excōmunicati esse validā*. Quod intelligēdū est, quādo recipit uia, & auctoritate ordinaria; quia si uirtute alicuius rescripti Apostolici admittatur excōmunicatus; tunc talis professio est inualida, eo quod illud rescriptum ab excōmunicato impetratū, est irritū *c. 1. de rescrip. lib. 6.* Ità allegato Calder. docet Felin. *ubi sup.* & iam docent Gemin. & Marian. Socin. quos refert, & approbat Rodriquez modò citatus, & confirmatum est ab alijs præsertim à Sayro, quicquid dicat Couarr. *vbi sup.* Quod tamen intelligendū est, ut benè notat Rodriq. dummodo in rescripto non sit clausula, quæ communiter apponi solet, ut scilicet impetrans ab omni censura absolui possit ad effectum recipiendi professionem, quia in

hoc.

hoc euentu valida esset. Existimat etiam Felinus iuxta mentem nonnullorum, qui ab eo citantur, eam suo valore non carere, si Abbas recipit excommunicatum non principaliter virtute rescripti, sed diceret, se alias eum recepturum.

4 Secunda conclusio. Quamuis aliæ censuræ, excepta excommunicatione, per se nõ impediant in rigore religionis ingressum; quia neq; in sua formali priuatione, vt sic dicam, continent talem prohibitionem, nec speciali aliquo decreto latæ inueniuntur, neq; etiam habent impedimentum irritans professionem, & multò minus receptionem, vt benè notat Suarez *ubi sup.* Nihilominus possunt esse aliquando signa, quòd persona indigna sit, vt ei concedatur ingressus; Idcircò Superiores in ijs præcipuè recipiendis cautè procedere debent.

DVBIVM III.

An Bigami in Religionem admittendi sint.

SVMMARIVM.

1 *An de rigore iuris Bigami sint inhabiles ad Religionem.*
An possint promoueri ad Ordines.
2 *An omni priuilegio clericali nudentur, meriq; Laici existimentur.*
3 *Ad Bigamiam contrahendam requiritur copula, & consummatio.*

1 RESpondeo hac conclusione. Quamuis in rigore bigami non sint ad religionem inhabiles: Nihilominus quia ad ordines promoueri nequeunt, vt patet ex *can. 1. & 2. dist. 33. & ex cap. 1. 2. & 3. de bigamis*, & efficiuntur incapaces omni beneficio ecclesiastico, Rota *decis. 519. num. 5. p. 2. in recent.*
2 Immò omni priuilegio clericali nudati sunt, meriq; laici existimantur, vt sumitur *ex cap. vnico, de bigam. in sexto*, & ex Trident. *sess. 23. c. 17. ad fin. de reformat.* & latè probant Paris. *de resignat. lib. 4. quæst. 4. nu. 18. & seq.* & Garg. *de benefic. p. 7. cap. 6. num. 2.* & dictum fuit à Rota, *decis. 357. nu. 4. in fine, p. 2. in recent.* regulariter loquendo non sunt in religionem admittendi, nisi ad statum laicalem, eò vel maximè, quia religio non gaudet priuilegio dispensandi super hac irregularitate,

laritate, vt *disp. 9. dub. 14.* enucleabitur; & Pontifices, vt plurimũ se præbent difficiles ad hanc dispensationem concedendam. Quare bigamo statum clericalem petenti concedi non debet religionis ingressus, nisi adeò fulgeat, vel ratione nobilitatis, seu dignitatis personæ, vel splendore virtutum, vel excellentia morum, vt ex hac parte suppleantur incommoda, quæ Religio perpessura esset ex eius receptione, eò quòd ad ordines promoueri non posset.

3 Hic notandum est, non solum esse necessarium ad contrahendã bigamiam, ex qua consurgit irregularitas, vt quis cum pluribus ineat matrimonium, sed etiam requiritur in ijs matrimonijs copula, & consummatio; Quia nulla bigamię species contrahitur per quæcunq; matrimonia, quæ ineantur cum fęmina cuiusuis status, nisi carnalis cõmixtio in ijs matrimonijs intercedat, vt habetur in iure *cap. debitum, de bigam.* Et ita pòst Couarru. *in Clem. si furiosus de homic. p. 1. §. 2. n. 2.* Maiol. *de irregul. lib. 1. c. 33.* Victorel. *in addit. ad Tolet. lib. 1. c. 67. in fine;* & alios, relatos & approbatos à Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 83. num. 4.* dixit Rota *decis. 819. n. 5. p. 2. in recent.*

DVBIVM IV.

An Religionis ingressus concedi possit illegitimis.

SVMMARIVM.

1 *Quid statuerit Sixtus Quintus, quo ad receptionem illegitimorum.*
2 *Quomodo nunc sint recipiendi.*
Inquisitio de vita, & moribus eorum est facienda nu. 6. & 7.
3 *Filius illegitimus non potest recipi viuente Patre in eadem Religione.*
4 *An stando in terminis Constitutionis Greg. XIV.* Circumspecta Romani Pontificis, *sit irritus ingressus in Religionem illegitimi, ex incestu, vel sacrilegio, nisi præcesserit informatio, de qua ibi.*
5 *Nunc certum est talem ingressum esse validum.*
6 *Illegitimus dicitur infamis.*
7 *Si morum honestate fulgeat, non est turpis persona.*

M Respon-

1 RESpondeo, Sixtum Quintum anno 1587. sexto Calend. Decemb. edidisse bullam incipientem *cum de omnibus*, in qua inhibuit recipi in quacunq; religione illegitimè procreatos ex incestu, aut sacrilegio, eos scilicet, quorum parentes consanguinitate, vel affinitate intra quartum gradum inuicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouerit: & si reciperentur, eorum receptionem, & professionem voluit esse irritam, & nullam. Concessit tamen hos incestuosos, & sacrilegos admitti posse ad habitum tantum Conuersorum, seu famulorum. Decreuit præterea alios illegitimè procreatos, exceptis præfatis sacrilegis, & incestuosis, recipi posse, nempe spurios, siuè naturales ex quouis alio illegitimo thoro natos. Voluit tamē, vt prius diligens de ipsorum vita, & moribus inquisitio fieret: immò decreuit, hos sic receptos ad gradus, & honores, & dignitates sui Ordinis obtinendas perpetuò inhabiles, & incapaces remanere. Et si quis horum aliter, quàm vt præfertur, reciperetur, professionem esse similiter nullam declarauit.

Aliam bullam edidit idem Sixtus V. incipientem *ad Romanum spectat Pontificem*, in qua nonnulla dubia super dicta priori Constitutione exorta declarauit.

2 Gregorius XIV. Anno 1590. alia sua incipiente *Circumspecta Romani Pontificis prouidentia* moderatus est præfatas Sixti V. Constitutiones, easq; ad terminos iuris communis reduxit. Decreuit tamen, vt cum de recipiendis quomodocunq; illegitimè natis ad habitum, & professionem Ordinum quorumcunq; ageretur, hi, ad quos huiusmodi receptio spectat, præter alia, de quibus ex dictarum constitutionum præcepto circa quoscunq; etiam legitimos perquirere debeant, diligenter vitam eorum, & mores inquirant, & ità demum eos recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, aut tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumq; receptio religionis cōmodo, & vtilitati profutura videatur. Hāc quoq; morū informationē requirit
3 Sixtus V. in prefata bulla *cum de omnibus*. Preterea idem Gregor. XIV. expresse prohibuit admitti filiū illegitimum in eā religionē, in qua Pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij emisit professionē, dummodò adhuc viuat.

4 Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 37. n. 55.* existimat, quod si ante bullam

Clē-

Clementis VIII. *incipiente in suprema Ecclesiæ Apostolicę specula,* in
qua reducūtur ad terminos iuris quoad nullitatē professionū prę-
fatæ Sixti V. Cōstitutiones; receptus fuisset illegitimè procreatus
ex incestu, vel sacrilegio non præmissa informatione, quā postulat
Sixti V. Cōstitutio, talis receptio, & nouitiatꝰ fuisset irritus. Du-
citur, quia Greg. XIV. non omninò correxit hāc constitutionem,
sed tantum decreuit, vt præmissa quadam informatione, ij ince-
stuosi, & sacrilegi essēt religionis status capaces. Ergo ea informa
tione non præmissa iudicandū quoq; est ingressū ad probationem
esse inualidum. Alijs tamen placet, & pręcipuè Suar. *to. 3. de relig.*
lib. 5. c. 7. n. 14. Sixti V. Constitutionē fuisse à Greg. XIV. quoad
hanc illegitimorū partem omnino reuocatam & ad terminos iuris
5 redactam. At quicquid sit de hac lite, nūc pspicuū est, post pdictā
Clementis VIII. Costitutionē suo valore non carere ingressum
præfatorū non pmissa memorata informatione, et si ij incestuosi,
& sacrilegi fuissent ante hāc Clemētis bullā recepti, vt ex eadem
bulla expressè colligitur. Notari verò oportet, superiores omninò
debere præfatam morum informationē à Sixto V. & Greg. XIV.
6 pfixā pręmittere, priusquā religionis ingressū illegitimè pcreato
cōcedant, quia iuxta Azo. *in sum. C. ex quibus causis infamia irroga-*
tur natus ex matrim. nō legitimo dicit infamis infamia facti. *Et in*
l. fratres, C. de inoff. testam. habetur spuriū esse turpem personam, ꝙ
nonullis allegatis approbat Perillustris & obseruandissimus Dñs
meus Mercurialis Merlinus in suo doctissimo tractatu *de legitima*
lib. 1. tit. 2. q. 13. n. 22. Quod videtur tenuisse etiā Rot. *in Bonon. bo-*
7 *norū 17. Martij 1572. corā Lancellot.* Si verò spurius, aut illegitimè
pcreatus morum honestate fulgeret, nullo modo censendus esset
turpis psona, vt habetur expressè *in can. nunquā de vitijs. can. Apo-*
stolica, & can. seq. dist. 56. & cōfirmatū est ab eodē Merlino. Quin-
immo legimus, naturales aliquādo solere acutiores esse ingenio,
& perspicatiores legitimis. Giouagn. *respons. 21. n. 44. lib. 1.* & Cas-
san. *in consuet. Burg. rub. 8. §. 3. n. 8. & seqq.* vbi refert de Salomone,
Romulo, Alexādro Magno, Hercule, Iephte, Iabel, Tubalchain,
Bartolo secundū aliquos, & Iasone. Quare necessaria est pfata mo-
rū examinatio, eo ꝙ cōstare debet nulla turpitudinis labe esse sau-
ciatū illegitimè pcreatū: īmo ita esse virtute pditū, vt deleta sit sui
ortꝰ macula, habilisq; ad Religionis ingressū censeat, vt pfatę Pon-
tificū cōstitutiones exigunt.

DVBIVM V.

An penitus illiterati ad statum clericalem admitti possint?

SVMMARIVM.

1 *Qui illiterati excludantur ab Ordinibus, à statu clericali in Religione, & à beneficio simplici.*
2 *An necessariò desideretur in Monaco scientia, vel solū vitæ integritas.*
3 *An recipiendus ad statum clericalem in Religione debeat, non ignorare saltem prima grāmatices rudimenta.*
4 *An verò eam scientiam, quæ necessariò requiritur in promouendis ad Ordines.*
Quæ scientia requiratur in recipiendis ad statum Conuersorum ex decreto Clementis VIII.
5 *An balbutientes sint admittendi in Religionem ad statum clericalem.*

1 RESpondeo triplici cōclusione. Prima est, cum literarū omninò nescij ab ordinibus repellantur *can. præcipimus, dist. 34. can. illiteratos dist. 36. can. pęnitentes dist. 55. & c. fin. de temp. ordin. in sexto.* nullus est ambigendi locus, quin etiam à statu clericorum in religionibus excludi debeant. Quod probatur; nam quemadmodum ad ecclesiastica beneficia, etiam simplicia nequeunt promoueri, qui ea saltem scientia non pollent, quæ desideratur ad diuinum officium persoluendum, vt docent Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 6. q. 2. & 3.* Gonzalez *ad reg. mensium gloss. 4. nu. 73.* & Garzia *de benefic. p. 7. c. 7. nu. 9.* qui alios refert. Ità eodem prorsus modo, qui hac scientia non est præditus, vt possit post professionem recitare diuinum officium, omninò est excludendus à statu clericali. Dixi *post professionem*: quia nō est inhabilis ad religionem, si speretur, eum tempore probationis tantum in literis profecturum, quantū est ei necessarium ad diuinum officium soluendum.

2 Obijcies ex Glossa *in can. legi, verbo instructio 16. q. 1.* haberi, necessariam non esse Monaco scientiam, sed solum vitæ integritatem. Respondeo hanc Glossam intelligendam esse de Monacis laicis, vt expressè sumitur *ex can. generaliter 16. quæst. 1.* Nam olim

tempore

tempore exorientis ecclesiæ quamplurimi statum laicalem humi-
litatis gratia in religionibus eligebant.
3 Secunda conclusio. Licèt Nauar. *in c. si quando, exceptio 13. n. 8. in fine, de rescriptis.* sustineat, eum non dici penitus illiteratũ, neq; beneficij incapacem, qui scit verba latina legere, quamuis ea non intelligat, & presertim si scit etiam scribere. Nihilominus in casu nostro probabilius censeo petentem religionis ingressum esse ad illum inhabilem, nisi scit legere, & intelligere saltem prima grammaticę rudimenta. Quod probo, nam sicuti quis non dicitur habilis ad beneficium non requirens scientiam, vel magnam curam, nisi sciat legere, scribere, & etiam aliquantulum linguam latinam intelligere: quia hæc intelligentia censetur necessaria, vt quis sit aptus ad recitandum diuinum officium, ad quod tenetur beneficiatus. Ità pari ratione, qui non habet hanc intelligentiam non est habilis ad religionis ingressum, vel saltem ad professionem emittendam; quia in Religione hoc diuini officij pensum soluere tenetur.

Confirmatur hęc conclusio auctoritate quamplurium Doctorũ loquentium de scientia, quæ requiritur in eo, cui tale beneficium confertur. Hi præsertim sunt Azorius, Gonzalez, & Garzia, qui Hoiedam, & Flaminium Parisium citat, & ità resoluit Rota *p. 2. diuer. decis. 16. nu. 5.* dicens quod parum sciens, etiam sine spe plus proficiendi, dicitur habilis ad beneficia non requirentia sciẽtiam, vel magnam curam. Excipiuntur Moniales, in quibus præcipuè habet locum opinio Nauar. sufficit enim, vt sciant legere, eò vel maximè, quia ad nullum ordinem promoueri possunt.

4 Ampliatur hęc conclusio, vt petentes religionis ingressum non habentes nisi sciẽtiam in hac conclusione declaratam non admittãtur ad statum clericalem; Quia cum religio recipiat eos, quatenus ad sacros ordines promoueantur, debent etiã pollere ea scientia, quæ necessaria est ad hos ordines suscipiendos, vt decernitur in Trident. *sess. 23. cap. 11. 12. & 14.* & ità docet Grassius *p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 10.* vel saltem haberi debet probabilis spes, vt in Religione sufficienter discant. Et quamuis in rigore quis pollẽs intelligentia in conclusione declarata dicatur habilis ad statum clericalem; nihilominus si promoueri nõ posset ad ordines sacros, Religio ex eius receptione magnum incõmodum pateretur. Hinc
cle-

Clemens VIII. in bulla incipiente *cum ad regularem disciplinam*; cuius titulus est, *Institutiones super receptione, & educatione nouitiorum &c.* decernit, quod recipiendus eam literarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suis temporibus maiores ordines iuxta decreta Sacri Concilij Trident. suscipere valeat. Pręterea ordinat, vt in conuersos nō recipiantur illi, qui saltem pręcipua Doctrinę Christianę capita nō nouerint.

5 Tertia conclusio. Ille, qui adeò graui linguę defectu laborat, vt sit balbutiens, ac proindè à diuinorum integra pronunciatione notabiliter impediatur, adscribi non debet in clericorum militiam; quia iuxta Nauar. *de hor. can. c. 19. n. 88.* allegantem Ioannem Andream, maximè periculosum est, talem balbutientē ad sacros Ordines, & pręcipue ad presbyteratum promouere. Et quamuis nulla lege expressè id cautū sit, recta tamē ratio nobis suadet nullum admitti debere ad illud officium, quo fungi nequit. Et intelligitur conclusio, etiam si iste scientia modò declarata polleat.

D V B I V M VI.

An corpore vitiati in Religionem admitti debeant.

S V M M A R I V M.

1 An qui sine notabili horrore deformitatis, vel scandalo habitum Religionis inducere nequeunt, sint inhabiles ad Religionem.

Corporis deformitas animi deformitatem declarat.

2 An qui leniori corporis vitio laborant, sint inhabiles ad Religionem.

Arbitrio Superioris relinquitur, quod modicū corporis vitium dicatur.

1 RESpondeo duplici conclusione. Prima est. Quamuis de ijs nullum ius expressè loquatur quo ad religionis ingressum; nos tamen iudicium facere debemus iuxta determinata in iure, circa eorum promotiones ad ecclesiasticos ordines, & beneficia. Cum ergo *dist. 55. & tit. de corpore vitiatis, & tit. de cleric. ęgrot.* habeamus eos ab ordinibus, & beneficijs arcendos esse, si vitium sit deforme; vel membrum deficiens necessarium sit ad sacerdotale mini-

ministerium: consequenter dicendum est, eos quoq; in religionē admitti non debere eo vel maximè, quia iuxta Panormit. *in c. quia diuersitatem n. 1. in fine, de concess. preben.* corporis deformitas animi deformitatem declarat. Et qui omnino deformis est, pręsumitur malus, vt ex quampluribus auctorum auctoritatibus comprobat Tiraq. *tract. de legibus connubial. lege 1. num. 47. & 48. & 49.* Idem affirmauit Petrus Placa *lib. 1. epito. delict. c. 2. num. 4.* Hieronymus Maggius *lib. 4. miscella c. 4.* & Corasius *tract. de sacerdotijs p. 3. c. 6.* quos allegat, & approbat Menoch. *de arbit. iudic. lib. 2. casu 226. num. 5.* Et ideo non est recipiendus, qui manu, oculo, aure, labio, mento, digitis ad sacerdotium necessarijs, pede, aut alio huiusmodi membro careret. Idemq; iudicium est de claudo, vel alia deformi infirmitate laborante, ita vt sine notabili horrore, aut scandalo religionis habitum induere non posset. Et tandem qui secundum ius canonicum ad ordines iudicantur inhabiles, in religionē quoque nullatenus admittendi sunt ratione indecentiæ, & damni, quod religio indè passura esset.

2 Secunda conclusio. Quò ad alios aliquo leuiori vitio laborātes, ita vt ex tali vitio, seu impotētia religionis iniuria non timeatur; vt sunt gibbi, vel visu, aut auditu debiles, vel quidam claudi, vel qui brachia breuiora, uel aliquam maculam leuem in facie nō grauiter deformantem habent, uel qui laborant alio defectu, qui uel occultari potest, uel super eo facilè dispensatur; censeo considerandum esse in tali receptione & qualitatis defectum, & etiam statum, quem hic petit: Et demum recipiens præ oculis habens religionis utilitatem, proximiq; salutem & etiam quod species exterior in religioso esse debet honesta, & apta ad ædificationem, inducet animum suum, uel ad concedendum, uel ad negandū ingressum, prout in Domino expedire iudicauerit; Poterit enim corporis defectus aliquando compensari, uel magna morum probitate, uel doctrina, uel nobilitate, quibus incommodum religionis ex defectu corporis proueniens alia uia reparetur. Et tandem notandum arbitrio iudicis, id est Superioris relinqui, quod modicum corporis uitium dicatur, ut notant Glossa *in c. 2. verbo visum fuerit, de corpor. vitiat.* Butr. & Cardin. *ibi* Palac. & Corasius *in locis modò citatis*, et etiam Menoch. *vbi sup. num. 7.*

Disputatio VI.

IN hac disputatione discutiendum est de informationibus, & inquisitionibus habendis, vt quis in religionem licitè recipi possit.

DVBIVM I.

Quæ sint ea, quæ circa nouitiorum receptionem inquiri debeant.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio tituli.*
2 *Quæ exquirenda sint à petentibus Religionis ingressum de iure naturali.*
3 *Quæ de iure canonico, & ex vi Constitutionis Sixti Quinti,* cum de omnibus.
4 *Quæ de iure municipali.*
5 *An omittere inquisitionem earum qualitatum, quę nullo iure præcipiuntur, sit peccatum mortale.*
An examinandi sint promouendi ad Ordines, si eorum sufficientia, & dignitas nota sit.
6 *An circa petentes habitum Religionis sit instituenda inquisitio sub peccato mortali de ijs qualitatibus, quæ aliquo iure præcipiuntur.*
7 *An recipiendus teneatur sub peccato mortali manifestare occulta impedimenta.*
An si non manifestet, professio sit nulla.
An Ordinandus teneatur occulta impedimenta pandere.
An qui Prælatum deciperet occultans impedimenta, esset capax sacramentalis absolutionis.

RESPON-

1 RESPONDEO. Quia inquisitio, seu informatio, quæ fieri debet in receptione nouitiorũ, oritur vel ex obligatione iuris naturalis, vel canonici, vel iuris põtificij, vel tandẽ ex eo, ꝙ in regulis, atq; statutis cuiuscunq; religionis decernit; Hinc triplici conclusione huic dubio satisfaciam.

2 Prima est. Quoad obligationem ex iure naturali consurgentem dico, qui in religionibus hac facultate recipiendi nouitios potiuntur, teneri in hoc graui negotio seruare prudentiæ rationẽ, ita vt admittatur, qui ad religionem idoneus est, & à Deo vocatus, & religioni habilis censetur, & è contrario qui inhabilis est, excludatur. Hinc consurgit obligatio inquirendi ea, quæ prudẽtatio fundo esse necessaria ad hoc iudicium prudenter ferendum. Quæ autem, & quanta esse debeat hæc inquisitio, seu examinatio prudentis arbitrio relinquitur, neque plura ex vi solius iuris naturæ dici possunt.

3 Secunda conclusio. Quoad obligationem ex iure canonico, vel Constitutione Sixti V. manantem fieri debet inquisitio de cõditionibus, quæ vel iure canonico, vel vigore eiusdem Constitutionis Sixti V. requiruntur in ijs, qui religionis ingressum petunt: quæ quidem conditiones in superioribus disputationibus latè, fuseq; enucleatæ fuerunt. Et quia vi dictæ Constitutionis Sixti

4 Quinti fieri debet diligens inquisitio de vita, & moribus recipiendi, notari oportet. Primò, hanc Constitutionem nullam exigere inquisitionem de vita, ac moribus eorum, qui decimum sextũ suæ ætatis annum nondum expleuerunt. Secundò. Quò ad maiores, & anteactam vitã postulare præcipuè, vt recipiendus non sit criminosus, aut de crimine suspectus, nec sit ære alieno grauatus, neque reddendis rationibus obnoxius. Quæ omnia quomodo intelligẽda sint, in superioribus fusè declaratum fuit. Tertio, postulare diligentem inquisitionem de parentibus, & patria: quam inquisitionem requirebat Pontifex, vt constaret recipiendum non esse illegitimum, nam hos in religionem recipi prohibuerat. Et quamuis quoad hanc partẽ moderata fuerit hæc Constitutio à Greg. XIV. ita vt ij illegitimi nunc sint ad religionem habiles: ex Constitutione tamen eiusdem Gregor. XIV. apertè colligitur esse etiam nunc necessariam hanc inquisitionem, non vt ij illegi-

timi à religione excludantur, sed vt diligenter inquiratur, an eorum mores, & merita suppleant natalium defectum, vt dub. 4. disput. antecedenti expeditum fuit.

4 Tertia conclusio. Quoad obligationem ex statutis peculiarib. precedentem quisque superior regulas, statutaq; suæ religionis obseruare debet. Quare à Superioribus nostris fieri debet diligens inquisitio conditionum, quæ à regula, & etiam à Constitutionibus nostris postulantur, de quibus omnibus latè in superioribus disputationibus dictum fuit.

Ex ijs conclusionibus insurgunt duæ difficultates. Prior est, an recipientes teneantur sub labe peccati de quacunque ex præfatis conditionibus sigillatim inquirere. Posterior est, an sub eadē peccati labe teneatur recipiendus aperire impedimenta etiam occulta, quæ ingressui religionis obstare possunt.

Ad priorem respondeo. Quamuis conditiones præfixæ, vel à lege canonica, vel à Constitutione Sixti Quinti, vel à regula seu à statutis magis, aut minus necessariæ sint, quatenus quis licitè admitti possit in religionem, vt in superioribus latè traditum fuit: nihilominus aliæ sunt, quarum specialis inquisitio, seu informatio non præcipitur: aliæ verò, quarum hæc inquisitio sub præcepto mandatur.

5 Quoad priores dico. Quemadmodum examinatores tūc nulla culpa se inficiunt prætermittendo examen, quod fieri debet ijs, qui promouendi sunt ad ordines, quando eorum sufficientia, & dignitas est nota: Hi enim nequaquam sunt examinandi *can. nullus 2. dist. 24.* & confirmatur à D. Anton. *3. p. tit. 14. c. 16. §. 13.* & Syluest. *vit. ordo 2. q. 4.* Ità pari ratione tunc non peccant Prælati recipientes ad religionem quempiam sine vlla præfatarum conditionum inquisitione, quando notum est, vel probabilibus coniecturis pro certo habetur nullo modo impediri, quin ad religionem transferri possit: secus verò si conditio recipiendi sit ignota, vel si concurrant circunstantiæ, quibus rationabilis alicuius impedimenti dubitatio habeatur; quia tunc fieri debet inquisitio de vna, vel altera harū conditionum, de quibus rationabiliter dubitatur: & hoc intelligitur etiam si idem ingressurus nullo laboraret impedimento. Quod probatur, nam sicuti examinatores prætermittere nequeunt examen absq; culpa, si digni, sed minime noti promotio-

motionem ad Ordines petat,vt colligitur ex D.Anton.& Syluest. modò citatis: Ità eodē prorsus modo Superiores religionum prętermittere non possunt in hoc casu inquisitionem harum cōditionum. Quod confirmatur,nam cum sint partes superiorum ratione sui officij admittere duntaxat habiles, & è contrariò excludere inhabiles,patet,eos ad memoratam inquisitionem teneri, quia sine ea consequi non possunt perfectam cognitionem eorum, qui conditionibus requisitis pollent,vel qui eis carent.

6 Quò verò ad posteriores conditiones, quarum inquisitio præcipitur,vt sunt illæ à Constitutione Sixti V. præfixæ, vel etiam illa tradita à regula nostra, vt scilicet examinentur venientes ad Ordinem nostrum de fide catholica,dico maiorem difficultatem esse, an prætermissio inquisitionis earum sit peccaminosa: Nihilominus censeo recipientem nullo peccati nexu illaqueari omittendo eam circa omnes,vel vnam, aut alteram ex ijs cōditionibus,quotiescunq; vel ex certa scientia, vel ex probabilibus indicijs, seu coniecturis pro certo habet non esse necessariam respectu personę, quæ in religionem admitti postulat. Quod probatur, nam quotiescunq; sumus in claris mediante certa scientia, vel habemus moralem certitudinem mediantibus probabilibus coniecturis,petentem religionis ingressum vna; vel altera, seu omnibus conditionibus,aut requisitis esse præditum, tunc nulla intercedit ratio, per quam rationabiliter suspicari possit quis de eius inhabilitate. Ergo cessat quoq; ratio inquisitionis circa has conditiones, eo quod iam sufficienter habetur ea informatio, quæ ex mente Pontificis desideratur. Quod confirmatur,nam manifesta non indigent examinatione *can.manifesta 2.q.1.*& in notorijs ordo est ordinem iuris non obseruare,vt dicit Rom.Pontifex *in c. ad nostram 3.de iureiurando*. Ità docent D. Bonauen. *c.2.* Corduba *c.2.q.4.§. notandū tamen* Sorbus *tit.nouitius, de receptione nouitiorum vers.ac primum* Politius *cap.2.nu.14.* & Miranda *in manual.prælat. tom.1.q.18. art.1. ad finem* loquentes de examine fidei catholicę, quod ex pręcepto regulæ nostrę fieri debet. Et ità dicendum est de examine circa conditiones à constitutione Sixti quinti requisitas, quia in vtraq; obligatione est par ratio. Quod quidem intelligendum est quoad forum conscientię,quod ideò dico,quia respectu fori exterioris pręfata inquisitio necessariò fieri debet authenticis attesta-

tionibus, vt in sequentibus dubijs dicetur. Disputatione sequenti discutietur quod peccatum, & quas pœnas incidant Superiores ex omissione huius inquisitionis, seu informationis, quando necessariò fieri debet.

7 Ad posteriorem verò difficultatem, an scilicet recipiendus teneatur sub pœna lethalis culpæ aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur religionis ingressus. Resp. affirmatiuè, quæ quidem assertio habet locum, etiam si non sit interrogatus, dummodo impedimẽtum aduertat, aut de eo dubitet. Ità Nauar. *lib. 3. cons. 25. de regular. & in 2. edit. cons. 48.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 4. in fine*, Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 19. art. 2.* & Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. cap. 16. n. 35.* Immò potest esse aliquando tanta hæc deceptio in rebus grauioris momenti, & quæ redduut personam prorsus inutilem ad religionem, vt receptio sit nulla, vt inquit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 2. c. 3. nu. 5.* Idest receptio ad professionem tunc est nulla, quando deceptio est circa substantialia, vt infrà enodabitur.

8 Probatur assertio posita, nam quemadmodum ordinandus habens aliquod vitium occultum tenetur, vel ab ordinibus abstinere, vel pandere vitium, quod reddit eum ordinis incapacem, vt si patiatur ætatis defectum, vel sit irregularis, vel habeat aliud simile impedimentum, vt constat *ex c. nisi cum pridem, de renunciat. vers. pergraui, cap. innotuit, vers. multa enim, & can. ex pœnitentibus dist. 50.* & confirmatum est à Glossa *in d. c. nisi cum pridem, verbo non potuerit, & in d. c. innotuit, verbo reatum*, Archidiac. *in d. can. pœnitentibus*, Innocentio *in c. inquisitionis nu. 4. de accusat.* Panormit. *in d. c. innotuit nu. 6.* Felin. *in c. si scitatus num. 8. de rescriptis*, D. Antonin. *3. p. tit. 14. c. 16. §. 13.* Angel. *tit. ordo 7. num. 1.* Syluest. *ordo 2. q. 2.* & Tabiena *ordo 6. nu. 1. in fine*. Ità eodem prorsus modo petens religionis ingressum, & habens aliquod impedimentum tenetur, vel desistere ab ingressu religionis, vel illud Superioribus aperire; Nam quotiescunq; proceditur non ad punitionem, sed vt vitetur peccatum, tenetur interrogatus aperire impedimẽtum occultum; quod procedit etiam si non sit de eo rogatus, dummodo illud aduertat, vel saltem de eo dubitet, vt dictum est. Quare si quis hac occultatione superiorem deciperet, obtineretq; religionis ingressum, esset vtique tempore probationis incapax absolutionis donec, vel

impe-

impedimentum occultum eidem superiori aperiret, vel e monasterio egredi nollet. Quod ex dictis liquidò constat, & à magistris nouitiorum notari debet.

Limitatur hęc assertio, ut non habeat locum in eo, qui aliquid occultaret, per quod vel ingressus, uel professio non esset inualida, uel non esset decepta religio in re grauioris momenti, uel per illud idem receptus non redderetur impotens ad onera, austeritatesq; religionis perferēdas, ac subinde religioni nō redderetur inutilis.

DVBIVM II.

Quibus conditiones nouiciorum disquirere incumbat.

1 *A quibus instituenda inquisitio circa qualitates recipiendorum.*
2 *Maximè apud RR. PP. Minores de obseruantia.*
3 *Item apud Capuccinos.*
Qui veniant nomine seniorum Capucinorum.
4 *Quomodo sit facienda inquisitio qualitatum recipiendorum in Religionem.*
5 *Quid dicatur diligens inquisitio ad humanam fidem faciendam.*
Testis sine iuramento fidem non facit.
An iuramentum de consensu partium omitti possit.
6 *Qualis debeat esse depositio testium examinandorum super qualitates recipiendorum in Religionem.*

1 RESpondeo triplici conclusione. Prima est. Vigore Cōstitutionis Sixti V. hęc inquisitio in generali, uel prouinciali capitulo facienda erat: Nolebat enim idem Pontifex quempiā extra capitulum, & absq; definitorū consensu recipi. At quia ipsemet in hac parte eandem bullā moderatus fuit per alium, quæ incipit *Ad*
2 *Romanum spectat Pontificem*, & ulterius Ministris Fratrum de Obseruantia concessit, ut quolibet anni tēpore nouitios recipere ualerent per quoddā indultum, quod incipit *Nuper quidem*, ut refert Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 21. art. 3. concl. 1.* Ideò nūc hęc inquisitio Prouincialib. & illis patribus incūbit in quocumq; loco

sint,

sint, quibus nouitiorum receptio cõmittitur. Similē concessionē, sed ampliorē fecit nobis Capuccinis Greg. XIV. ut scilicet Prouinciales quolibet anni tempore possent admittere venientes ad Ordinem adhibito consensu trium, vel quatuor fratrum ex senioribus eiusdem conuentus, vbi receptio fieri: ità infert Sorbus *tit. nouitius, de receptione nouitiorum vers. & in anno*. Per antiquiores nõn intelliguntur, qui ætate annorum sunt tales, sed qui vel in dignitate, & preeminentia sunt constituti, vel sunt in religione seniores, & ità in praxi obseruatur, vt testantur Miranda *in manual. pralat. tom. 1. q. 21 artic. 4. concl. 5.* & Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 2. vers. 3. & notandum*.

4 Secunda conclusio. Inquisitio, seu informatio, quam postulat præfata Sixti V. constitutio, fieri potest iuridicis attestationibus per Iudices tàm Ecclesiasticos, quàm seculares, quam postea memoratis Patribus examinandam exhibere sufficiet. Qui quidem modus & in nostra, & in alijs religionibus iam consuetudine cõprobatus est, vt testantur Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 2. fin.* Miranda *vbi sup. art. 3. concl. 1.* & Beia *p. 4. cas. 19.* Immò etiam fieri potest iuxta Suarez *tom. 3. de relig. lib. 1. cap. 10. num. 14.* ab aliquo fideli ministro ad hoc per religionem, seu eius Prelatum constituto; Ex quo fit, illam committi posse alicui idoneo religioso. Quod etiam concessit Clemens VIII. conuentui Sancti Stephani Ordinis Predicatorum quadam bulla incipiente *In his, quę ad religionē*, quam referunt Rodriq. *vbi sup. art. 1.* & Miranda *art. 1.* Quare vigore huius concessionis integrum est Prelatis aliquem religiosum deputare, qui sine strepitu iudiciario tale negotium perficiat adhibendo, vel notarium, vel aliquem religiosum, qui iuxta determinatā *c. quoniam contra iuncta Glossa de probation.* notarij vices sustineat.

5 Tertia conclusio. Quia illa dicit diligens inquisitio, quæ sufficiens est ad humanam fidem faciendam; hinc est satis esse, examinare iuridicè, idest cum iuramento, duos, uel tres testes, qui sint absq; suspicione. Dixi *iuridicè*, quia testes sine iuramento fidem non faciunt, *l. iurisiurandi, C. de test. c. Nuper, eod. tit.* Gloss. *in c. pręsentium, verbo producendos d. tit. in sexto*, & Rota *decis. 234. n. 5. p. 1. in recent.* etiam si notarius asserat testes iuratos deposuisse, nō per hoc probat iuramentum, Butr. *in cap. fraternitatis, num. 21. de test.*

test. Alex. *consil.* 42. *num.* 9. *vol.* 2. Verall. *decis.* 281. & 298. *p.* 3. & Rota *modò citata*, *maximè cum non dicat tactis scripturis* Burr. *d. num.* 21. Verall. *vbi sup. & decis.* 123. & 246. *p.* 2. cum Rota *d. n.* 5. Et quamuis aliquando de consensu partiũ iuramẽtum omitti possit: in hoc tamen casu non conceditur; quia iuramentũ in proposito nostro non in fauorem partium, sed ipsius religionis desumi præcipitur, cuius vtilitati nullus renunciare potest, & si fiat, a-
6 ctus inualidus erit. Rodriq. *vbi sup. art.* 13. *vers. circa eandem* existimat, non sufficere testes asserere, se non nouisse huiusmodi venientes ad ordinem aliquo ex enumeratis impedimentis, alligatos esse: sed attestari debere, se certò scire, eos à præfatis omnino liberos, ac solutos esse. Nihilominus minimè dubito sufficere, si deponant se per plures annos eorundem iuuenum notitiam habuisse, & nunquam eos talibus irretitos cognouisse: Et quod aliter esse non potest, quia ipsi scirent. Ita nonnulli allegati, & approbati à Rota *decis.* 325. *num.* 5. *coram Greg. XV. decis.* 350. *num.* 7. *coram Mantica*; quod etiam dictum fuit ab eadem Rota *decis.* 951. *num.* 8. *coram Seraph.* vbi allegatus fuit Aret. *in c. tertio loco, de probat.* & ita in proprijs terminis tenet Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 14.

DVBIVM III.

A quibus examinandæ sint, & approbandæ nouitiorum informationes.

SVMMARIVM.

1 *An examinare informationes nouitiorum spectet ad eos, ad quos spectat receptio.*
2 *An talis examinatio possit delegari.*
3 *Delegatus ad vniuersitatem causarum censetur quasi Ordinarius.*
4 *Quis censeatur delegatus ad vniuersitatem causarum.*
An delegatio vniuersalis respectu personarum, licèt non quoad causas, dicatur ad vniuersitatem causarum.

Respon-

1 RE spondeo hac conclusione. Vigore Constitutionis Sixti V. examinandę, atque approbandę sunt hæ informationes à Capitulo generali, uel prouinciali, idest ab eodem Capitulo examinari debet, an eę informationes sufficienter factę sint; Ità apertè colligitur ex p̄fata constitutione, & etiam ex alia bulla eiusdem Constitutionis declaratoria, & confirmatur à Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 17. & 18.* At quia Gregorius XIV. concessit Superioribus nostris posse nouitios recipere accedente assensu trium, uel quatuor fratrum ex antiquioribus monasterij, ubi fit receptio, sequitur, ad hos spectare in nostra religione examinationē, & approbationem harum informationum. Et ita dicendum est de unaquaq; religione, ut scilicet penes eos resideat hęc auctoritas, qui facultate recipiendi nouitios gaudent.

2 At insurgit difficultas, an ij recipientes possint alijs hanc examinationem, & approbationem subdelegare. Respondent Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 2.* & Miranda *in manual. prælat. tom. 1. q. 21. art. 4. concl. 4.* negatiuè, quia cum hoc sit nudum ministerium non potest alteri subdelegari *iuxta Clem. unicam, de offic. & potest. deleg. iuncta Glossa*. At pace tantorum Doctorum contrarium censeo esse asserendum. Primò quia non est improbabile, hanc auctoritatem eisdē Superioribus non esse delegatam; eo quòd Sixtus V. nullam facultatem eis concedit, aut delegat, sed potius iam de iure communi habitam restringit, & limitat: Quę cum semper in eis perpetua sit, semper quoq; censenda est ordinaria, & consequenter eo modo, quo apud eos residet, etiam delegabilis.

3 Secundò estò hęc auctoritas sit eis delegata. Nihilominus cēseo, illam subdelegari posse. Ducor, quia delegatus ad uniuersitatem causarū reputatur quasi ordinarius, ut resoluit Rota *decis. 765. num. 4. coram Seraphino*, ac subindè delegare potest prout ex multis probat Alexander Trentacinq. *lib. 2. uariar. resolut. in resolut. 11. num. 13.* & tenent communiter Doctores teste Couarru.

4 *lib. 3. variar. resolut. cap. 20. num. 11.* Ille uero tunc dicitur delegatus ad uniuersitatem causarum, quando ei genus causarum committitur sub uno nomine collectiuo, quamuis non sit generalissimum, sed subalternum, licèt sit restrictum quoad tempus, uel quoad quantitatem, uel quoad locum. Ita Bart. *in l. legatus num. 4. ff. de officio procons.* & Azebedo *lib. 3. recopil. tit. 9. l. 1. n. 5.* Ex quo fit.

Quem-

Quemadmodum iuxta Baldum *in l. solet n. 1. q. 4. ff. de iurisdict. omnium iudic.* Alexandrum *ibi nu. 9.* Socin. *in l. more nu. 40. ff. eod. tit.* & Bertachinum *in repert. lit. D. verbo delegatus ad vnam causam ante num. 10.* quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 31. nu. 4. vers. idem quando* quis dicitur delegatus ad vniuersitatē causarum, si delegatio sit vniuersalis respectu personarum; licèt non quoad causas, vt puta si omnes causæ mutui talis territorij alicui delegentur; Quia causa mutui est genus multas sub se continens species. Ità pari ratione dicendum est, præfatos prȩlatos in casu nostro ad vniuersitatem causarum esse delegatos; eo quod causa receptionis ad religionem est genus multas continens sub se species. Ergo subdelegare possunt, quia non committitur eis nudũ ministerium. Quod confirmatur, nam sicuti Sacerdos ab Episcopo, vel à proprio parocho delegatus ad assistendum omnibus matrimonijs parochiæ dicitur delegatus ad vniuersitatem causarum, etiam si ei limitetur tempus, vt iure optimo docet Sanchez *nu. 31. vers. dixi consultò.* Ità eodem prorsus modo prȩfati prælati appellantur delegati ad vniuersitatem causarum.

Notandum tandem. Quamuis in religione nostra prȩsertim in hac Bononiȩ Prouincia committatur Magistris, vt à nouitijs recipiant, ac videant has informationes, an sufficienter à Iudicibus sint expeditæ; Non ideò propter hoc dicuntur delegati prædictorum prȩlatorum, sed huius actionis sunt tantummodo executores.

DVBIVM IIII.

Quo tempore haberi necessariò debeant nouitiorum informationes.

SVMMARIVM.

1 *Quo tempore summendæ nouitiorum informationes ex dispositione Constitutionis Sixti V.* cum de omnibus.

2 *Moderatio dictæ Constitutionis habita à Greg. XIV. quoad Monasteria habentia perpetuas filiationes.*

3 *Amplior moderatio, & concessio Clementis VIII. quoad Conuentum Ordinis Sancti Stephani Salmanticensis Ordinis Prædicatorum.*

4 *De quo genere personarum recipiendarum ad Religionem non sint summendæ informationes.*

1 RESpondeo prænotandum esse primò, vigore Constitutionis Sixti V. necessè fuisse haberi has informationes, antequam reciperetur nouitius. Sed quia hoc in maximum animarum præiudicium, & damnum vertebatur, vt experientia docuit, eo quòd in præfatis attestationibus procurandis iuuenes suum religionis desiderium quibusdam propalari cogebantur, ex quo parentum postea, vel aliorum suasionibus, aut blanditijs, alijs ue modis tepefacti, vel à iure posito deterrebantur, vel in longum saltem protrahebantur.
2 Hinc Gregorius XIV. quadam Constitutione, quæ incipit *Circumspecta Romani Pontificis prouidentia*, quam refert Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 1.* concessit omnibus religionibus perpetuas filiationes habentibus probationis habitum impertiri posse summaria informatione habita circa conditiones per Constitutionem Sixti V. statutas: Quę quidem semiplena dicitur, si teste vnico constat, cum reseruatione tamen plenæ, vel pleniarię informationis iuxta mentem Sixti V. ante professionis terminum sumendæ. At quia hęc concessio facta fuit religionibus filiationes perpetuas habentibus, vt sunt monasteria monachorum, non extenditur ad eas, quę ijs filiationibus nõ gaudent, vt benè notant Rodriq. modò citatus, & Miranda *in manual. prelat. tom. 1. q. 21. art. 1.*

3 Secundum notandum. Clemens Octauus quadam bulla, quæ incipit *In his quæ ad Religionum propagationem spectant*, quam refert idem Rodriq. concessit religiosis conuentus Sancti Stephani Salmanticensis ordinis Prædicatorum, vt admittere possint ad probationis habitum solo iuramento præstito ab ipsis nouitijs, se ab omnibus in bulla Sixti V. contentis solutos esse, dummodo ante professionem plenam informationem iuxta eiusdem Sixti V, constitutionem capiant. Qua concessione nos, & omnes priuilegiorũ communicationem participantes vti possumus, vt citati Doctores fusè probant.

His prenotatis sit conclusio. Necessarium est omninò priusquam alicui probationis habitus concedatur, vel haberi memoratas informationes authenticas, vel ab ipsomet ingressuro desumi iuramentum secundum formam dub. 8. adnotandam, & postea ante professionem prefatas informationes absolutas procurari.
4 Excipiuntur puellę, quę habitum monialium induuntur, & pueri, qui decimum sextum suę ętatis annum nondum expleuerunt, in

quo-

quorum receptione prefatę informationes non sunt necessarię, nec etiam iuramentum, vt alias dictum fuit. Idem dicēdum de ijs, qui è remotissimis partibus ad claustra ueniunt, & etiam de religiosis, qui de uno ad alium ordinem transeunt, de quibus in sequentibus dubijs dicetur.

DVBIVM V.

An præfatę informationes requirendæ sint ab ijs, qui è remotissimis partibus ad Religionem veniunt.

SVMMARIVM.

1 *Quę informationes summendę de ijs, qui sunt ex remotissimis partibus.*
2 *Qui dicantur ex remotissimis partibus ad effectum, de quo agitur.*
3 *Quomodo adimplenda dispositio Constitutionis Sixti V. in receptione eorum, qui sunt ex remotissimis partibus.*

1 RESpondeo hac conclusione. Quotiescunq; informationes haberi non possunt ab his, qui ex remotissimis partibus venerint, vel habent patriam ab hereticis, aut infidelibus miserè oppressam, idem Sixtus V. per aliam Constitutionem, q̄ incipit, *Ad Romanum spectat Pōtificem*, concessit facultatem concedendi ijs religionis ingressum, & etiam admittendi ad professionem absque prefatis informationibus, dummodo adhibita conuenienti diligentia nihil in contrarium compertum fuerit. Iudicio verò Su-
2 perioris relinquitur, quando uerè è lōginquis, & remotissimis partibus esse dicantur. Rodriq. tamen *tom. 3. q. 10 art 13* existimat, eam dici remotissimam regionem, ad quam intra annum probationis difficulter recurri, & informatio indè extrahi potest.

3 Tunc uerò censeo in hoc casu adhiberi conuenientem diligentiam, quam requirit prefata Constitutio, quando ingressurus religionem, uel iureiurādo affirmat, se nullo impedimento Bullę Sixti Quinti obstrictum esse, uel saltem ij, cum quibus uersatus est in loco, seu regione ubi recipiendus est, fidem faciunt, quoad totum illud tempus, se nescire in tali persona aliquod ex dictis impedimentis reperiri.

DVBIVM VI.

An informationes petẽdæ sint à Religiosis ex vna ad aliam Religionem transeuntibus.

SVMMARIVM.

1 *An summendæ sint informationes iuxta dispositionem Sixti V. circa Religiosos de vno ad alium Ordinem transeuntes.*
2 *An Religiosi reddendis ratiocinijs publicis obnoxij possint recipi ad alium Ordinem, num. 3.*
3 *An sub dicta Constitutione Sixti V. comprehendantur Regulares militares, vel Ecclesiastici seculares.*

1 RESpondeo vnica conclusione. Cum Sixti V. Constitutio expressè tantum loquatur de commorantibus in seculo, Religiosi à tali onere immunes sunt. Cum enim hæc bulla pœnalis sit, strictè intelligenda, & interpretanda est. Ità Rodriq. *tom. 3. q. 10. art. 13.* & Miranda *in manual. prælat. tom 1. q. 21. art. 2. cõcl. 6.* Quod intelligendum est de omnibus regularibus etiam si procuratoris, vel camerlengatus officio, alioue huiusmodi functi sint in
2 religione, à qua discedunt. Excipiuntur professi in religionibus militaribus, & multò magis clerici, præsbyteri, & quicunq; ecclesiastici in seculo commorantes; quia præfata Sixti V. bulla omnes comprehendit, qui è seculo ad regularem statum transeunt.
3 Notari verò oportet, licèt claustralis quoad has informationes non comprehendatur in hac Sixti V. Constitutione: attamen, si ei desit aliqua huius constitutionis conditio, quam etiam requirat ius commune, recipi non posse in secunda religione. Exempli gratia admittendus non est in secunda religione obnoxius reddẽdis publicis ratiocinijs, vt enodatum fuit *anb. 15. disp. 2.*

DV-

DVBIVM VII.

Quę interrogationes faciendæ sint testibus supra prædicta deponentibus.

SVMMARIVM.

1 *De quibus interrogandi sint necessariò testes super qualitates recipiendorum ad Ordinem.*

Quæ sint ex dispositione Sixti V. quæ verò non.

2 *Ennumerantur interrogationes faciendæ testibus super qualitates recipiendorum.*

1 Respondeo. Quamuis ex supradictis sufficienter elici possint, interrogationes, quæ fieri debent in desumendis præfatis informationibus: nihilominus ad maiorem dilucidationem hic eas singulatim apponere censui. Et licèt non omnes hic enumeratæ vigore Constitutionis Sixti V. faciendæ sint, sed solū quarta in ordine, sexta, & septima: optimum tamen erit, eas omnes testibus proponere; quia vel vi iuris canonici, vel regulæ, vel constitutionum sunt necessariæ.

INTERROGATIONES.

2 1. An cognoscant parentes N.N. sciantq; eos esse veræ fidei catholicæ sectatores, ac bonæ famæ, & nominis.

2. An sciant N. præfatorum esse filium, ac de legitimo matrimonio natum.

3. An sciant eundem esse sui iuris, & liberum, vt disponere ualeat de persona sua, non ligatum matrimonij uinculo: Et an sciant eum promissionem dedisse alicui uirgini, uel mulieri eam ducendi in uxorem.

4. An sciant, eum esse uirum probum, ac bonis moribus prędi- tum: Et presertim an sciant eum perpetrasse aliquod delictum, vt homicidium, furtum, latrocinium, vel quid sim ile, quod fuerit deductum in iudicium, aut super eo aliqua facta fuerit inquisitio.

5. An

5. An sciant, eum amisisse bonum nomen apud homines ratione alicuius enormis delicti, uel pœnæ execrabilis ei illatæ, ita ut perpetua notetur infamia.

6. An sciat, eum esse debitis vltra facultates suas onustum, quę soluere non possit, ab eisq; faciliter se expedire.

7. An sciant, eum ratiocinijs tàm publicis, quàm priuatis esse obnoxium.

8. An existiment, eum bono fine ad religionem se transferre.

9. An sciant, eum esse integræ ualetudinis mentis, ac corporis, & pręsertim an sciant, eum aliquo morbo contagioso laborare.

DVBIVM VIII.

Quæ forma iuramenti sit præstanda ijs, qui volunt religionem ingredi, fidesque de vita, & moribus necessarias non habent.

RESpondeo hac, uel alia huiusmodi forma uti posse:

In nomine Domini die . . . mensis . . . anni . . . In loco nostro. N.

CVm Adm. R. P. F. N. N. Prouincialis huius nostrę Prouincię N. commiserit P. F. N. Guardiano, & Magistro nouitiorũ in hoc loco N. ut ijs, qui recepti fuerint à pręfato P. Prouinciali, & missi ad hunc locum causa ingrediendi religionem nostram, nullatenus concederet religionis habitum, donec eidem P. Guardiano literas iuridicis attestationibus firmatas exhibuerint, in quibus se nullo Constitutionis Sixti V. impedimento obstrictos esse pręcipuè appareat. Et si contingeret aliquem his literis testimonialibus carere, idem P. Prouincialis mandauerit ab eo iuramentum desumi sub forma infrascripta antequam habitu religionis induatur. Et cum N. N. literis obedientialibus Adm. R. Patris Prouincialis ad hoc monasteriũ causa suscipiendi probationis habitum se contulerit, literasq; testimoniales præfatas secũ non detulerit, P. Guard. prædictus decreuit iuxta præmissa interrogare eũ mediante iuramẽto antequã ad religionis probationem admittatur, prout de facto eum interrogauit præsentibus P. F. N. & P. F. N. testibus.

An

An aliquod delictum, puta homicidium, furtum, latrocinium, vel quid simile in foro contentioso deductum perpetrauerit, per quod curiæ suspectus existat. An ratiocinijs publicis, vel priuatis reddendis obnoxius sit: vel ære alieno supra vires facultatũ suarum grauatus existat. Et an de legitimo matrimonio natus sit, vel aliqua graui, incurabili, uel contagiosa infirmitate, vt morbo gallico, uel simili laboret: vel alio quouis impedimento se obstrictum sciat, per quod ad religionis statum capessendum inhabilis reddatur. Qui his omnibus interrogationibus coram prædicto P. Guardiano præsentibus præfatis Patribus respondit, se nullatenus conscium esse prædictis impedimentis obstringi, quod iuramento ei præstito tactis scripturis sacris confirmauit, & in prædictorum fidem manu propria se subscribet.

Io N. N. confermo quanto di sopra.
Ego F. N. N. fui præsens.
Ego F. N. N. fui præsens.
Ego F. N. N. prædicta scripsi fideliter de mandato, &c.

Disputatio VII.

In hac disputatione examinantur, quæ à Superioribus in nouitiorum receptione seruanda sint.

DVBIVM I.

Penès quos in Religione Minorum facultas recipiendi nouitios resideat.

SVMMARIVM.

1 *An Prouinciales Minorum gaudeant facultate ordinaria, vel delegata recipiendi nouitios.*
An Generalis Minorũ habeat plenariã auctoritatem recipiẽdi nouitios.
2 *An iurisdictio ex priuilegio Principis, competens non personæ, sed perpetuo dignitati censeatur ordinaria.*

3 An

3 *An prouincialium facultas recipiendi nouitios possit restringi à Generali.*

4 *An Custode. in Ordine Minorum possint recipere nouitios.*

5 *An Prouinciales possint committere alijs receptionem nouitiorum.*

6 *An hoc sit Regulæ Minoritæ relaxatiuum.*

7 *Admonitio ad Prouinciales, ne indistinctè committant receptionem nouitiorum.*

8 *An Vicarij, seu Commissarij Prouinciales absentis, vel mortui Prouincialis habeant eandem auctoritatem num. 10.*

9 *Item an Visitatores Generales.*

11 *Qua matura discussione sint recipiendi nouitij, & quibus pœnis digni, qui inhabiles, & ineptos admittunt.*

1 RESPONDEO, quia textus regulę *cap. 2.* inquit, quod Ministris Prouincialibus solummodo, & non alijs recipiendi fratres licentia concedatur, fuit inter Expositores cõtrouersia, an Prouinciales ordinariam, vel delegatam recipiendi auctoritatem haberent. Ex vna parte B. F. Hugo *cap. 2. non longè à princ.* sustinet, eos ex vi regulæ ordinaria potestate gaudere, quam opinionem sequebantur antiquiores, ut est uidere apud Quatuor Magistros *cap. 2.* Ex altera uerò sunt alij sustinentes præfatos Prouinciales non ordinariam, sed delegatam facultatem habere; quia regula non concedit eis absolutè hanc licentiam, sed dicit tantum eis concedatur. Huic opinioni fauet declaratio Gregorij IX. in bulla incipiente *Quo elonganti num. 7.* relata à Rodriq. *in compilat. priuilegior. bulla 4.* Fauet etiam c. exijt, §. *verum quia expresse, vers. sed quoniam de verbor. signif. in sexto*, ubi Nicolaus tertius ait; *concedimus licere non solum Generali, sed etiam Prouincialibus Ministris personas fugientes à seculo in fratres recipere.* At quicquid sit de hac controuersia.

2 Sit prima conclusio. Certum est apud Ministrum Generalem residere primariò, & originaliter auctoritatem recipiendi fratres, ut patet ex bulla Greg. IX. & *ex citato cap. exijt.* Quæ quidem auctoritas residet etiam apud Ministros Prouinciales, ut constat *ex d. cap. exijt.* & dicitur ordinaria, uel ex ui regulæ, uel saltem ex ui concessionis pontificię, quæ auctoritatem ordinariam confert

quia

quia iurisdictio ex priuilegio Principis competens non personæ, sed perpetuò dignitati, vel officio est ordinaria, & non delegata, & potestatis ordinariæ iura habet, Bart. *in l. ambitiosa num. 34. ff. de decret. ab ord. fact.* Bald. *in c. fin. vbi* Imola *ad finem, de offic. ordin.* Couarru. *lib. 3. vari. r. resol. c. 21. num. 9. in fine & num. 20.* Nauar. *cap. 27. num. 45.* Suarez *de legib. lib. 6. c. 15. nu. 1.* Barbosa *de offic. Episcopi p. 3. alleg. 92. num. 16.* & Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 40.*
3 *nu. 14. & lib. 8. disp. 2. nu. 10.* qui quamplures alios refert. Certum est etiam, hanc Prouincialium auctoritatem posse arctari, ac restringi à Ministro Generali, vt habetur expressè *in d. c. exijt.* Quod confirmatum est communiter ab Expositoribus.

4 Hæc quę dicta sunt, & statim dicentur, extendũtur ad Custodes iurisdictionem in actu exercito habentes, quia in omnibus æquiparantur Prouincialibus.

5 Secunda conclusio. Ministris Prouincialibus integrum est alijs hanc receptionem committere, quam delegandi auctoritatem non habent ex regula, vt declarauit Greg. IX. sed vigore concessionis pontificię, vt decreuit Nicolaus tertius *in d. c. exijt.* Probatur eam non habere vi regulæ, primò, quia vertitur in dubium, vt visum est, an ex regula concedatur absolutè eisdem Prouincialibus hæc auctoritas. Secundò, supposito, vt eis ex regula concedatur; quia tamen eadem regula his vtitur verbis: *Ministris solũmodo concedatur hæc licentia*, propter dictionem illam *solummodo* liquidò constat concedere eis memoratam licentiam, hac restrictione, vt alijs eam committere non valeant, quia hæc dictio solũmodo, seu tantum est limitatiua, vt in simili dixit Rota *decis. 9. num. 2. diuers. & decis. 235. num. 3. p. 1. in recent.* Probatur verò eos habere eam ex concessione Pontificis; quia cum concessio facta ijs Prouincialibus sit perpetua, & vniuersalis confert iurisdictionem ordinariam, & qui iurisdictione ordinaria gaudet delegare potest, vt habetur expressè *l. more, ff. de iuris. d. omnium iudic. l. cognitio, §. cum propriam ff. de officio eius, & cap. cum Episcopus, de offic. ordin. in sexto.* Ergo præfati Prælati committere possunt hãc receptionem.

6 Ex hac verò conclusione non inferas, fratres nequaquam posse vti hac concessione absque regulæ laxatione; nam cum hęc concessio facta fuerit ad mentem eiusdem regulæ, in nulla parte rela-

P xat

xat eam, vt iure optimo docent D. Bonauent. *c. 2. col. 1.* Quatuor Magistri *cap 2.* Politius *cap. 2. nu. 13.* & alij.

7 Caueant tamen Prouinciales, vt admonet Nicolaus tertius *in d. c. exijt.* & Martinus V. *cap. 2.* ne hoc munus indistinctè, aut passim alijs committant, sed de raro, & cum maxima circumspectione, & illis tantum patribus, quorum prudẽtia, & discretione maximè in Domino confidunt.

8 Tertia conclusio. Vicarij, seu Commissarij prouinciarum, qui vices Prouincialium in eorum absentia gerunt, non habent vigore sui officij hanc recipiendi facultatem; nisi eis specialiter ab eisdem Prouincialibus committatur. Ità decreuit Nicolaus tertius *in d. cap. exijt.* adhęrens menti regulę, quæ vult Prouinciales solũmodo frui hac licentia; Et ideò idem Pontifex non permittit extendi ad alios, nisi eis specialiter à Prouincialibus committatur. Notanda est dictio illa *specialiter*, quę specialem concessionem,

9 idest expressam exigit. Secus verò dicendum est de Visitatoribus à Ministro Generali ad vnã, vel alterã Prouinciam visitandã missis; Hi enĩ vi cõmissionis Generalis recipere ad Ordinẽ possũt.

10 Limitatur hęc cõclusio, vt locũ non habeat in eo cõmissario, cui cõpetit regimen Prouincię, si Ministro Prouinciali vitam finire contingat; quia vigore Cõstitutionũ, & ẽt consuetudinis ea gaudet auctoritate, qua potiunt Prouinciales. Idem censeo dicendũ, quando à Capitulo Prouinciali electus est aliquis absens in prouincialẽ: tunc enim cõsuetudo obtinuit à primo Definitore commissario, & ab alijs Definitoribus expediri omnia, & etiam receptionẽ nouitiorum, quæ expediri debẽt pro capituli absolutione.

11 Ex ijs conclusionibus infertur quanta maturitate, & deliberatione Seraphicus Pater noster Sanctus Franciscus optabat, filios suos in hac receptione procedere; nã coarctauit hanc licentiã solis Generali, & Prouincialibus, quorum prudẽtia multũ cõfidebat sperans eos recepturos esse aptos tantũ, & idoneos. Quare Nicolaus tertius *in d. c. exijt* Seraphici Patris pię mẽti se cõformãs inqt, *Non omnes indifferenter admittantur ad Ordinem, sed illi solummodo, de quibus suffragantibus literatura, idoneitate, & alijs circunstantijs sperari potest, quod sibi per vitę meritũ, & alijs proficere possint per bonũ exemplum, & etiã vtiles futuros esse eidem Ordini.* Facit ad hoc, quod habetur in iure *c. cum sit, de ætat. & qualit.* nempe sanctius esse pau-

cos

ços bonos, quàm multos malos habere ministros: & idē habetur *in can. Tales dist. 23.* Vndè nō sunt nouitij recipiendi solū propter augendā, aut propagandā religionē; quia bonū eiusdē religionis consistit non in personarū multitudine, sed in ijs, qui probitatem, & aptitudinē ad ministeria ordinis habēt: Quod de religionibus omnibus mendicantibus prudenter admonuit Caiet. *2.2.q.188. art.7. ad primum.* Hinc contra eos, qui tali cōsideratione nō habita inhabiles, & ineptos recipiūt, cōiter Expositores meritò exclamāt, esse omninò censendos, & acclamādos pijssimę Sancti Patris nostri regulæ, ac Pontificum intentionis apertos transgressores. Hinc tēpore mortis Omnipotenti Deo arctissimam rationem cum maximo ꝓpriæ animę pręiudicio se reddituros certò sciant; Quia ex praua receptione totalis religionis laxatio procedit; Et ideò grauissimis ex hac parte culpis obstringūtur, vti validissimis rōnibus ꝓbat Graff. *to.2. lib.3. cōs.4. à n.12. de regular.* & ēt temporaliter maioris superioris arbitrio puniēdi sunt, vt idē Doctor asserit.

DVBIVM II.

An recipiētes ad ordinē cōsiliū aliorū adhibere teneantur.

SVMMARIVM.

1 *An recipientes ad Ordinem teneantur recipere cum consilio, & assensu aliorum de iure communi*

An Prelati in grauibus teneantur petere consilium.

Creatio Monachorum ad quos spectet de iure communi. Itèm Monialiū.

2 *An sub creatione Monachorum veniat sola admissio ad habitum.*

3 *An de iure speciali admittantur ad habitum nouitij cū cōsensu aliquorū.*

4 *An Prelatus teneatur sequi cōsiliū consultorū in receptione nouitior. n.6*

5 *An iussus facere cum consilio alterius, qui sit particeps officij, teneatur illud non solum requirere, sed etiam sequi.*

An Auditor Rotę teneatur requirere, & sequi consiliū aliorū Auditorū.

7 *Qui veniant sub nomine antiquor. de quorū cōsensu sūt recipiēdi nouitij.*

8 *An consensus consultorū cum superiore sit habendus collegialiter in receptione nouitiorum.*

Apud ordinē Predicatorū quomodo recipiātur vota cōsultorū in receptione nouitiorum.

9 *An requirantur vota omnium consultorum, an verò maioris partis.*

Quid iuris si omnes consentiant, & solus superior dissentiat.

10 *Quod munus consultorum in receptione nouitiorum.*

11 *An Prelatus possit admittere ad habitum inuitis consultoribus & dissentientibus sine causa.*

12 *An idem iuris sit, si immineat necessitas, nec adsit qui possit consuli.*

1 RESpondeo quadruplici conclusione. Prima est. Cum receptio nouitiorum fieri contigerit, vel à Superioribus, quibus illa competit ex officio, vel à delegatis ab eisdem Superioribus, fieri licitè nequaquam poterit iure communi, nisi adhibito aliorum consilio, & assensu.

2 Probatur primò ex iure antiquo; Nam si Prelati in quouis negotio graui alios consulere tenentur, vt habetur in iure *cap. nouit. cap. quanto, & cap. ea noscitur, de his quę fiunt à prælat.* nullus est ambigēdi locus, nouitios admitti nullatenus posse, nisi adhibito hoc consilio; quia receptio nouitiorum est vnum ex grauissimis negotijs, quæ in religionibus expediuntur. Præterea quia creatio monachorum, attento iure communi, spectat ad Abbatem & Conuentum, vt docet Glossa *in cap. fin de regular. in sexto* communiter recepta, & maximè ab Archid. Ioan. And. Lapo, Anchar. & Frãco *in d. cap. fin. in sexto,* quos refert, & sequitur Nauar. statim citandus. Et creatio monialium spectat ad Abbatissam & moniales, vt dixit Lapus *allegat. 31. num. 1.* & alijs allegatis probat Felinus *in cap. quoniam num. 1. de simonia.* Ergo fatendum est, cum ius recipiendi competat etiam Conuentui, nequaquam posse Superiorem admittere nouitios absque consensu familiæ. Hocq; intelligitur nedum quando nouitij admittuntur ad professionem, sed etiam quando ad probationis habitum recipiuntur, & ità intelligunt Glossam citatam Nauar. *lib. 1. consf. 9. num. 12. de constit. in 2. edit & lib. 3. consf. 17 num. 2. de voto in 2. edit.* Miranda *in manual. prelat. tom. 1. q. 15. art. 1. & 2.* & Sanch. *in precep decal lib. 4. cap. 16 num. 52.* Vndè Nauar. sic inquit. *Communis obseruantia omnium Religionum, quas ego ętate mea tractaui, habet, vt Prælati immediati conuentuum particularium cum maiori parte eorum recipiant monachos nouitios, & induant eos habitu religionis.*

3 Probatur secundò ex Cõstitutione *Cum de omnibus,* in qua Sixtus V. mandat, ne quis ad Ordinem regularem admittatur, nisi in capitulis generalibus, vel prouincialibus accedente Definitorum consensu: Et quamuis idem Pontifex hanc Constitutionem postea

stea moderatus sit per aliam, quæ incipit *Ad Romanum spectat Pontificem*, & specialiter etiam concesserit Patribus Obseruantibus per aliam, quæ incipit *Nuper quidem*, vt extra Capitula, nouitios admittere possint: id tamen iussit fieri accedere aliquorum Patrũ consensu: Eundem quoq; consensum trium, vel quatuor fratrum decreuit Greg. XIV. peti debere à Superioribus nostris in tali nouitiorum receptione. Ex quibus omnibus liquidò constat nullo modo prætermitti posse hanc consultationem.

4 Secunda conclusio. Quamuis olim verti potuisset in dubium, an ex iure antiquo tenerentur Prælati, nedum requirere in receptionibus nouitiorum pręfatum consilium, sed etiam illud sequi; attamen post Cõstitutionem Sixti V. indubitatum est, Superiores sequi omninò debere hoc consilium; quia idem Pontifex, & etiam Greg. XIV. & Clemens VIII. definiunt, hanc receptionẽ fieri debere accedente trium, vel quatuor fratrum consensu. Cum ergo hi tres, vel quatuor participes receptionis assignentur, eorũ consilium sequi tenetur Prælatus iuxta test. *in l. Titium in princ. ff. de administr. tutor.* Et ità notat Bart. *in d. l. Titium, & in l. 1. §. si plures num. 7. ff. de exercitoria actione*, vbi ait, quod iussus facere cũ

5 consilio alterius, si consultor, est particeps officij tenetur eum requirere, & eius consilium sequi: quod etiam docent Butr, *in cap. cum olim, de arbitris*, Panormit. *ibi num. 5.* Dominicus *cap. vnico §. vbi verò num. 9. de sede vacant. in sexto*, Francus *vbi sup. n. 5.* Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 46. num 76.* Nauar. *vbi sup. cons. 9. n. 13.* Sanchez *in pręcep. decal. lib. 5. cap. 4. nu. 65.* & alij. Hinc Vantius *de nullitate ex defectu iurisdictionis num. 152. ver. & stantibus*, inquit, D. Auditorem Rotæ, qui tenetur procedere cum consilio Dominorum Coauditorum, nõ solùm debere illud petere, sed etiam se-

6 qui, quia omnes sunt ad inuicem officij participes. Et ità docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 19.* loquens in proprijs terminis de casu nostro. Quinimmò, quia clausula *de consensu* facit conditionem, & deficiente conditione deficit actus, vt dixit Rota *decis. 282. num. 2. lib. 3. in prima edit. coram Puteo*, sequitur, receptionem sine hoc consensu factam esse irritam. Quod intelligẽdum est, vt dubio quarto dicetur, idest in illis religionibus irritã esse, in quibus receptio nouitiorum spectat ad Abbatem & Conuentum. In alijs verò, in quibus spectat ad solum Abbatem, seu Superiorem esse, validam.

Tertia

7 Tertia conclusio. Præfati tres, vel quatuor fratres, qui eligi debent à Prælato in consiliarios, debent esse ex antiquioribus, qui reperiuntur, vbi receptio erit facienda. Et per antiquiores non intelliguntur præcisè, qui tales sunt ratione ętatis, sed qui in dignitate, & præeminentia sunt constituti, vel sunt iudicio prudentiores, vel in religione seniores, vt dixi *disp.6.dub.2.*

8 Qui quidem debent omnes collectim, & non diuisim accuratè disquirere, atque examinare recipientis conditionem, & tandem suffragium suum, vel concedere, vel negare; Quia consensus in rebus collegij debet præstari in communi, vt volunt Innocentius *c. in Genesi, de elect.* Panormit. *ibi nu.4. & in c. cum omnes num.5. de constit.* Præpositus *in can. quotiescunq; 10. q. 2.* & Felinus *in d. cap. cum omnes nu.24.* qui citat Antonium de Butrio, Baldum, Calderinum, Imolam, Dominicum, & alios, quia hæc est communis opinio doctorum *in d. cap. cum omnes.* Et dictum etiam fuit à Rota *decis. 382. nu. 3. p. 2. in recent.* & est notandum, Leonem X. Fratribus Prędicatoribus mandare, vt hęc vota, seu suffragia dentur secreta per fabas, vel aliquid simile, vt dicetur *disp 12. dub. 5.* Quod etiam ab aliis regularibus obseruari potest, quatenus vnusquisq; gaudeat libertate concedēdi, aut negādi recta cōsciētia uotū suū.

9 Notari verò oportet, non requiri ad receptionem consensum omnium Definitorum, uel electorum, ut notat Suarez: sed satis esse, si plures cum Prouinciali, seu Abbate consentiāt, ità ut maior illorum pars receptionem probet, ut docet Glossa *in verbo plures c. pastoralis, de rescrip.* & ex multis probat Bartholomæus Socinus *cons.40. n.2. ad fin. vol.1.* loquens de casu simili. Dixi *cum Prouinciali, vel Abbate*, quia etiam si oēs consultores in receptionem cōsentirent, & solus superior contradiceret, nullo modo propositus esset receptus; eo quod facultas recipiendi apud Superiorē principaliter residet, nec quis sine eius consensu recipi potest, ut benè aduertit Rodriq. *tom.3. q.10. art.2. vers.3. est notandum*, & latè probat Socinus *in citato cons. non longè à principio*: Et in proprijs terminis dixit Oldr. *cons.97. nu.1.* quem refert, & approbat Rota *in vnà nullius Iurisdictionis x. Ianuarij 1620. coram R. P. D. Caualleri.*

10 Quarta conclusio. Consultores tenentur consideratis considerandis non dissimulanter dicere, & iudicare secundum quod eis in Domino expedire uisum fuerit. Quod si humano ducti respe-

ctu

tu secus dicerent, aut indicarent, ne scilicet superiori contradicerent, aut morem seculari, uel religioso gererent, certo sciant, tale infidelitatem graui culpa non carere, & ut plurimum mortali, quia est circa materiam admodum grauem.

11 At hic obiter insurgit difficultas, an Prælatus possit ex se admittere petentem ingressũ, si Patres ab eo requisiti ad consiliũ, & cõsensũ pręstandũ sine causa renuant, se uelle tali receptioni immiscere. Resp. posse; Quia quotiescunq; cõsensus est in aliquo actu necessarius, si qui illũ præstare debet sine causa denegauerit, habetur pro præstito, eo quod per ipsum dicitur nõ esse pręstitũ: Ità habetur in iure *l. in iure ciuili, ff. de reg. iur. & c. licet, §. talis ergo, de regular.* & confirmatũ est à Doctorib. *in l. non solum, §. voluntate, ff. sol. matr.* & à Marescotto *lib. 1. variar. resol. c. 73. nu. 8.* de simili casu loquentibus, & dictum etiam fuit a Rota *decis. 91. nu. 5. p. 2.*

12 *in recent.* allegante Ias. Idem dicendum ubi imminet necessitas, & periculum, quando superior nequit cõmodè requirere consensum, quia tunc integrum est ei recipere uenientem ad ordinẽ absque dicto consensu. Ità Gloss. *in cap. si pro te, verb. assensus, de rescript. in sexto,* Bart. *in l. 1. §. si pluries, ff. de exercit.* &. Felinus *in c. cum accessissent nu. 20. & 21. de constit,* quicquid dicat Sanch. *lib 1 de matrim. disp. 34. nu 26.*

DVBIVM III.

An superior, & consultores teneantur idoneos admittere.

SVMMARIVM.

1 *An superior, & consultores, possint negare alicui habitum Religionis sine causa.*
An de facili adsit causa.
2 *In concursu multorum petentium habitum, qui praeferendi.*
An votum Religionis sit sufficiens causa, vt quis pręferatur alijs.
Qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam.
3 *An in dubio tutius sit excludere, quàm admittere petentes habitum.*
Regula, secundum quam tuta conscientia, sit exclusio, vel admissio.

Respon

1 RESpondeo triplici conclusione. Prima est. Si concurrant omnia requisita tàm ex parte religionis, quàm ex parte recipiendi tenentur præfati Patres admittere petentem ingressum, si nulla interueniat rationabilis causa excusans. Ita Suarez *to. 3. de relig. lib. 1. c. 10. num. 28.* Probatur primò ex parte religionis; nã cum talis receptio redundet in eius vtilitatem, non vacat culpa, eam negligere. Probatur secundò ex parte petentis, quia sine causa hoc magno beneficio priuari non debet. Confirmari potest hæc conclusio sententia D. Basilij dicentis *in reg. fus. disput. reg. 10 Cum Christus prædicet, ac dicat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, non fit sine periculo, si qui ad Dominum per nos accedere in animo habent, ij à nobis reijciantur.*

Quando verò interuenit aliqua rationabilis causa excusans, certum est tunc negari posse absque culpa ingressum, & vt plurimum in religionibus intercedit hæc causa, eò vel maximè quia hæc obligatio non est de re adeò necessaria, quin multis de causis cessare possit.

2 Secunda conclusio. Si multi aliàs æquales petant hunc ingressum, & nequeant simul omnes recipi, liberum erit, hos potius, quàm illos reijcere: Ità Suarez. Quod extendo etiam si reijciatur aliquis voto religionis obstrictus. Et est ratio, quia licèt is cũ alijs sit æqualis quoad ætatem, conditionem, literaturam, idoneitatem, & alias huiusmodi conditiones; interuenit tamen aliqua disparitas, eo quòd astrictus voto plerunq; ad Religionem non venit eò flagranti desiderio Deo inseruiendi, quo venit tali obligatione liber. At estò sit etiam quoad hoc alijs æqualis: censeo tamen eius exclusionem, & alterius receptionem omni culpa vacare, dummodo exclusio facta non sit ea intentione, vt non adimpleatur votum. Quod probatur; nam sicuti ille non tenetur aperire votum, quatenus inducatur hoc modo superior ad concedendum ei facilius ingressum, vt docent Azorius *p. 1. lib. 11. cap. 22. q. 9.* Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. cap. 16. nu. 54.* Reginald. *lib. 18 num. 379. vers. si quæras,* & Suarez *lib. 4. cap. 2. nu. 7.* contra Caietanum. Ità multo minus tenetur superior in receptione præ oculis habere hanc voti obligationem. Præterea, quia cum liberum sit superiori vnum reijcere, & alterum acceptare, nulli facit iniuriam vnum reijciendo, & alterum recipiendo, quia iure suo vtitur.

l. iniu-

l. iniuriarum, §. 1. ff. de iniurijs. c. cum Ecclesia Vulaterana vbi Glossa *verbo iniuria de elect.* Besignet. *decis. 2. de rerum permut.*

3 Tertia conclusio, si vertatur in dubium ob rationes pro vtraque parte probabiles, an expediat aliquem, nec ne recipere, liberum etiam erit eum reijcere, eò vel maximè quò hæc exclusio in maiorē religionis fauorem, & securitatem cedit. Nota tandem hanc regulam à Suarez traditam: si quis bona fide absq; odio, vel alio prauo affectu procedat, & mediocrem diligentiam adhibeat, securè potest suffragium suum concedere, vel negare.

DVBIVM IV.

An receptio à solo Superiore absque aliorum consilio facta teneat.

SVMMARIVM.

1 *An nunc professio, & ingressus in Religionem non seruata forma præscripta à Sixto Quinto sit nullus.*

2 *An admissio ad habitum sit nulla, si nō requiratur consensus Conuentus.*

3 *An in admittendis ad habitum nouitijs Superior teneatur nedum petere, sed etiam sequi consilium.*

4 *An sub creatione Monachorum veniat admissio ad habitum.*

5 *An Superior, ad quem solum de iure municipali spectat receptio nouitiorum, teneatur adhibere consilium aliorum.*

1 RESPONDEO præmittendum esse, cum per Bullam Clementis Octaui, quę incipit, *In suprema Ecclesia Apostolica specula*, Constitutiones Sixti V. alias relatæ reductæ fuerint ad terminos iuris, ac Sacrorū Canonum quoad eam partem, in qua non seruata forma illarum professio nulla declarabatur; perspicuum est, etiam reductas fuisse easdem Constitutiones ad præfatos iuris terminos quoad eam partem, in qua ingressus religionis decernebatur nullus non seruata illarum forma. Quod clarè etiam colligitur ex alia eiusdem Clementis Octaui Bulla, quæ incipit *Altissima paupertatis* relata à Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 19.*

art. 3. in qua concedit Patribus de Obseruantia receptionem nouitiorum extra Capitulum, & etiam declarat tam susceptionem habitus, quam professionem non seruata præfata forma valere. Quare pro resolutione dubij nostri recurrendum est ad ius commune.

2 Sit ergo conclusio. Cum creatio, seu receptio Monachorum iure communi spectet ad Abbatem, & Conuentum iuxta Glossam *in c. fin. de regul. in sexto*; communiter receptam, liquidò constat, in illis Religionibus, in quibus fit vi huiusmodi iuris communis, fieri debere cum consilio, & assensu Monachorum. Vndè censeo, receptionem à solo Superiore factam absque dicto consilio,& etiam consensu esse omninò irritam; Quia cum Monachi in hoc casu participes sint receptionis, debet Abbas nedum petere illorum consilium, sed etiam illud sequi tenetur per *text. in l. Titium in princ. ff. de administr. tutor.* & tradita per Bart. *in d. l. Titium, & in l. 1. §. si plures nu. 7. ff. de exercitoria actione*, & per quamplures DD. quos retuli dub. 2.

3 Quod confirmatur, nam quemadmodum iuxta probabiliorem opinionem, quam referam *disp. 12. dub. 1. concl. 2.* tenetur Abbas in creatione Monachi quoad professionem petere,& etiam sequi cõsilium Monachorum: Ità eadem ratione in receptione ad probationem tenetur sequi idem consilium. Nonnulli Doctores, quos referam in dicta secunda concl. sustinent in admittendis ad professionem nouitijs requiri tantùm Conuentus consilium, ac proindè non teneri Prælatum illud sequi, sed ad professionis valorem satis esse illud petere; Vndè iuxtà horum Doctorum sententiam est solum irrita receptio nouitij à Superiore facta absque familiæ consilio: è contrario verò est valida, si audito Conuentus consilio Prælatus illud non est secutus. Nihilominus propter rationes allatas censeò esse etiam irritam, si Abbas non sequatur consilium.

4 Obijcies, Glossam præfatam *in c. fin de reg. in sexto*, & communiter Canonistas loqui de creatione dũtaxat Monachorum quoad professionem; Ergo obligatio huius consilij,& consensus non est extendenda ad receptionem quoad probationem. Respondeo hoc non obstante à dictis non esse recedendum, quia licèt Canonistæ videantur loqui de creatione, seu receptione Monacho-

rum.

rum quoad professionem: attamen quia receptio ad probationem fit in ordine ad professionem; requiritur in ea idem consilium, & assensus, quod in professione exigitur, vt probatum fuit in hac disput. dub. 2. auctoritate Nauarri, & aliorum Doctorum.

Limitatur cõclusio, vt non procedat in illis religionibus, in quibus receptio, seu creatio Monachorum spectat ad solum Abbatẽ; Et tunc spectat ad solum Abbatẽ, quando religio habet ad hoc priuilegium, aut talis consuetudo inoleuit, vt idem Abbas per se solum recipiat. Ità Glossa *in d. c. fin. verbo pertineat, de regul. in sexto*, Panormit. *in c. ad apostolicam num. 17. ad fin. de regul.* Felinus *in cap. quoniam num. 2. de simonia*. Quòd etiam dictum fuit à Rota *in vna nullius iurisdictionis 20. Ianuar. 1620. coram R. P. D. Cavalerio*. Quare in iis Religionibus receptio ad probationem facta à Superiore absque consilio, & consensu Conuentus tenet, quamuis Superior non rectè agat. Quòd probatur; nam quando Pontifex, seu Princeps mandat habenti aliàs facultatem faciendi actum, vt illum faciat sub certa forma, & pœna absque clausula annullatiua, tunc actus contra dictam formam factus valet; licèt contra faciens sit puniendus. Ità Glossa *in Clem. 1. verbo inhibentes, de iure patron.* quam ibi sequuntur Card. *quæst. 7.* Anchar. *3. not.* Imola *nu. 4.* Panormit. *num. 1.* & dictum etiam fuit à Rota *decis. 34. num. 2. p. 1. in recent.* Hæc limitatio locum præcipuè sibi vendicat in Religione Minorum, quorum regula *cap. 2.* commisit solis Ministris Prouincialibus nouitiorum receptionem.

DVBIVM V.

An Superiores, & Consultores recipientes ad Ordinem nouitios requisitis conditionibus carentes peccent, & quibus pœnis subiaceant.

SVMMARIVM.

1 *An peccent mortaliter recipientes ad Ordinem quempiam non habentem requisita à iure communi.*

Vel à Constitutione Sixti Quinti.

Vel à Regula.
Vel à statutis Ordinis.

2 *Quas pœnas infligat Sixtus Quintus recipientibus aliquem inhabilem ex enumeratis in sua Bulla* cum de omnibus.

3 *An ad euitandas dictas pœnas sit præmittenda informatio morum eius recipiendi, qui nullo illorum defectuum est irretitus.*

4 *Item si receptio non sit dolosa, & temeraria.*
Vbi abest dolus, ibi non intelligitur delictum.
Vbi non adest delictum, ibi non infligitur pœna.
Qui dolosè agere dicatur.

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Certum est Superiores, & Consultores grauem culpam non effugere, si recipiant ad Religionem aliquem contra ius Canonicum: puta si seruum absque domini licentia, vel Episcopum sine Summi Pontificis auctoritate, vel impuberem sine parentum, vel tutorum consensu, vel coactum admitterent. Idem dicendum, si concederent ingressum ijs, qui aliquo ex impedimentis per Bullam Sixti Quinti determinatis afficiuntur: vt si ære alieno supra vires facultatum suarum onustos, vel facinorosos Curiæ suspectos, vel reddendis ratiocinijs obnoxios admitterent. Idem asseuerandum est, si aliquem contra regulæ nostræ præcepta reciperent, vt vxoratum matrimonio consummato, uel de fide catholica suspectum. Et notandum, hanc culpam esse, ut plurimum lethalem; quia est transgressio circa materiam præceptam, & admodum grauem. Dixi, *vt plurimum* quia aliquando excusari possunt à tanta culpa, uel ob inaduertentiam, uel ignorantiam iustam, uel ob aliam huiusmodi causam.

Ampliatur conclusio, ut etiam præfati non effugiãt culpam admittentes quempiam aliquo constitutionum nostrarũ impedimento laborantem, dummodò causa rationabilis ad dispensandum in dictis statutis non intercedat. Idem dicendum est, si quem, uel bigamum, uel corpore uitiatum, uel illiteratum, vel etiam illegitimũ admittant, cuius merita non supplent natalium defectum. Et est ratio, quia licet ui sacrorum Canonum, & Constitutionum nostrarum non peccet, neq; etiam quoad illegitimum uigore Constitutionis Gregorij XIV. quia in ea quoad hanc partem non habentur

verba præceptoria: Attamen talis receptio, nō concurrente aliqua rationabili causa excusante, culpa non vacat: vel quia est contra charitatem eorum, qui admittuntur, imponendo eis aliquando onus humeris suis non proportionatū, sub quo probabile est postmodum succumbere debere: vel quia est contra bonum, & vtilitatem Religionis, eo quòd considerata qualitate personæ admissæ in eius damnum conuertenda esse probabiliter creditur; Et ideò hæc culpa libranda erit iuxta qualitatem, quantitatemque damni inde emergentis ad arbitrium prudentis, tàm ex parte Religionis, quàm recepti.

2 Secunda conclusio. Superiores, & alij religiosi priuationem vtriusq; vocis actiuæ, & passiuæ, officiorum, honorum, dignitatū, ac graduum habitorum, vel habendorum incurrunt si ad religionem admittant quempiam aliquo ex impedimentis Constitutionis Sixti V. laborantem.

3 Notari verò oportet cum hę pœnæ sint grauissimæ, extendi non debere vltra casum, qui in bulla expressè habetur. Quare infligēdę erunt eis tantummodo, qui temerè admittunt nouitiū vno, vel altero ex impedimētis in eadem Constit. expressis obstrictum, vt dictum est in conclusione. Quod ex ijs eiusdem Constit. verbis non obscurè sumitur. *Et insuper quoscunq; religiosos, eorumq; Superiores, qui aliquas personas, vt dictum est, inhabiles post hanc Constitutionē publicatam receperint, voce actiua, & passiua, nec non officijs, gradibus, & dignitatibus quibuscunq; per eos obtentis eo ipso in perpetuum priuamus, & tàm illis priuatos, quā ad alia quæcunq; imposterum obtinenda perpetuò inhabiles, eorumq; incapaces decernimus, & declaramus.* Cum ergo dicat *personas, vt dictum est, inhabiles,* constat, Pontificem præfatas pœnas fulminasse tantùm cōtra recipientes alligatos impedimentis in Bulla expressis; & ità docet Rodriquez *tom. 3. q. 54 art. 4.* Ex quo sequitur, si admittatur quis nōn præmissa morum informatione, quam postulat hęc Constitutio, non subiacere ijs pœnis recipientes, si idem receptus nullo horum impedimentorum obstringatur.

4 Quinimmò ad incurrendas has pœnas, non solum debent recipientes admittere inhabilem, vt modò dictum est, sed etiam oportet, vt hæc receptio, seu admissio facta sit dolo. Quod etiam ex pręfatis dictæ Constitutionis verbis colligitur; Nam supra dixerat,

Et si

Et si qui eorum contra præsentem nostram constitutionẽ temerè admittentur &c. Hoc quidem verbum *temerè* in Canone, vel Bulla appositum, vt suam vim habeat, supponit temeritatem in contrafaciente, ac proindè dolum; Nam quemadmodum quotiescunque lex requirit delictum prohibitum scienter perpetrari, dolum quoque, & fraudem pari ratione exigit, ac proindè lata culpa siue crassa, vel notabilis non sufficit, vt quis pœnis in eadem lege contentis mulctandus sit, nisi sit tanta, vt dolo æquiparetur, iuxta *text. l. sed, & si lege, §. scire, ff. de petit. hered.* vbi hæc leguntur. *Non puto esse prædonem, qui dolo caret, quamuis in iure errauerit*, & docetur à Panormit. *in c. 2. de constit. in sexto*, Alex. de Neuo *ibidem nu. 45. iuncto num. 53*, Butr. *num. 9*, Imola *num. 12*, Syluest. *tit. ignorantia q. 8. num. 18. vers. quantum*, Tabien. *eodem tit. num. 4.* Nauar. *c. 27. num. 141. declarat. 4.* Couarru. *4. decret. 2. p. c. 6. §. 8. num. 21.* Lopez *p. 2. instruct c. 13. de excom. §. sed iam ad 2. punctum*, Ledesm. *in sum. sacram. c. 13. de excom. dub. vlt. dict. 3.* Auila *de cens. p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 9.* Emanuel Sà *tit. dolus num. 2.* Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 10. num. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 9. disput. 22. num. 36.* & Duard. *in Bullam Cœna lib. 2. c. 1. q. 36. num. 3.* Ità lex requirit eundem dolum quando his verbis vtitur, *Nullus hoc, vel illud facere præsumat*, sic docent Cardin. *in Clem. 1. de priuileg. q. 39.* D. Anton. *3. p. tit. 24. c. 54. col. 4. vers. quærit idem*, Caiet. *tit. excom. c. 81.* Angel. *eodem tit. 5. cas. 11. num. 15.* Syluest. *eodem tit. 7. cas. 14. dub. 15. num. 34.* Tabien. *eodem tit. 5. cas. 11. q. 6. num. 7.* Nauar. *c. 27. num. 155.* Emanuel Sà *tit. pœna, vers. pœna præsumenti*, & Rota *decis. 200. n. 2. p. 2. in recent.* Requirit etiam lex eundem dolum iuxta Suarez, Duardum, & alios, quando sic dicit, *Qui contempserit hoc, vel illud facere: qui temerè, vel qui temerarius violator extiterit*; & ijs verbis vtitur præfata Sixti V. Constitutio; & Ideo recipientes præfatos non incidunt pœnas, nisi scienter, & studiosè memoratas informationes dimittant, quia vbi abest dolus, ibi non intelligitur delictum, *l. 1. §. dictus, ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* & vbi non adest delictum, ibi non infligitur pœna, *l. Sancimus, C. de pœnis*, Rota *decis. 668. n. 3. coram Seraph.* Is [redacted] dolosè agere dicitur, qui scienter, scilicet studiosè, & à proposito rem sibi prohibitam facit, vt docet Geminianus *in c. si compromissarius, de elect. in sexto*, quem refert, & sequitur Syluest. *tit. culpa num. 1. circa fin.* & ita etiam Nauar. *c. 17.*

num.

num. 178. Auila *de censur. p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 11. vers. pro resolutione*, & alij.

Ex quo sequitur, has poenas incurrere, qui sine prefata moru informatione quempiam aliquo ex dictis impedimentis affectum admittunt; Quia talis receptio dicitur facta temerè, & dolosè, saltem quoad homines. Secus verò si præmissa informatione alicui concedant ingressum, cuius vita postea his impedimentis fuisset irretita, quæ omnia confirmata sunt à Rodriquez.

DVBIVM VI.

An ex præcepto Regulæ nostræ teneantur Ministri dicere venientibus ad Ordinem illud Euangelij, vt vadant, & vendant omnia sua, & studeant ea pauperibus erogare.

SVMMARIVM.

1 *An omnia, quæ tradit Regula Minorum de receptione nouitiorum, æquipolleant præcepto.*
2 *An ex præcepto teneantur Prouinciales Minorum indicere recipiendis ad Ordinem, vt facultates pauperibus distribuant.*
3 *Opinio quorundam recentiorum.*
4 *Opinio auctoris, & omnium antiquorum.*

1 RESPONDEO. Cum in iure *Clem. exiui, §. item quia in fine, de verbor. signific.* Pontifex decreuerit, omnia in regula nostra contenta, quæ modum receptionis ad Ordinem respiciunt, esse præcepto æquipollentia, censent Corduba *c. 2 q. 8. p. 1.* Politius *c. 2. n. 61.* & Thesaurus *c. 2. f. 87.* Ministros teneri ex regulæ præcepto ad præfata verba dicenda ijs, quibus religionis ingressum concedunt. At quia hoc præceptum est affirmatiuum iuxta [redacted] D. Thomæ *2. 2. q. 33. art. 2.* doctrinam communiter receptam limitant dicentes non obligare nisi secundum exigentiam debiti finis, seu finalis vtilitatis tàm recipiendi, quam recipientis. Ex quo concludunt, tunc teneri Ministros hæc sancti Euangelij verba

dice-

dicere ingressuris, quando hoc necessarium esse agnoscunt, ne indebitè ad religionem accedant, quoad propositum disponendi facultates suas. Quod quidem propositum variè explicatur à præfatis expositoribus.

2 Ego verò probabilius censeo, ad hoc non teneri Ministros ex præcepto regulæ; Nam ea tantummodo, quæ continentur in regula ad modum receptionis, sunt præcepto æquipollentia, quæ ratione materiæ sunt grauia. Sicuti ergo nouitius iuxta probabiliorem opinionem non tenetur, sed suadetur ei ex consilio sua pauperibus erogare, vt dicetur disputatione sequenti. Ita eodē prorsus modo non tenetur Minister ex pręcepto regulę, sed ex consilio dicere ei hęc verba, eo quod hęc materia non est sufficiens ad tam grauem obligationem inducendam. Pro hac nostra opinione citari possunt ferè omnes antiquiores expositores, & pręsertim quatuor Magistri, B. Fr. Hugo, D. Bonauent. & etiam Pisanus, qui post Clementinam citatā scripsit super regulam. Hi enim omnes nedum non docuerunt hoc esse pręceptum, sed etiam inter eos nulla fuit tunc de hoc dubitatio. Ratione tamen sui officij possunt ad hoc obligari aliquandò Prouinciales eo modo, quo etiam Pręlati aliarum Religionum, quando scilicet agnoscunt aliquem indebitè accedere ad statum religiosum, idest quando probabiliter timetur, nouitium tempore professionis facultatibus, rebusque omnibus parato animo non esse renunciaturum. Quod quidem rarò contingere potest, pręsertim inter nos; nam qui huius sanctę religionis statum suscipere cupiunt, a se omnia necessariò abdicare debere sciunt. Illud tamen pręoculis habeatur, in tali bonorum abdicatione seruari debere Decretum Tridentini *sess. 25. c. 16 de regul.* de quo dicetur disputatione sequenti.

Dispu-

Disputatio. VIII.

IN hac disputatione examinãtur ea, quæ ad dispẽsationem facultatum nouitiorum spectant. Hic discutiendę essent quamplures difficultates circa dispositionem facultatum ingredientium religiones bona ĩ cõmuni possidentes, de quibus vtriusque iuris ĩterpretes, & nonnulli Theologi fusè loquuntur. At ne quàm par sit prolixior videar, eas solummodo, quę ad institutũ nostrũ spectãt, attingam.

DVBIVM. I.

An qui Religonem petunt, omnia sua pauperibus erogare teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Opinio affirmatiua circa titulum quęstionis.*
2 *Expositio D. Hieronymi super ea verba,* Vade, & vende omnia, quæ habes, *& n. 7.*
3 *An qui Religionem vult ingredi, teneatur omni dispositione necessaria perfectionem aggredi n. 6.*
4 *Quare Religiosis liceat viuere ex eleemosynis n. 8. & n. 14.*
5 *Opinio negatiua circa titulum, quam amplectitur Auctor.*
9 *An Regula minorica obliget veniẽtes ad Ordinem omnia sua pauperibus erogare. Prima opinio.*
Quare ingressus Religionis occlusus fuerit à Seraphico Patre quibusdã illum petentibus n. 13.
Quis aliquando conditionaliter, & ex suppositione teneatur ad id, ad quod simpliciter, & absolutè non obligatur. Explicatur n. 32.
10 *Posterior opinio.*
An Apostoli bona sua pauperibus erogauerint.
12 *An o[illegible]ia cõsilia Euangelica, de quibus in Regula Minor. obligẽt Minores.*

RESPONDEO duplicẽ esse sẽtentiã. Prior est Salmeronis *tom.8. tract.51. sup verba Matt.c.19. Si vis perfectus esse*, existimãtis hoc esse præceptũ obligatoriũ omnib. ad Religionem commeantibus. Quod probat primò auctoritate D. Hieronymi *tom.9. in reg. monachor. cap. de paupertate*, qui super eundem Matt. locũ hæc pfert. *Vade, & vende non partem substantię, sed vniuersa quę possides, & da non consanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis. Plus aliquid addam, nihil tibi ob metũ inopię seruabis, ne cum Anania damneris, & Saphira, sed da cuncta pauperibus*. Eadem scripsit Iuliano *tom.2. epist.124. circa medium*. Et ad Hedibiam *tom.3. epist.150. q.1. ĩ princ.* inquit, *si vis perfecta esse, & tollere crucẽ tuam, & sequi Dominum Saluatorem, & imitari Petrum dicentem. Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te; Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem. Non dixit, da filijs, da fratribus, da propinquis: quos etiam si haberes, iure his Dominus pręferretur, sed da pauperibus*.

3 Secundò, nam licèt res suas pauperibus erogare sit consiliũ excepta extrema necessitate: attamen qui sponte religionem ingredi vult, vt perfectionis culmẽ ascendat, tunc ex pręcepto sua pauperib. elargiri cogitur, eo quòd tenetur omni dispositione necessaria, & requisita perfectionem aggredi; Quare si bona sua nõ pauperib. sed carnali affectu sibi cõiunctis impertiret, siquidẽ omitteret vnã ex principalibus consilij Christi partibus, quę est, vade, & vẽde omnia, quæ habes, & da pauperibus, ac proinde peccaret.

4 Tertiò, quia videtur vnusquisque religionem petens teneri sua pauperibus erogare; eo quòd vna ex pręcipuis causis, quibus religiosi de eleemosynis viuere queunt, ea est, quoniã ipsi sua omnia pro Dei amore dederunt, vt asserit D. August. pluribus in locis, quem refert, & sequitur D. Thomas *2.2. q.187. art.4.*

5 Posterior opinio, quam veriorem probabilioremq; censeo, sustinet, hanc bonorum dispensationem pauperibus faciendam vim pręcepti in casu nostro minimè habere. Ità Abulẽs. *part.5. q.155. in c.19. Matt.* Rodriq; & Sãch. statĩ citãdi. Probatur primò, ex *tex. in Auth. si qua mulier, C. de Sacrosanc. Eclesi., Auth. nunc autẽ, C. de Episc. & cler. §. si quis autem fortè, vers. illud quoque Auth. de monachis, iuncta Glossa, verbo voluerit, & ex c. de ys, in fine, & Glossa,*

verba

verbo, priuatis, de sepult. vbi habetur, volentem ingredi religionem posse de rebus suis disponere eo modo, quo vult, & confirmatum est à Bero. *in c. in præsentia, n. 521. de probat.* Clar. *in. §. testamentũ q. 28. n. 2. &* Ant. Cerro apud Giouagnon. *respons. 54. n. 16. lib. 1.* Secundò, quia hęc dispẽsatio iuxta Doctorũ mẽtem inter consilia numeratur. Tertiò, quia ad substãtiam voti paupertatis sufficit, vt is, qui religionem ingreditur omnibus temporalibus renunciare paratus sit, nec ea pauperibus elargiri tenetur. Quartò, quia religionis statum suscipiens intendit se obligare ad obseruantiã tantũmodò consiliorum Christi, quę in regula, quam intendit profiteri taxantur, & præcipiuntur, vt docet D. Tom. *2. 2. q. 186. art. 2.*

6 Ad primum, & secundum respondetur. Qua ratione religiosus non tenetur ad omnia media ad perfectionẽ ducentia, sed sufficit, quod perfectionem aspiret, ad eamq. aliquo modo tendat iuxta doctrinam eiusdem D. Thom. *vbi sup.* Eadẽ quoq. ratione dicẽdũ

7 est, religionem aggredientẽ ad omnes perfectionis actus nequaq. teneri. Quod confirmatur auctoritate D. Hieronym. *vbi sup. epist. 150. propè finem primę quęstionis,* qui ad Hedibiam inquit, *si vis perfecta esse, & in primo stare fastigio dignitatis, fac, quod fecerũt Apostoli: vende omnia quę habes, & da pauperibus. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis? Dimitte omnia quecunq; habes, da filijs, da propinquis, nemo te reprehendit, si inferiora secteris.* In hoc sensu exponenda sunt verba eiusdẽ Sancti Doctoris alibi dicta, ac ĩ fauorẽ cõtrarię opinionis adducta, ne sibi ipsi cõtrarius videatur.

8 Ad tertiũ respondetur, in religione nõ deesse alias causas, aliaue media, quibus de mensa Christi claustrales vitã transigere valeant, vt iure optimo docet D. Thomas *2. 2. q. 187. art. 4.* quem sequuntur communiter Doctores.

9 Obijcies pręfata locum non habere in ijs, qui religionem Minorum ingredi volunt. Hinc Thesaurus *c. 2. f. 89.* nititur sustinere, nouitios nostros teneri res suas pauperib. erogare: hancq; sentẽtiã tenẽt Corduba *c. 2. q. 8.* Pactus *c. 2. art. 8. n. 30.* & alij. Quę probatur primò, quia Seraphicus Pater noster in Prouincia Marchiæ quendam repulit petentem religionis ingressũ, eo quòd bona sua nõ pauperibus, sed sibi coniunctis distribuerat. Secundò, quia textus regulę inquit, si id facere nõ potuerint, sufficit eis bona voluntas: Ergo si commodè possunt erogare, non sufficit eis, si aliter

disponant, bona volontas. Tertiò, nam quemadmodum quis aliquando cōditionaliter, & ex suppositione tenetur ad id, ad qd̄ simpliciter, & absolutè nō obligatur *l. si. d. interdum, ff. de aqua pluuia arcenda*. Ita in proposito, licèt quis ante votum non teneatur simpliciter renuntiare, seu erogare bona sua pauperibus: quando tamen vult ad uotū regulæ nostræ aspirare, vbi de eleemosynis pauperum viuere debet, censendus est etiam debere obligatoriè præmittere bonorum suorum pauperibus erogationem, si eam commodè facere potest.

10 His tamen non obstantibus, licèt sit mens Seraphici Patris, vt nouitius eroget bona sua pauperibus; eo quòd talis erogatio est opus maximè meritorium, ac medium efficacissimum ad perfectionem ducens: censeo tamen eum ad hoc nullo pacto vi regulæ sub reatu mortalis obstrictum esse. Et est ratio, quia Clemens V. *in Clem. exiui, de verbor. signif.* obligatoria regulę nostrę declarans, hoc inter ea nequaquā numerauit, quia nihil in regula habetur sufficiens ad tam grauem obligationem inducendam. Ita docent Tabiena *tit. nouitius n. 11.* Sanchz, *in precep. decal. lib. 7. c. 3. n. 4.* & Rodriq. *tom. 3. q. 16. art. 6.* qui allegat Ianseniū *in Concordia Euang.* asserentem, nusquam in sacra scriptura haberi, Apostolos ipsos bona sua pauperibus erogasse: sed benè tantum ea reliquisse, deinde Dominum secutos fuisse.

11 Ad primum respondetur, illud factum non esse sufficiens ad demostrandum hoc esse ad mortale obligatorium; Nam idem Seraphicus Pater alium quoque respuit, qui cùm ei dixisset, quòd plantaret caules folijs in terram demissis, & radicibus supra terrā eleuatis, vt ipsemet faciebat, respondit ei non ita plantari debere, sed è conuerso radicibus in terra demissis: Et tamen nullus audebit asserere, hunc ita à Sanctissimo Patre repulsum lethaliter peccasse, immò forsan nullam culpam commisisse. Sed hæc omnia faciebat Sanctissimus Pater, vt Ministros instrueret, ne de facili habentes à principio remissam voluntatem reciperent; Quia nullus tàm arduā viuendi regulam suscipere debet, nisi totus charitate, spiritu, & amore virturū ferueat, alias enim breui tepescet.

12 Ad secundū respondetur, non omnia consilia euangelica posita sparsim in regula obligare fratres: sed ea solūmodo, quę per Pontifices declarantur esse obligatoria. Cum ergo hoc cōsilium obliga-

obligationem non inducat ex Pontificum declaratione, patet, nouitios ad illud non teneri nisi instar aliorum christianorum.

13 Ad tertium nempe aliquid aliquãdo conditionaliter, & ex suppositione obligare, quod simpliciter nullam obligationem imponebat, respondetur, hanc propositionem veritatem habere, cũ talis conditio, seu adiunctum est conditio sine qua nõ, vel concernẽs substantiam rei, quod fatetur ipse Thesaurus, qui in ipso argum. adducit illud idest, qui vult aliquid, debet velle aliud, sine quo id esse non potest *c. preterea, de offic. deleg.* Quę in proposito nostro locum non habent, eo quod quis potest esse perfectus absq; vlla bonorum renunciatione, vt patet in tot Sãctis Regibus, & diuitibus; Et quò ad statum nostrum pertinet, non est de substantia paupertatis religiosæ talis bonorũ erogatio; sed sufficit qualis qualis renunciatio, & abdicatio, seu expropriatio, vera tamen, & non ficta;

14 Prætérquã quod falsum est assumptũ in applicatione argumenti, quod scilicet nouitius bona pauperibus erogare teneatur, vt de eleemosynis viuere possit; Nam vt visum est ex D. Thoma, non desunt aliæ iustæ causæ, quibus eleemosynas ad victum tuta conscientia recipere possit.

DVBIVM II.

Quomodo se gerere debeat nouitius Minorum ĩ distributione bonorum, vt pijssimę intentioni Regulę se conformet.

SVMMARIVM.

1 *An sint priuandi filij bonis, vt pauperibus distribuantur.*
2 *An pauperibus, an verò parentibus elargienda sint bona.*
3 *Cęteris paribus an preferendi consanguinei parentes alijs pauperibus.*
4 *Qui veniant nomine consanguineorum pauperum.*
5 *An peccet nouitius, qui solo carnali affectu sua consanguineis relinquit in sua vltima voluntate.*

Respon-

Respondeo duplici conclusione. Prima est. Quia iure naturali, ac ciuili bona parentum debētur filijs, vt fatentur Doctores, & colligitur expressè *ex can. si quis irascitur 13. q. 2. & ex can. fin. 17. q. vlt.* vbi habetur, nō licere bonis filios proprios priuare, vt pauperibus distribuātur; Hinc ingrediens religionē, si filios habet eis bona sua dispensare debet.

2 Secunda conclusio. Si filios non habet, omni carnali affectu in consanguineos se expoliare, & pauperes Christi tanquam chariora mystici corporis Christi membra ante oculos sibi ponere debet, vt sua eis elargiendo thesaurum sibi faciat in cęlo: quoniam illuc manus pauperum in nostrum fauorem bona temporalia deportant. Illud tamen obseruare debet, vt cęteris paribus consanguineos pauperes alijs omnibus anteponat, *can. cęterum. can. non satis, & can. est etiam, dist. 86.* Hæc est etiam sententia *D. Thomę in 3. dist. 29. art. 6. & 7.* & ante illum D. Ambrosij *tom. 3. in c. 18. Luc. super illa verba, omnia quęcunque habes vende, &c.* & D. August. *tom. 2. epist. 38. ad Lętum*, quos refert & sequitur Abulen. *p. 3. in c. 6. Matt. quęst. 65.* Quam sententiam confirmant Gloss. *in c. 1 de cohabit. cler.* Cardin. *in can. sicut, col. 2. dist. 47.* Panormit. *in c. peruenit n. 1. de arbit. & in c. super, col. fin. de reb. eccles. non alien.* Pręposítus *in d. can. non satis, n. 21.* Et passim inquiūt DD. *in d. can. non satis*, maiorem esse pietatem in pauperibus consanguineis alendis, quàm extraneis, quod multis allegatis benè probat Surd. *de aliment. tit. 1. q. 93. n. 2.* Hinc regulę nostræ Expositores docent, nouitium, qui bona sua cōsanguineis egenis dispensat, nō vt eos ditet, sed vt amore Dei eorū necessitates subleuet, opus maximè meritorium, ac diuinę voluntati, sāctissimęq; Patris nostri intētioni conforme facere, hancq; esse eleemosynam cęteris paribus gratiorem affirmant.

4 Nomine cōsanguineorū pauperū intelliguntur non solum, qui in extrema, vel quasi extrema necessitate sunt constitui, sed etiam qui iuxta suę conditionis statum, seu gradum egentes dici possūt. Et illud dicitur erogari in causā piam, quod alicui datur, qui quāuis non sit mendicus, secundū tamen statū natalium suorū aliqua sustētatione indiget, veluti qui habet puellas, quas maritare non potest, vt sunt formalia verba Baldi *in l. si quis ad declinandum, n. 5. de Episc. & cler.* & ante illū Bart. *in l. 1. n. 34. C. de sacrosanc. eccles.* cuius

cuius doctrinā appellant cōmunē Barbat. *in c. ad hęc n. 8. de testam.* & Alex. *cons. 126. n. 7. lib. 4.* quos refert, & approbat Bellon. *cons. 16. à n. 6.* Nota tandem, pauperem nobilem videri ignobili præferendū, Ripa *ī tract. de redd. ad conseru. vbert. n. 157.* quia īfelicissimū infortunij genus est inter omnes mundi aduersitates aliqādo fuisse felicē, *cā. cōsiderunda, iuncta Gloss. dist. 86.* Surd. *ī loco citato n. 30.*

5 Ex hac conclusione infertur, retenta opinione, vt non teneatur nouitius bona sua pauperib. erogare, si ea consanguineis nō egētibus sola affectione carnali ductus relinquat, culpa veniali ad sūmum se cōmaculare, nisi aliqua intercedat iusta, vel rationabilis causa, qua ea pauperibus erogare nequeat, vt si id facere non posset, vel ob loci distantiam, vel quia bona sunt litigijs īuoluta, & si ea liberare uelit, probationis tempus cum sui spirituali prouētus præiudicio præteribit; uel quia id sine scandalo fieri nequit. Hinc nō approbo, quod scripsit Crousers *lect. 2. §. hæc est vltima, in fine ī c. 2. f. 72.* nēpè grauiter peccare platū recipietē sciēter talē nouitiū.

DVBIVM III.

An Minores inducere possint nouitios ad aliquid monasterio, vel sibi relinquendum.

SVMMARIVM.

1 *An fratres Minores peccent mortaliter inducendo nouitios ad aliquid sibi, vel Religioni relinquendum.*

2 *Etiam si indirectè, vel tacitè.*

3 *Etiam si non per sè sed per alios.*

Fraus fit legi, si qđ est vna via prohibitū cēseatur alia via concessū.

4 *An liceat fratribus Minorib. recurrere ad nouitios ꝓ suis necessitatibus subleuandis.*

Item an liceat eleemosynam spontè à nouitijs oblatam recipere n. 10.

5 *An Minoribus prohibeatur solicitudo etiam interna de bonis nouitij, an solum externa, & effectualis,*

6 *Item an purum desiderium se ingerendi in dispositione bonorum nouitij; An verò cum determinatione n. 8.*

7 *An desiderium purum dicatur solicitudo.*

Quando lex humana indirectè, & ꝑ quandam consequentiā præcipiat actum volontatis internum.

9 *Duplex ītētio legislatoris, vna cadēs sub ꝓcepto; altera verò non finis non cadit sub obligatione legis.*

Respon-

RESpondeo duplici conclusione. Prima est. Quia iure naturali, ac ciuili bona parentum debētur filijs, vt fatentur Doctores, & colligitur expresse *ex can. si quis irascitur 13. q. 2. & ex can. fin. 17. q. vlt.* vbi habetur, nō licere bonis filios proprios priuare, vt pauperibus distribuātur; Hinc ingrediens religionē, si filios habet eis bona sua dispensare debet.

2 Secunda conclusio. Si filios non habet, omni carnali affectu in consanguineos se expoliare, & pauperes Christi tanquam chariora mystici corporis Christi membra ante oculos sibi ponere debet, vt sua eis elargiendo thesaurum sibi faciat in cęlo: quoniam illuc manus pauperum in nostrum fauorem bona temporalia deportant. Illud tamen obseruare debet, vt cęteris paribus consanguineos pauperes alijs omnibus anteponat, *can. cęterum. can. non satis, & can. est etiam, dist. 86.* Hæc est etiam sententia *D. Thomę in 3. dist. 29. art. 6. & 7.* & ante illum D. Ambrosij *tom. 3. in c. 18. Luc. super illa verba, omnia quaecunque habes vende, &c.* & D. August. *tom. 2. epist. 38. ad Lętum*, quos refert & sequitur Abulen. *p. 3. in c. 6. Matt. quęst. 65.* Quam sententiam confirmant Gloss. *in c. 1 de cohabit. cler.* Cardin. *in can. sicut, col. 2. dist. 47.* Panormit. *in c. peruenit n. 1. de arbit. & in c. super, col. fin. de reb. eccles. non alien.* Pręposítus *in d. can. non satis, n. 21.* Et passim inquiūt DD. *in d. can. non satis*, maiorem esse pietatem in pauperibus consanguineis alendis, quàm extraneis, quod multis allegatis benè probat Surd. *de aliment. tit. 1. q. 93. n. 2.* Hinc regulę nostræ Expositores docent, nouitium, qui bona sua cōsanguineis egenis dispensat, nō vt eos ditet, sed vt amore Dei eorū necessitates subleuet, opus maximè meritorium, ac diuinę voluntati, sāctissimęq; Patris nostri intētioni conforme facere, hancq; esse eleemosynam cęteris paribus gratiorem affirmant.

4 Nomine cōsanguineorū pauperū intelliguntur non solum, qui in extrema, vel quasi extrema necessitate sunt constitui, sed etiam qui iuxta suę conditionis statum, seu gradum egentes dici possūt. Et illud dicitur erogari in causā piam, quod alicui datur, qui quāuis non sit mendicus, secundū tamen statū natalium suorū aliqua sustētatione indiget, veluti qui habet puellas, quas maritare non potest, vt sunt formalia verba Baldi *in l. si quis ad declinandum, n. 5. de Episc. & cler.* & ante illū Bart. *in l. 1. n. 34. C. de sacrosanc. eccles.*

cuius

cuius doctrinã appellant cõmunẽ Barbat. *in c. ad hec n. 8. de testam.* & Alex. *conf. 126. n. 7. lib. 4.* quos refert, & approbat Bellon. *conf. 16. à n. 6.* Nota tandem, pauperem nobilem videri ignobili præferrendũ, Ripa *ĩ tract. de redẽ. ad conferu. vbert. n. 157.* quia ĩfeliciſſimũ infortunij genus eſt inter omnes mundi aduerſitates aliqãdo fuiſſe felicẽ, *cã. cõſideranda, iuncta Gloſſa diſt. 86.* Surd. *ĩ loco citato n. 30.*

5 Ex hac concluſione infertur, retenta opinione, vt non teneatur nouitius bona ſua pauperib. erogare, ſi ea conſanguineis nõ egẽtibus ſola affectione carnali ductus relinquat, culpa veniali ad ſũmum ſe cõmaculare, niſi aliqua intercedat iuſta, vel rationabilis cauſa, qua ea pauperibus erogare nequeat, vt ſi id facere non poſſet, vel ob loci diſtantiam, vel quia bona ſunt litigijs ĩuoluta, & ſi ea liberare uelit, probationis tempus cum ſui ſpirituali prouẽtus præiudicio præteribit; uel quia id ſine ſcandalo fieri nequit. Hinc nõ approbo, quod ſcripſit Crouſers *lect. 2. §. hec eſt vltima, in fine ĩ c. 2. f. 72.* nẽpè grauiter peccare ꝑlatũ recipietẽ ſciẽter talẽ nouitiũ.

DVBIVM III.

An Minores inducere poſſint nouitios ad aliquid monaſterio, vel ſibi relinquendum.

SVMMARIVM.

1 *An fratres Minores peccent mortaliter inducendo nouitios ad aliquid ſibi, vel Religioni relinquendum.*

2 *Etiam ſi indirectè, vel tacitè.*

3 *Etiam ſi non per ſe ſed per alios.*

Fraus fit legi, ſi qđ eſt vna via prohibitũ cẽſeatur alia via conceſſũ.

4 *An liceat fratribus Minorib. recurrere ad nouitios ꝑ ſuis neceſſitatibus ſubleuandis.*

Item an liceat eleemoſynam ſpontè à nouitijs oblatam recipere n. 10.

5 *An Minoribus prohibeatur ſolicitudo etiam interna de bonis nouitij, an ſolum externa, & effectualis.*

6 *Item an purum deſiderium ſe ingerendi in diſpoſitione bonorum nouitij; An verò eam determinatione n. 8.*

7 *An deſiderium purum dicatur ſolicitudo.*

Quando lex humana indirectè & ꝑ quandam conſequentiã præcipiat actum voluntatis internum.

9 *Duplex ĩtẽtio legiſlatoris, vna cadẽs ſub ꝑcepto; altera verò non cadens sub obligatione legis.*

Reſpon-

RESPONDEO hac conclusione, Omnibus fratribus, & etiam Ministris vi regulę ĩhibita est sub lethalis culpæ reatu præfata inductio. Probatur hæc conclusio ijs regulæ verbis, *Et caueant fratres, & eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus.* Vnde Clemens V. *in clem. exiui. §. ceterum de verb. signif.* declarauit, tam fratres, quàm Ministros se abstinere debere ad inducendum nouitios ad sibi dandum de rebus suis temporalibus: Quod confirmatum est ab Expositoribus, & intelligitur conclusio tam de nouitijs ingressuris, quàm ingressis, habituq. religionis ĩdutis, vt benè notant Cord. *c. 2. q. 9. p. 3.* & Politius *c. 2. n. 64. i fine.*

2 Ampliatur conclusio primò, vt locum sibi vendicet, nedũ quoad inductionem, seu sollicitationem expressam seu directam, sed etiam quoad tacitam, seu indirectam; nam taciti, & expressi eadē est ratio *l. cum quid, ff. de reb. cred. & c. 2. de rescrip.* At ad constituendam hanc inductionem tacitam necesse est, vt frater nouitium omnino inducere intendat, quando cum indirectè solicitat; Et quamuis effectus ex inductione non sequatur, labe tamen mortali se coinquinat, vt contingere solet ei, qui rem prohibitam voluntate consentiente consequi desiderat, vt statim probabitur.

3 Ampliatur secundò ut fratres non solum per se, uerum etiam per alios inducere nequeant nouitios ad aliquid sibi, seu monasterio, aut Ecclesiæ relinquendum. Patet hæc ampliatio, quia legitimè fit fraus, si quod una uia est prohibitum, censeatur alia uia concessum *c. constitutus vbi Glossa per multa iura, verbo in fraudem, de priuileg. c. si ciuitas de sent. excom. in sexto, & c. cũ quid, de reg. iur. in eod. sexto, vbi Glossa.* Vnde qui facit per alium, est perindè, ac si faciat per se ipsum. *c. qui facit, de reg. iur. in sexto.*

4 Ampliatur tertiò, ut illicitum sit fratribus recurrere ad nouitios pro suis necessitatibus subleuãdis. Hinc iure optimo Zabarella inquit *in Clem. exiui n. 5. de verbor. signif.* unum solũ modum permitti fratribus habendi de bonis nouitij, quãdo scilicet ille cõtulit per modum eleemosynæ: Ergo alij prohibentur *l. cum pretor, ff. de iud.* Verum existente graui necessitate, cui fratres per benefactores, atq; amicos spirituales consulere nequeũt, minimè dubio in tali euentu huiusmodi prouisionem à nouitijs petere posse, dummodo non sit adeò excessiua, vt ex notabili quantitate præsumi possit sinister oculus contra fratres. Quod probatur, nam si-

cuti

cuti obligatio aliorum regulę pręceptorum existente aliqua graui necessitate, seu causa cessat: ità pari ratione hæc obligatio in hoc casu cessare debet. Et tunc adest necessitas grauis, quando fratres bono modo suæ necessitatis prouisionem neque à benefactoribus, neq; ab amicis spiritualibus mediante pecunia habere possunt.

5 Limitatur conclusio primò à Gondisal. *in firmam. 3. ordin. f. 99.* Corduba *c. 2. q. 9. p. 1.* & Politio *c. 2. n. 63.* vt non extendatur ad internam, sed externā solummodo, & effectualem solicitudinem. Ducuntur, nam solicitudo, seu desiderium tātūmodo internū est admonitio regulæ ad vitādū malū ex iure diuino, & naturali prohibitū: è cōtrario verò solicitudo effectualis prohibetur, quatenus iuxta Clementis Quinti declarationē, receptio nouitiorū ex parte ipsorū fratrū appereat sācta, & nō cupiditatis vitio infecta.

6 Quoad hanc limitationem dico primò, nō esse contra hāc obligationem solicitudinem, seu desiderium internum, quod habet frater vel habendi bona nouitij pro monasterij, aut suorum consāguineor. vtilitate, vel se ingerēdi in dispositione eorūdē bonor. seclusa tamē intētione mādādi ad effectū tale desiderium, quāuis illud sit contra puram regulę mentem, possitq. esse alia via peccaminosum. Ità in simili docent Vasquez *1. 2. disput. 115. c. 3. ad fin.* Sāchez *in pręcep. decal. lib. 6. c. 18. n. 18.* & Suarez *to. 4. de relig. tract. 10. lib. 6. c. 7. n. 9.* Et hoc cēseo intendere Expositores citatos; Ratio huius assertionis est, quia cum à regula nō desideriū, sed solicitudo, & cōsiliū īhibeatur, & actus īternus limites desiderij nō excedēs nō cōprehēdatur sub actu solicitādi nouitiū; sequitur tale desideriū nō esse peccatū cōtra regulā. Dixi posse alia via esse peccaminosū; quia potest esse tā vehemēs, vt exponat fratrē ī morali periculo violādi hoc pceptū, eò vel maximè si inordinata solicitudine prospiciēdi necessitatib. vel monasterij, vel cōsāguineor. vel alior. se pmittat agitari: Difficile enī est post cōceptū desideriū nō efficere aliquid, oblata occasione, vt adimpleatur. Quare ī hoc casu tale desideriū nō vacat culpa iuxta qualitatē periculi, seu scādali, vt ità dicā, qđ frater ratione huius desiderij sibi ipsi infert.

8 Dico secundò, à culpa lethali non esse immune desiderium perfectè determinatū, quod latet in corde fratris se ingerēdi actu externo consilij, vel solicitudinis in dispositione bonorum nouitij, quando scilicet in corde consentit eo modo se gerere velle, quo

talis solicitudo, seu consilium à regulâ inhibetur: Ità in simili docet Sanchez in loco citato. Quod probatur; nam lex humana potest indirectè, seu per quandã consequentiã pręcipere & prohibere actum voluntatis, & intellectus interiorẽ, quatenus potest esse per se cõnexus cũ actu exteriori præcepto, vel prohibito, vt inter alios benè docet Saurez *de legib. lib. 3. c. 14. n. 9.* Hic est, vt eo ipso quod lex prohibet aliquid facere, prohibeat etiam habere propositum absolutũ faciendi. Exempli gratia, prohibito ab Ecclesia esu carnium, nedum prohibetur actus exterior, sed etiam voluntas interior, ita vt ex illa etiam sola peccatum merè internum consurgere possit. Cũ ergo regula prohibeat solicitudinẽ rerũ nouitij, prohibet etiam propositum absolutum eiusdem solicitudinis.

9 Non obstat, cum facta sit hæc prohibitio ad euitandũ scandalum, vel ad alium finem, puta ad non auferendam nouitij libertatem, non prohiberi desiderium, seu consensum merè internum usquedum non exeat ad actum externum, eo quòd per illum non læditur finis legis; Nam hæc euasio facili negotio diluitur; Etenim iuxta doctrinam D. Thomę *in 2. dist. 28. q. 1. art. 3. in corpore, & in 3. dist. 36 q. vn. art. 6. in corpore, & 1. 2. q. 100. art. 9. ad secundũ*, Adriani *4. vbi de confess. q. 5. dub. 4. ad fin. in solut. ad 3. argum.* Caietani *1. 2. q. 100. art. 9. ad fin.* & quamplurium aliorum in lege duplex est intentio legislatoris. Vna de qua intendit pręceptum inducere: Altera ad quam intendit per præceptum inducere. Prima est omninò obseruanda, quia cadit sub præcepto: secus verò dicendum est de secunda. Hinc apud DD. axioma commune habetur asseuerans finem præcepti sub præcepto minimè cadere. Cum ergo in casu nostro cadat sub præcepto solicitudo, & consilium, non finis ad quem regula intendit per hanc obligationem inducere fratres, patet peccare mortaliter fratrem præbentem consensum ad violandum actu externo hoc præceptum. Quod confirmatur, nam quemadmodum inter DD. pro indubitato habetur peccare eũ, q. die ieiunij ab ecclesia præcepti nõ ieiunare se proponit, quamuis postea ieiunet, lex q. ecclesiastica consequatur finem abstinentiæ, seu macerationis carnis, quam imponendo ieiunium prætendebat. Ità eodem prorsus modo peccat frater Minor habens præfatum propositum absolutum, quamuis illud non exequatur.

10 Limitatur secundò, vt integrũ sit Minoribus aliquid recipere

quod.

quod eis per nouitios liberaliter per modum eleemosynę offertur. Ità *Clem. exiui.* §. *cum verò, de verbor. signif.* Zabarel. *ibi n. 5.* Feder. de Senis *cons. 12.* Panormit *cons. 27. vol. 2.* Felin. *in c. in prȩsentia, de probation.* Tuscus *lit. F. concl. 467. n. 68.* & communiter Expositores. Quod sic intelligendum est, vt inquit Clemens V. fratres scilicet cauere debere, ne ex notabili quantitate pręsumi possit sinister oculus contra fratres; tunc enim quod regulę forsan non repugnaret, illicitum fieret ratione scandali, vt benè notarunt Corduba *c. 2. q. 9. p. 4.* & Polit *c. 2. n. 66.*

DVBIVM IV.

An interdicta sit Minoribus non solum solicitatio, seu consilium inducendi nouitios ad sibi dandum, sed quęcunque alia solicitatio, aut consilium.

SVMMARIVM.

1 *An Minores prohibeantur ex regula esse soliciti de dispositione bonorum nouitiorum, vel alienorũ, etiam quę eis competunt, ità vt tollatur nouitijs libertas disponendi.*

2 *Item an prohibeatur retrahere nouitios ab irrationabili dispositione eorundem bonorum.*

3 *An adipleri possit lex per ęquipollẽs, modo habeatur effectus ab eâ itẽtus.*

4 *An liceat fratribus commendare nouitijs inopiã sui Monasterij, vel suorum consanguineorum, & huiusmodi.*

5 *Item an inopiam alicuius miserabilis, & mendici.*

1 Respondeo hac cõclusione. Regula nedũ prohibet solicitudinẽ, & consiliũ, quo fratres ĩducere possũt nouitios ad aliquid sibi relinquendum, vt in superiori dubio expeditum est: sed etiam quamcumque aliã solicitudinem, inductionem, ac consilium, quo aliquo modo tolli queat rationabilis nouitiorum libertas. Quod probatur, nã cũ regula intendat, vt nouitij liberè faciant de rebus suis quid quid Dominus eis inspirauerit, idest vt disponãt de eisdem rebus secundũ suam rationabilẽ voluntatem, patet ex eadem

regula inhiberi quancumque inductionē, cōsiliumue, quo hæc libertas impeditur: Ità cōmuniter Expositores, & colligitur ex Clē. exiui, §. *cæterum*. Quam prohibitionē putat Bart. *in minor. lib. 3. dist. 2. c. 2.* quem sequitur Tuscus *lit. F. concl. 467. n. 49.* extēdendā esse, etiam si nouitius distribuere deberet bona aliena, de quibus fortè esset executor relictus.

2 Ex hac conclusione infertur primò, regulæ minimè aduersari, præbere nouitio consilium, si de reb. suis irrationabiliter disponeret, vt ad leuitates, inaniaq. facięda, vel ad pauperes extraneos priuādo illis absq. rationabili causa affines, consanguineosq. suos egenos, vel si aliā huiusmodi irrationabilē dispēsationē facere intēderet etiā pietatis causa. In his ergo, & alijs huiusmodi casib. nō solum potest Minister, sed etiam debet errorem nouitio insinuare, eiq. consiliū præbere, quatenus suarū rerū dispsitionē secundum rationabilē voluntatem faciat, cauendo, ne sit solicitus pro fratrib. aut pro alijs circa res eiusdem nouitij, simulq. ne coerceat eius voluntatem ad suum arbitrium. Sufficit. n. vt nouitij animum à mala dispositione retrahat, insinuando ei, vt dictum est, errorem, & relinquendo eum in sua libertate.

3 Probatur hæc illatio, nam quando aliquid præcipitur in ordine ad aliquē finē, tunc habito fine illo per aliquē aliū modū licitū, iam nō manet obligatio ad illū modū præceptum, sicuti de correctione fraterna docent DD. nempè si potest melius fieri correctio absque præuia monitione, & testium inductione, tunc talis ordo euangelicus nō est obligatorius. Ità eodem prorsus modo, cum inhibitio facta fratribus non præbendi nouitijs cōsilium sit ad consequendū finem, vt nouitij liberè de bonis suis disponant, & fratres non sint soliciti, seu auidi de suis rebus temporalib. patet, tunc habito hoc fine, cōsilij inhibitionem cessare, ac proindè cōsilium nouitijs modo memorato præbere, non esse culpabile, immò meritorium, vt colligitur expressè ex D. Thom. *2. 2. q. 33. art. 2.* quem Caiet. *ibi*, & communiter Doctores sequuntur.

4 Infertur secundò, integrum nō esse fratribus commendare nouitijs aliorum inopiam, si hec cōmendatio sufficiens censeatur ad coarctandam nouitij voluntatem: Secus verò si non dijudicatur talis. Existimo rationabilem nouitii voluntatem tunc compelli, quando per fratres ei proponuntur proprii monasterii, & ecclesiæ necessita-

necessitates, vt in superiori dubio enodatū fuit. Et quāuis Rodr. *in sum. p. 2. c. 7. concl. 2.* censeat suā libertate nō priuari nouitium, cui egestas conuentus significatur: hoc tamen nō auderem docere maximè inter nos Cappuccinos; quia ob magnam reuerentiam, quam erga fratres habent nouitii nostri, & ob timorem nō perueniendi ad professionē, vel ob alias huiusmodi causas aperte videtur volūtas nouitii hac cōmendatione cogi ad fratrum arbitrium sequendum. Hocq. expresse docetur à Bart. *in Minor. lib. 3. dist. 2. c. 2. ad finem* dicente, rogatum, & suasionem fratrum esse ingressuro religionem preceptum, quo impeditur, ne res suas liberè distribuat. Idem asserendum est de commendatione per fratrem nouitiò facta pro suis consanguineis in egestate constitutis, vt meritò notat Thesaurus *c. 2. f. 101.* Eodem modo concludendum censeo de quacunq. alia commendatione precum importunitate facta. Hic obiter notandum occurrit, primò cōmendationem Ministri, atque Magistri vtplurimum magis compellere nouitium, quàm aliam commendationem ab inferiore factam. Similiter efficacior censetur ea facta à fratre commorante cum nouitio, quàm ab alio fratre hospite. Secundò non omnem commendationem, aut consilium impediens rationabilem nouitii voluntatem esse mortiferum, sed solum quando est tale, vt ad prudentis arbitrium impedire notabiliter possit nouitii voluntatem, vt bene aduertit Crousers *lect. 3. § quaret aliquis, ad c. 2. reg. f. 80.*

5 Aliæ verò commendationes, quæ ex se rationabilem nouitii volūtatem ad prudentis arbitrium cogere nequeunt, à regula non inhibentur: vt puta nouitio egestatem alicuius miserabilis personæ insinuare, seu commendare. Idem dicendum censeo de consilio, non circa fratrum, aut consanguineor. fratrū necessitates, sed circa indigentiam extranearum personarum, non nimia precum commendatione, sed modo ordinario præstito. Quod probatur, nam licèt hęc consilia, commendationesue moueāt nouitii voluntatem: quia tamen eis annexa non est vis talis, quæ nouitium à rationabili arbitrii sui voluntate retorquere queat, sequitur, voluntatem eiusdē nouitii iuxta regulæ mentem remanere liberam.

Dub.

DVBIVM V.

An nouitij consilium petentes circa bonorum suorum distributionem mitti debeant ad timentes Deum.

SVMMARIVM.

1 *An & quibus competat mittere nouitios petentes cõsilium circa distributionem bonorum ad aliquos timentes Deum.*
Et an si fratres quibus nõ cõpetit mittant eos peccent mortaliter.
Cui committitur principale, committitur & illud sine quo principale exequi nequit.
2 *Ad quos timentes Deum sint mittendi nouitij pro dispositione bonorum suorum.*
An liceat fratribus suggerere dictis timentibus Deum à nouitijs cõsulendis suas, vel aliorum necessitates.
3 *An peccent mortaliter Ministri, si non mittant nouitios ad timentes Deum, sed ipsi prebeant consilium.*
An trangressio solius circunstantię pręcepti sit peccatum mortale.

RESPONDEO hac conclusione. Quia regulę text. *c. 2.* dicit, si nouitij consilium requirant, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos timentes Deum, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur, patet, eosdem nouitios mittẽdos esse pro consilio ad timentes Deum: ita decernitur *in Clem. exiui,* §. *cęterum, de verbor. signif.* Et quia regula hoc Ministris concedit, iurè meritò notant Cordub. *c. 2. q. 9. p. 2.* Politius *c. 2. n. 65.* & The. *c. 2. f. 104.* illicitũ esse alijs fratribus mittere nouitios ad timẽtes Deum pro memorato consilio. Excipiuntur illi, quibus ad Ordinem recipere ex commissione, vel priuilegio competit. Quia cui committitur principale, committitur item & accessoriũ, sine quo principale exequi commodè nequit, *l. 2 ff. de iurisdiction. o. iud. & l. 1. C. de ord. iud.*

At estò mittatur nouitius ad hoc consilium petendum à fratre hanc facultatem non habente, quæritur, an mortaliter peccet. Respondeo breuiter, seclusa in eo inordinata rerum temporalium

fium nouitij sollicitudine, perspicuum esse nexu saltem mortifero non illaqueari, quia nec materia est grauis, nec regula vtitur verbis sufficientibus ad tantam obligationem inducendam. Nota inter nos Cappuccinos consuetudinem obtinuisse, nouitios mitti ad timentes Deum per Magistros, vel Guardianos.

2 Ampliatur conclusio primò, vt mitti debeant nouitij ad hoc cõsilium petendum extra Ordinem, vt inquit Clemens. V. Et ideò hac facultate gaudentibus nequaquam licet, eos mittere ad preuentos ab ipsis fratribus, & ab eis admonitos, vt nouitijs consiliũ prebeant ad aliquid ipsismet fratribus, vel consanguineis suis relinquendum, vel quid simile circa bonorum suorum dispensationem agendum, per quod ipsis nouitijs libertas rationabilis, qua potiri debent auferatur. Fratres enim in huiusmodi euentu lethali labe se sauciarent; nam sicut hæc sunt eis interdicta, sic nec ea p alios licitè agere valent; Cum enim aliquid vna uia prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *c. cum quid, de reg. iur. in sexto.* Nec potest fieri illud, per quod peruenitur ad id, quod prohibitũ est à statuto, vt dixit Rota *decis. 7. n. 3 penes Puteum lib. 3.*

Si verò præueniant præfatos timentes Deum, quatenus consulent, retrahantque nouitium ab irrationabili dispensatione, non solum non peccant, sed opus apud Deum meritorium agunt, vt ĩ dubio antecedẽti daclaratum est. Ita etiam vacat omni culpa nominare eisdem Deum timentibus aliquas personas miserabiles, vt eas nouitijs commendent, dummodo huiusmodi commendationibus libertas nouitiorum non tollatur, vt in superiori dubio ostensum est.

Ampliatur secundò, vt mitti nõ debeant ad Syndicos Ordinis, nec ad cõsanguineos fratrũ, nec ad alios huiusmodi vt plurimum affectos ad Religionẽ pro commodo eius temporali. Nec item ad affectos magis ad bona nouitiorum, quàm ad utilitatẽ animarum suarum. Ita Corduba, Polinus, & Thesaurus. Hæc tamen est admonitio; nam Ministri mittẽtes nouitios ad huiusmodi personas existimantes bona fide esse idoneas ad prestandum eisdem nouitijs rectum consilium, regulam minimè lædunt, dummodo rerum nouitiorum his personis solicitos, seu auidos non se ostendant.

8 At insurgit hic difficultas, an rei sint lethalis culpæ Ministri, qui nolunt mittere nouitios petentes consiliũ ad timentes Deum?

sed ipsi

nam vt iure optimo docet D. Thomas *2.2.q.49.art.3.* in ijs, quæ ad prudentiam pertinent, maximè indiget homo, ab alio erudiri, & præcipuè à senibus, qui sanũ intellectũ adepti sunt circa fines operabilium. Vndè Arist. *tom.5. ethicor. lib.6.c.11. fin. Peritorũ hominum, & seniorum, seu prudentum pronunciationibus, & opinionibus absq. demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum est: quia, nam quę ex ipsa experientia visum habent, principia intuentur.* Quod cõfirmat memoratus Sanctus Doctor illa *Prou. 3.* sententia, *Ne innitaris prudentiæ tuę:* & alia *Eccles. 6. In multitudine præsbyterorum,* id est seniorum exponit idem Sanctus, *prudentium stà, & sapientiæ illorum ex corde coniungere.* Quam doctrinã quampluribus auctoritatibus corroborare possem, quas hic recensere breuitas negat. Et ideò pro resolutione dubij nostri sit Cõclusio.

Cum memorata bonorum temporalium dispensatio magnam exigat prudentiam, ac inter grauia negotia meritò computetur, maximè si à iuuenibus in mundi agibilibus parũ expertis fieri debeat, patet in ea necessarium esse prudentum consilium, ne nouitij in errorem minimè laudabilem labantur. Quinimmo pro cõperto habeo, Ministrum, vel Magistrum non esse à culpa lethali immunem non mittentem nouitium, etiam si ipse non petat, ad timentem Deum, quem in errorem non leuem ob imperitiam, vel ignorantiã casurum esse agnosceret, si dispensationẽ suorum bonorum sine aliorum consilio ex se ordinaret. Et notandum, fatuum esse, huiusmodi nouitium ad præfatum consilium petendum nõ inducere confidendo solo diuino auxilio; nam iuxta D. Thomam *2.2, q.53. art.4 ad p.* homo prætermittens facere quod potest solum diuinum auxilium expectans, videtur tentare Deum.

2 Præfatus Pactus existimat esse etiam transgressorem regulæ subditum suadentem nouitio adire personam, quam in consiliariũ adhibere debet. At si intendat eũ lethaliter peccare, prout intendere videtur, hoc quoque gratis dictum est, nisi frater consulat nouitio ad eligendum aliquem ab ipso fratre, vel à fratribus præuentum, ac admonitum, quatenus inducat nouitium ad aliquid fratribus, vel suis consanguineis relinquendum, vel aliquid simile agẽdum, per quod libertas nouitij tollatur. Ratio præfatę assertionis est, quia memoratum consilium in hoc euentu non tollit finem huius præcepti, veluti in superioribus dubijs en odatum fuit

Censeo tamen prædictum subditum culpam venialem non effugere, nisi bona fides, aut ignorãtia, vel alia rationabilis causa eum excuset; quia ex regula ad Ministros tantũ, non ad subditos spectat consiliarij electio. Idem dicendum, si subditus ex se mitteret nouitium petentẽ, vel nõ petentem consilium ad timentẽ Deum, vt in proximo dubio dictum est.

DVBIVM VII.

Quæ sint renunciationes, aut obligationes, quę à nouitijs fieri nequeunt, nisi seruata forma à Tridentino tradita.

SVMMARIVM.

1 *Dispositio Con. Tridẽtini circa renũciationes, & obligationes nouitior.*
2 *Causa finalis d. dispositionis Concilij.*
3 *An dispositio Concilij comprehendat etiam donationes inter viuos.*
4 *An comprehendat renunciationem beneficij.*
An tempore probationis vacet beneficium.
An nouitius intrà illud tempus posit iustè spoliari beneficio.
An per emissionem professionis vacent beneficium, vel pensiones.
An Regularis sit capax beneficij sæcularis.
5 *Quid agendũ de fructibus, qui tempore probationis ex beneficio habẽtur.*
6 *An dispositio Concilij comprehendat patrimonium, cuius titulo Ordinatus est nouitius.*
7 *An renunciationem officior. publicor. temporalium.*
8 *An fideiussionem.*
9 *An renũciationẽ, qua nouitius liberat tutorem à reddendis ratiocinijs.*
10 *An contractus onerosos, & non onerosos n. 15.*
11 *An donationem Deo, B. Mariæ, vel Sanctis oblatam.*
12 *An vestitũ habitus nouitior. Et ã idẽ circa hoc disponat Regula Minorica*
13 *An aliquid, quod de more datur pro solemnitate professionis Monialium.*
14 *An donationes, vel oblationes factas Monasterio a tutoribus, vel curatoribus, siuè consanguineis nouitij.*
16 *An testamentum.*

Respon-

1 Respondeo prænotandũ esse, Cõcil. Tridẽt. *sess. 25. c. 6. de regu.* sic statuere. *Nulla quoq. renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramẽto, vel in fauorẽ cuiuscunq. causę pię valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligitur effectum suum sortiri, nisi sequuta professione: aliter verò facta etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

2 Cum igitur Tridentinum irritet, & annullet renunciationẽ seu obligationem bonorũ nouitij, quia obstat libertati egressus eiusdem nouitij, nisi fiat seruata solemnitate huius decreti dico.

3 Primò non solum comprehendere renunciationes, & obligationes, sed etiam donationes inter viuos, quia donatio, & renũciatio pari passu ambulant. & quod de vna dicitur, ĩ alia etiam procedit, vt docent Bald. *in l. illud n. 7. C. de sacros. eccles.* Rim. iu. *cons. 393. n. 62.* Menoch. *cons. 990. n. 11.* Honded. *cons. 66. n. 79.* Merlin. *de legit. lib. 1. tit. 2. q. 11. n. 3. & 4.* & latè Steph. Gratian. *discep. forens. c. 409. n. 18 & 19. lib. 3.* Hinc ij DD. inquiunt, quod vbi in lege fit mentio de donatione, procedit etiam in renunciatione, & è cõtrà, eo quòd sunt omnes actus gratuiti: Immò subiungunt, sõlemnitates, quæ requiruntur à lege in donatione, requiri quoq. in renũciatione, patet, vtrãq. obstare libertati, qua gaudere debet nouitius iuxta Concilij mentem. Et itâ in proprijs terminis docet Nauar. *lib. 3. cons. 81. & 82. de regular. in 2. edi. & in comment. 2. de regular. n. 51. in fine.* Menoch. *de arbit. iud. lib. 2 centur. 5. casu 436. n. 8.* Emanuel sà *tit. religio, n. 5.* Molina *tom. 2. disp. 139. col. 9. vers. ambiget preterea,* Rodriq. *p. 2. sum. c. 7. n. 8.* & alij.

4 Secundò cõprehendit renunciationem beneficij, vt docent Vega *2. tom. sum. c. 10. cas. 3.* Maiol *lib. 3. de irregular. c. 6. n. 2.* Azorius *p. 2 lib. 7. c. 20. q. 6.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 16. n. 12.* Manual. prælat. *tom. 1. q. 23. art. 5.* & Sanchez. *in præcep. decal lib. 7. c 5. n. 38.* quamuis contrariũ sustineat Garzia *de benef. p. 11. c. 9. n. 12.* Quare notandum est, tẽpore probationis nõ vacare beneficiũ, vt habetur expressè *c. beneficium, de regular. in sexto,* & ibi Gemin. Ang. *tit. nouitius. n. 22.* Syluest. *religio 2. q. 8.* Paris. *de resignat. benef. lib. 3. q. 13.* & alij: Quod etiam dictum fuit à Rota *decis. 1060. n. 4. coram* Seraph. Idem dicendum de iure acquisitio ad beneficiũ, licèt nouitius nondum habuerit actuale illius exercitiũ, quia satis est, vt

in ingressu religionis habeat ius beneficij in ipsum collatum. Ità Gloss. *in d.c. beneficium, verbo, conferendum*, Anchar. *ibi non longè à princ.* Arch. *ibi*, Gemin. *n.6.* & Giouag. *lib.1. respons.88.n.18.& 19.* Immò vi decreti Tridẽtini modò citati nouitius iustè priuari non potest beneficio suo intra dictum probationis tempus, vt iure optimo docet Gigas *de pensionib.q.57.n.7.& 8.* Maiol. *de irregular. vbi sup.* Mandos. *in casibus annalib. cas.192 n.63. ad fin.* Sanch. *c.4.n.6.* & Suarez *ī loco citato.* Et hoc intelligitur, etiã si nouitiatus pluribus annis duraret, vt nõnulli ex citatis Doctoribus notãt. Verùm post emissam professionem vacat beneficium; quia Regularis absque dispensatione est incapax beneficij secularis *c. cum beneficio, de præben. in sexto*, & confirmatum est à Bellamer *decis.171.* & Felino *in c. in nostra n.44. de rescrip.* Quod etiam dictum fuit à Rota *decis. 543.n.4 p.2. in recent.* Hinc statim post professionem integrum est ei, ad quem spectat collatio, illud liberè conferre, vt dixit Rota in decis. modò citata. Idem dicendum est de pensionibus, vt docent Gigas *vbi sup.* & *etiam in quæst.99.n.11. in fine, & n.12.* Lelius Zecchius *de republ. eccles. tit. de regular. c.3.n.14. ampliat 2.* & Sanchez *n.13.* Et ideò Rota *decis.104 n.7. coram Mantica* dixit pensionem per susceptionem habitus, & emissionem professionis extingui, nisi hoc obstaculum fuerit à Romano Pontifice sublatum, quidquid Sanch. dicat alibi *lib.7.c.29.n.8.*

5 Ex fructibus autẽ beneficij assignari debet cõgrua portio Vicario ipsius beneficij, vt habetur *in d c. beneficium*: quę quidẽ portio per Ordinarium taxãda est, vt in simili casu decernitur à Trident. *sess.7. de reformat. c.7. & sess.25.c.16. de reformat.* & confirmatur à Rodriq. *tom.1.q.37. art.1.* Quoad residuos fructus, qui tẽpore probationis ex beneficio habentur est cõtrouersia inter Doctores, ad quos spectant: Quidam existimãt cedere debere in vsus Ecclesię: alij deberi monasterio pro eiusdem nouitij alimentis: Ego autem minimè dubito esse ipsius nouitii, vt docẽt Mãdosius *vbi sup.* Confect. *tit.13.c.2. fin.* & Sanch. *n.18.* Vbi verò consuetudo aliter obtinuit, seruanda erit, quia vim legis habet: ita Syluest. *tit. religio 2. q.8.* & Rodriquez. Fratres verò Minores vi regulæ nequeunt illud residuum procurare, vt benè aduertit Rodriquez.

6 Tertiò cõphẽditur sub hoc decreto patrimoniũ, cuius titulo ordinatus est nouit...s, vt notãt Mirã. *vbi sup.* & Sãch. *c.5.n.40 & 41.*

Quartò

7 Quartò locum etiam habet prædictum Concilium in renũciatione officiorum publicorũ temporaliũ, vt si nouitius esset tabellio, vel aliud huiusmodi officium haberet. Hocq. intelligitur, quãdo fit renunciatio officii, quatenus statim trãsferatur in eum, in cuius fauorem fit renunciatio: ita Sanch. *n.43*.

8 Quĩtò, cõprehẽdit quoq. fideiussionẽ, vt bene docet Sãch. *n.34*.

9 Sexò habet etiam locum in liberatione, qua nouitius tutorem, seu curatorem suum à reddendis ratiociniis liberat; Et est ratio, quia hæc liberatio est quædam renunciatio, vel obligatio ad non petendam administrationis rationem, vt meritò notat Nauar. *ubi sup cons.83*. secus verò, si hæc liberatio facta est à nouitio in testamẽto, nõ alterãdo naturã testamenti, vt benè subiũgit idẽ Nauar.

10 Septimò includuntur etiam in memorato Decreto aliqui contractus onerosi: illi scilicet, in quibus non tantundem recipitur à nouitio, quantum datur. Exempli grátia, dare pecuniam in puellę dotem marito futuro est contractus onerosus, qui in hoc decreto comprehenditur, vt notat Sanchez *n. 32*.

11 Octauò. censeo etiam comprehendi à Tridentino donationem Deo, seu Beatæ Mariæ, vel Sanctis oblatam, dũmodo attentis facultatibus nouitii sit alicuius momenti. Primò, quia Trident. intendit de omnibus donationibus etiam in fauorem cuiuscunquæ causæ pię factis. Secũdo quia tàm donatio oblata Deo, vel B Marię quam renunciatio facta religiosis, aut secularibus obstat libertati nouitii. Non me latet Rodriq. *tom.2.q.47.art.5*. quẽ sequitur Sanchez *n.28*. contrarium docere: nihilominus ob rationes allatas à nostra opinione recedere nequeo.

Ex dictis infertur, sub præfato Concilii Tridẽtini decreto non comprehendi primò eleemosynam, seu donationem, quæ attentis nouitii facultatibus est modica donatio, seu eleemosyna. Quod apertè colligitur ex eodẽ decreto, vbi prohibens aliquid dari monasterio a nouitio tempore probationis subdit rationẽ, *ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè si discesserit, id recuperare possit* Et in hoc sensu intelligendus est Azorius *p.1.lib.13.c.9.q.2.* & Garcia *vbi sup. num.17*. docentes. Concilium non comprehendere eleemosynas per nouitios factas idest eleemosynas paruas, vel moderatas, quæ libertati egressus minimè obstrare possunt.

secundò

12 Secundò non comprehendit victum, & veſtitum, quem pro ſe tribuit nouitius Monaſterio, vt expreſsè habetur ĩ dicto decreto. Vndè nouitij in ſacra religione noſtra tutè induci poſſunt à Superioribus, vt de veſtitu, caligis, fœmoralibus, breuiario, & alijs huiuſmodi neceſſarijs ſibi prouideant. Et quamuis Pactus *c.2.art.10.n.45.* cenſeat, hanc inductionem aduerſari regulæ inhibenti ſolicitacionem, & conſilium bonorum nouitij: hoc tamen gratis dictum eſt, vt ex ſuperioribus dubijs in hac diſputatione apertè conſtat, vbi probatur à regula non prohiberi hanc rationabilẽ, & neceſſariam inductionem, ſed ſolicitudinem, & conſilium, quo nouitius priuatur libertate, qua in diſtribuendis rebus ſibi non neceſſarijs potiri debet.

13 Tertiò non includitur etiam ſub hoc decreto iuxta Suar.*tom.5. diſp.22.sect.5.n.15.* tribuere aliquid monaſterio, vel Monialibus in ipſa profeſſione, non pro ipſa, ſed pro ſuſtentatione nouitię, & monialium, & pro ſolemnitate, & feſtiuitate profeſſionis iuxta conſuetum morem. Et idem credit Sanch.*n.22.* de conuiuio facto in ingreſſu in nouitiatum, & de conſuetis tunc dari monialibus.

14 Quartò non comprehenduntur in dicto decreto donationes, oblationeſue factæ monaſterio, ſeu religiosis à tutoribus, curatoribus, ac conſanguineis nouitiorum ex proprijs bonis, non ex bonis nouitiorum, vt benè notant Suarez.*tom.3.de relig.lib.5.c.9 n.16.* & ità declarauit Sacra Cardinalium Congregatio. Idẽ dicendum de donatione facta à parentibus nouitij ex proprijs ipſorum parentũ bonis, non in dotem nouitij, quia computanda eſſet in legitima eiuſdem nouitij: Ità Sanch.*n.23.* & ſumitur ex declaratione modò relata. Ratio eſt, quia memoratã eleemosynã cuicunque extraneo facere poſſunt, ſic & monaſterio: Et Concilium ſolum prohibet aliquid ex bonis nouitij tradi Monaſterio.

15 Quintò nõ includit contractus emptionis, venditionis, permutationis, locationis, & alios huiuſmodi; quia in iis tantundẽ recipit nouitius, quantũ dat, ac proindè non efficitur pauperior. Idem dicendum eſt de contractibus, in quibus exponitur nouitius periculo lucri, & iacturæ, quales ſunt contractus ſocietatis, eo quòd non veniunt ſub nomine renunciationis, vel obligationis, Ità Sanchez *n.33.*

Sextò non includit teſtamentum, vt infra dicetur.

Dubium

DVBIVM. VIII.

An Tridentinum omnes renunciationes, atque obligationes tàm antè, quàm post ingressum Religionis comprehendat.

SVMMARIVM.

1 *An dispositio Concilij circa renunciationes, & obligationes nouitiorum loquatur solum de Minoribus sexdecim annis.*
2 *Itē an solū de renūciationibus factis sine animo ingrediēdi Religionem. An de factis paulò antè ingressum Religionis. & n.4.*
3 *An de factis post susceptum habitum probationis.*

RESPONDEO, præmittendum esse nonnullos Iurisperitos sustinere decretum Concilii Trident. *sess.25.c.16.de regular.* cōprehendere solū iuuenes sexdecim annis minores; Vndè inferunt, renunciationem à nouitio excedente hanc ętatem absq. solemnitate huius decreti factam non esse inualidam. Ità Menochius *de arbitr. lib. 2. centuria 5.cas.436.n.8.* & Thesaurus *lib.2. qq.forēsium q.56.n.7.* At contrarium est omninò tenendum, idest præfatum Tridentini decretum vendicare sibi locum etiam in iis, qui excedunt annū sextum decimū, vt iure optimo docet Rodriq. *p.2.sum.c.7.n.7.* & *tom.2.q.47.art.13.* & Sanchez *in præcep. decal. lib.7.c.5.n.7.* & ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio anno 1601. die 15. Ianuarii.

2 Hoc prænotato sit prima conclusio. Perspicuum est, Tridentinū non loqui de renunciatione, quam quis facit, non habens tunc animum ingrediendi religionem; Et ideò talis renūciatio facta non seruata hac solemnitate suo valore non caret, vt sentiunt Doctores. Et quāuis Rodriquez *art.8.* distinguat, an longè ante ingressum facta sit donatio, an paulò ante: hæc distinctio tamen ad fori exterioris præsumptionem pertinet. At quoad forum conscientię solummodo spectandum est, an facta fuerit intuitu ingressus religionis.

Secunda

3 Secunda conclusio. Pro indubitato etiam habetur apud omnes, decretum hoc Tridentini loqui de renunciatione facta à nouitio post habitum probationis susceptum; ita vt non valeat, nisi seruata forma huius decreti; Et propterea redeunte nouitio ad seculum omninò reuocatur, vt benè docent Hondedeus *cons. 73. à n. 16. vol. 2.* & Menoch. *de arbitr. iud. lib. 2. centur. 5. n. 7.*

4 Tertia conclusio. Si renuciatio fiat ante nouitiatus ingressum, & intuitu eiusdem ingressus, satis probabile est, hāc renunciationem comprehendi in hoc decreto, ac proindè esse irritam, si fiat contra formam, & solemnitatem à dicto Trident. petitam, vt latè probat Nauar. *lib. 3. cons. 81. & 82. de regular. in 2. edit.* & etiam docent Menochius *cons. 388. n. 7. vol. 4.* Azorius *p. 1. lib. 13. c. 9. q. 2.* Emanuel sà *tit. religio n. 5.* Lopez *lib. 2. de contractibus c. 39. not. 2.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dubit. 4. n. 49.* Molina *tom. 1. disp. 149. col. 7. vers. quod ad ecclesiam attinet,* Sorbus *tit. nouitius in fine, vers. & si ordinationes,* & alii, Nihilominus probabilius censetur contrarium. Et est ratio, quia Tredentinum intelligendum est de regularibus, & non de merè secularibus, qui nondum ingressi sunt nouitiatum. Qui enim attentè legerit memoratum Concilii decretum, perspiciet illud de solis gestis tempore nouitiatus sermonem habere. Ergo non comprehendit hanc renunciationem. Et ità tuentur Mandosius *cons. 22. à n. 8. vol. 1.* Pasarellus *in Comp. Minimorum c. 37.* Vega *tom. 1. sum. c. 91. cas. 4. & tom. 2. c. 50. cas. 3.* Cōfect. *in priuileg. mendicant. tit. 13. c. 12. & 13.* Quaranta *in sum. bullar. verb. monesteria p. 330. vers. dubium illud,* Rodriq. *tom. 2. q. 47. art. 8.* Garcia *de benefic. part. 11. c. 9. n. 15.* Thesaurus *lib. 2. qq. forēs. q. 56. n. 8. & 9.* Sanchez *in pręcep. decal. lib. 7. c. 5. n. 4.* Megaglius *1. 2. lib. 2. c. 27. n. 25. & 26.* Zanard. *in derect. Theologor. p. 2. c. 17. vers. primò si sit facta,* Naldus *tit. religiosus n. 1.* Rota Prouinciæ Marchiæ per Stephanum Gratian. *decis. 37. n. 2.* Et ita respondisse Sacram Cardinalium Congregationem die 18 martii 1598 his verbis inuenio *Congregatio Concilij censuit Decretum c. 16. ss. 25. de regular. non vendicare sibi locum in donationibus, vel renunciationibus ante habitus susceptionem, etiam animo, & proposito religionem ingrediendi factis.*

DVBIVM

DVBIVM IX.

Quis solemnitates exigat Tridentinum in renunciationibus nouitiorum, vt sint validę.

SVMMARIVM.

1 *Duplicem solemnitatem expostulat Concilium Tridentinum in renũciationibus nouitiorum.*
2 *De quor. licẽtia faciẽda sit renũciatio à nouitio ex dispositione Concilij.*
3 *An sufficiat licentia petita, licèt non obtenta.*
An quoties ad actus valorẽ desideratur licẽtia, debeat necessariò pręcedere
4 *An dicta licentia debeat esse in scriptis.*
5 *Intra quod tẽpus sit facienda renũciatio à nouitio ex dispositione Cõcilij.*
An dicta distantia temporis à Concilio præscripta sit accipienda mathemathicè, an verò moraliter.
6 *An renunciatio facta cum debitis solemnitatibus possit infirmari ab ipso Nouitio.*

1 RESPONDEO, duplicem solemnitatem petere. Prior, vt licentia Episcopi, aut eius Vicarij interueniat: Posterior, vt intra duos menses professioni proximos fiat.

2 Circa priorem tria sunt notanda. Primum. Sufficit licentia non solum Episcopi, seu eius Vicarij, sed etiam Capituli sede vacante, nec non Abbatum, vel aliorum Prælatorum iurisdictionem quasi Episcopalem habentium, nullique Episcopo subiectorum: Et quemadmodum licentia Vicarij Episcopi, ità licentia Vicariorum istorum est sufficiens: Quia omnes memorati facultatem concedendi hanc licentiam alteri delegare possunt. Nequeunt tamen præfatam licentiam impertiri Vicarij foranei absque expressa commissione sibi facta: neque regulares Prælati etiam maiores aliàs iurisdictione quasi Episcopali gaudentes, vt bene docent Rodriquez *tom. 2. q. 47. art. 14.* & Miranda *in Manual. prelat. tom. 1. quæst. 23. articul 6. conclusione 2.* nisi consuetudo præscripta inualuerit, hanc peti licentiã non ab Episcopo, sed à Religionis Prælato: ità Rodrquez

V *in sum.*

in sum.p.2.c.7.n.1. & Vega *tom.2. sum.c.50.cas.3.* Tutius semper tamen erit, ne valor renunciationis litigio exponatur, ab Episcopo, vel à memoratis de iure hãc potestatẽ habẽtib. obtineri licẽtiã.

3 Secundum notandum. Non satis est peti præfatam licentiam, sed necessariò obtineri debet: Quinimmò renũciationis actũ præcedere debet; Quia quoties ad actus valorem desideratur licẽtia, debet necessariò præcedere, vt colligitur expressè ex *auth. licẽtiam C. de Episcop. & cler. & ex l. si quis mihi bona, § iussum, ff. de acquiren. hered.* Quod confirmant Bart. *in l. si autẽ, ff. de aqua plu. arc.* Gemin. *in c. vlt. ĩ princ.* & Franch. *n. 3 de testã. in sexto* Rom. *in l. 2. §. sed virũ n. 11. ff. sol. matrim.* Aret. *in l. si quis mihi bona, § iussum, col. 4. circa mediũ, ff. de acquir. hered.* Corn. *cõs. 89. n. 11. & cons. 201. n. 11. lib. 3.* qui citat Baldum, Imolam, & Butr. & dictum fuit à Rota *decis. 838. n. 2. coram Seraph. & decis. 352. n. 16. coram Mantica.* Hinc sacra Cardinalium Congregatio declarauit, omissa hac licentia, & professione sequuta, nullam esse renunciationem.

4 Tertium notandum. Quamuis ad valorem renunciationis non sit necessaria in scriptis hæc licentia, tùm quia Concilium nullam scripturæ mentionem facit, tum etiam quia omnis dispositio potest fieri verbo, nisi lex ad actus valorem scripturam petat, vt non obscurè sumitur ex Gloss. *in c. 1. § postquam autem, verbo in scriptis, de censib.* & ex multis quæ congerit Decius *in rubr. de constit. in prima lectura à n. 11.* vbi ad essentiam, & valorem gratiæ scripturam minimè desiderari cõprobat. Nihilominus pro foro exteriori eam scriptis authenticis habere atius erit.

5 Quoad posteriorem solemnitatem sufficit, vt renunciatio fiat intra bimestre ante professionem. Nonnulli existimant, suo valore non carere renunciationem factam ante modicam huius bimestris distantiam; eo quòd ea distantia nõ mathematico, sed morali modo accipienda est. At, quia sumus in materia odiosa, dico computandos esse os duos menses de momento ad momentũ, & secundũ quod tunc occurrit mensis in Kalendario triginta scilicet dierum. vel triginta, & vnius, quia dies cęptus in fauorabilibus habetur pro cõpleto secus verò in odiosis *l. in omnibus, ff. de actio. & oblig. l. 3. §. minorem, ff. de minor.* Rota *decis. 20. n. 27. & 28. p. 2. diuers. & decis. 175. n. 7. p. 1. in recẽt.* vbi allegatus fuit Alciat. *in l. anniculus 134. ff. de verbor. signif.* & Cuiac. *in d. §. minorẽ, & in l. 5. ff. qui test.*

fac.

fac.poss. Et quacunq; ex causa cõtigerit professionem ultra annum protrahi, suo valore non deficiet renunciatio post decimum nouitiatus mensem facta, vt declarauit Sacra Cardin. Congregatio die 17 Octob. 1594. Prædicta omnia doctè, & latè confirmantur à Sanchez *in præcep. decal. lib. 7. c. 5. à n. 64.*

6 Postremò notandum est, renunciationem, seu obligationẽ memoratis solemnitatibus factam adeò esse validam, vt meritò sustineat Sanchez *à n. 57.* ab ipso nouitio renunciante nõ posse illo bimestri perseuerante in religione amplius infirmari. Si verò nouitius professionem non emitteret, rediretq; ad seculum, tunc perspicuum esset, renunciationem reuocari. Ità Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 5. n. 7.* & Honded. *cons. 73. à n. 16. vol. 2.*

DVBIVM X.

An nouitijs integrum sit de bonis suis testari.

SVMMARIVM.

1 *An nouitij valeant testari, nulla petita licentia à Superiore.*

2 *An in testamento nouitij desiderentur solemnitates iure communi canonico, & ciuili requisitę.*

3 *An dispositio Concilij circa renunciationes, & donationes cõprehendat testamentum.*

Item an quascunque vltimas voluntates.

4 *An nouitius possit liberè testari toto nouitiatus tempore, vel cogi possit ad aliquid relinquendum Monasterio.*

1 RESPONDEO quadruplici conclusione. Prima est, licere nouitijs conficere testamentum nulla petita Superioris religionis licentia. Patet hæc conclusio ex *authent. nunc autem, C. de Episco. & Cleri. §. illud quoque, auth. de monachis, c. de his, de sepultur. & can. si qua mulier 19. q. 3.* Quod confirmatur, nam nouitius simpliciter est adhuc sui iuris cum libera exeundi potestate. Prçterea nullibi reperitur ei interdictum esse conficere testamentum. Ità Bart. *in l. 1. n. 40. C. de sacrosanc. Eccles.* Decius *cons. 31.* Bero. *in c. præsentia, de probat.* Cæsar Manẽt. *cons. 58.* quos refert & approbat

V 2 Gioua-

Giouagnon. *resp. 85. n. 7. lib. 1.* Ità etiã docet Menoch. *lib. 6. presu. 84. n 12.* Nauar. *cõment. 2. de regular. n. 49.* Couarru. *c. 2. n. 7. de test.* Grass. *in §. testam. q. 34.* Thes. *lib. 2 qq. forẽs. q. 56. n. 2.* Molina *tõ. 1. disp. 139. col. 5. vers. bis ità cõstitutis*, & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. in fin. & c. 6. q. 5.* Quæ cõclusio procedit etiã in nouitijs Minor. vt asserit Tranch. *in rub. de testã. in sexto n. 67.* & Nauar. Quia rationes habitę militant etiam pro nouitijs nostris.

2 Secunda conclusio. Quãuis satis probabile dijudicetur in testamẽto nouitij minimè desiderari solẽnitates iure cõmuni requisitas: sed eas duntaxat, quæ in testamento militis satis sunt iuxta totũ *tit. ff de milit. testam.* Quam opinionem sustinent Bart. *in authent. si qua mulier n. 7. C. de sacro sanct. Eccles.* Isaõ *ibi n. 4.* Panormit. *in c. quia nos n. 4. de testam. et in c. in pręsentia n. 49. de probation.* Parisius *ibi n. 146. vsq. ad 152.* Beroius *n. 509.* Decius *cons. 31. n. 3. vol. 1.* Angel. *tit. testamentum n. 26.* Syluest. *eod. tit. 1. q. 10. dict. 4.* Clarus *lib. 2 receptarum, §. testamentum q. 28. n. 2.* Emanuel Sà *tit. testamẽtum n. 21. et 25.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. q. 15.* Rodriq. *tom. 3. q. 69. art. 11.* & alij. Nihilominus ad euitandas lites, cõtetionesq. exteriores contraria opinio ad minus est tutior, ac proindè sequenda, quã tuentur Nauar. *cõment. 2. n. 52. de regular.* Gutierr. *in qq. can. lib. 2. c. 1. n. 14.* Molina *tom. 1. disput. 139. col. antepenult. vers. ad id vndè*, et Sanchez *in pręcep. decal. lib. 7. c. 3 n. 18.* qui alios refert.

Hæc autẽ cõclusio sic intelligẽda est; nõ solũ scilicet desiderari in huiusmodi nouitiorũ testamentis solemnitates, quas ius Ecclesiasticum *c. relatum, de testam.* sed etiam ius ciuile requirit.

3 Tertia cõclusio. Per decretũ Tridentini *sess. 25. c. 16. de regular.* nouitij nõ carẽt facultate cõdẽdi testamẽtũ ãte, vel post religionis ingressũ, quicqd aliqui dixerint. Ità Doctores prǽsertim Nauar. *cõmẽt. 2. de regular. n. 51. et lib. 3. cõs. 83. n. 2. et 3. de regular. in 2. edit.* Molina *tom. 1. disput. 149. col. 7. vers. quod ad Ecclesiã attinet, et disp. 139. col. 8. vers. abiget fortasi*, Laelius Zecchius *de republica Eccles. tit. de regular. c. 3. n. 10.* Emanuel sa *tit. religio n. 5.* Azorius *p. 1. lib. 12 c. 2. q. 14.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dubit. 4. n. 40.* Rodriq. *tõ. 2. q. 47. art. 10. et tom 3. q 16. art. 1.* Stephan. Gratiã. *tom. 5. discept. c. 587. n. 30.* qui alios refert. Et ita declarauit Sacra Cardinaliũ Cõgregatio die 22 Ianuarij 1598. Quod probatur, nam Tridẽtinum de solis renũciationib. et obligationib. loquitur. At testamẽtum

nec renun-

nec renunciatio, nec obligatio dicitur. Et idem dicẽdũ est de quacunq; vltima voluntate, vt est donatio causa mortis, & codicillus, vt benè docent Nauar. *in consilio modò citato*, Azorius *lib. 13. c. 9. q. 2.* Rodriquez *tom. 2. q. 47. art. 10.* & Gratian.

4 Quarta conclusio. Nouitius in quacunq; Religione liberè potest, prætermisso ōninò monasterio, bona sua testamẽto relinquere, cui voluerit, nisi prius ea donasset, vel obtulisset Monasterio, Ita Imola *in c. in præsentia, de probation.* quē referũt et sequũtur Nauar. *comment. 2. n. 49. de regular.* et Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 16. n. 7.* et colligitur expressè ex Couarru. *in c. 2. n. 7. de testā.* et Stephano Gratian. *tom. 5. discept. in loco citato n. 32.* Et est ratio, quia cum adhuc retineat dominiũ, & possessionē suorũ bonorũ, et nullo vinculo habeat ligatũ vsũ, vel dispositionē eorũ, potest ea mediãte testamẽto relinquere, cui voluerit; Supponimus enim illũ non habere filios, quibus ea distribuere debeat secundũ iura *can. si quis irascitur 13. q. 2. et can. fin. 17. q. vlt.* Intelligitur conclusio, vel si cōdat testamẽtũ tẽpore mortis, vel extra hunc casũ toto probationis tẽpore. Et notari oportet, tutũ nō esse in illis Religionib. quæ ius succedẽdi habẽt, prohibere nouitio, vel minis cũ cogere, vt vel testamẽtũ nō cōdat, vel monasterrũ relinquat hęredē, alioqui eijciendũ esse, et ad professionē nō admitẽdum, vt latè probat Suarez.

DVBIVM XI.

An testamentum à nouitio conditum post professionem reuocari possit.

SVMMARIVM.

1 *An Religiosi, quorum Religio succedendi potentia caret, possint reuocare testamentum ante professionem conditum.*

2 *Item an illi, quorum Religio est capax successionis.*

Item an Religiosi non claustrales.

Eadem potestas requiritur in dissoluẽdo actum, qđ in ipsũ cōstituẽdo.

3 *An Religiosus, qui nullā bonor. suor. præmisit dispositionem, possit ea diuidere inter filios suos post professionem.*

4 *An hoc idem possint Fratres minores.*

Respon-

1 RESPONDEO hac conclusione. Integrum nõ est religioso in religione succedẽdi incapaci professo, idest fratri Minori reuocare testamentum ante professionem factum; Quia cum professio nostra reputetur quoad hæc bona tanquam mors naturalis, confirmat omninò testamentum antea conditum, ita vt amplius reuocari nequeat. Ità Doctores præsertim Bart. *in Minor. lib. 4. dist. 3. c. 3. in fine, & in Authen. si qua mulier à n. 11. vsq; ad 13. C. de sacr. sanc. Eccles.* Paulus *ibi n. 5.* Salycetus *ibi in fine,* Baldus *ibi n. 21.* Ant. de Butrio *in c. in præsentia, de probat.* Imola *ibi n. 32.* Beroius *ibi n. 538.* & alij.

2 Ampliatur hæc cõclusio, vt comprehendat etiã alios religiosos in religione, quæ est capax succedẽdi, professos. Et quãuis Bart. *in authen. si qua mulier n. 14. C. de sacr. sanct. Eccles.* & alij, quos recenset Couarru. *c. 2. n. 9. de testam.* sustineant, hos reuocare posse testamentum. Nihilominus communiter Doctores hanc ampliationem sequuntur. Quæ probatur; quia eadem potestas exigitur in dissoluendo actũ, quæ in ipsum constituendo *l. si vt proponis in fin. C. de nuptijs.* Cum ergo religiosus testari non possit, vt constat *ex auth. ingressi, C. de sacro sanct. eccles. & can. quia ingredientibus 19. q. 3. & c. 2. de testam.* & confirmatum est communiter à Doctoribus, quod extenditur etiam ad religiosum extra claustrũ habitantem, vt inquit Glossa *in c. 1. de testam.* & ibi Couarru. qui testatur de communi, quod etiam dictũ fuit à Rota *decis. 109. n. 4. corã Greg. XV.* patet, eum etiam non posse prius testamentum conditum reuocare. Ità docet Panormit. *in c. in præsentia n. 61. de probat.* Angel. *tit. religiosus n. 60.* Syluest. *religio 6. q. 4.* Tabiena *q. 40.* Nauar. *commẽt. 2. de regular. n. 53.* Gutier. *lib. 2. qq. canon. c. 1. à n. 27. vsq. ad 40.* Couarru. *vbi sup.* Molina *tom. 1. disp. 140. col. 2. vers. vtrum verò religiosus.* Thesaurus *lib. 2. qq. forens. q. 56. n. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 6. q. 5.* Rodriq. *tom. 3. q. 16. art. 3. & q. 69. art. 3.* Miran. *in manuali prælat. tom. 1. q. 24. art. 10.* & Reginald. *lib. 18. c. 27. n. 397.*

3 Aduertendum tamẽ, religiosum, qui habebat filios, & ante professionem nullam bonorum suorum præmisit dispositionem posse inter eos diuidere bona iuxta *authent. si qua mulier, C. de sacrosanct. Eccles.* quæ refert etiam à Gratian. *can. si qua mulier 19. q. 3. & authen. de Sanctissimis Episcopis collat. 9. tit. 15. & authen. nunc autem. C. de Episc. & cleric.* Tria verò hic sunt notanda. Primũ, huiusmodi diuisio-

diuisionem secundum veriorem opinionem non appellari testamentũ, sed diuisionem quandã, quã professus efficit nõ vt dominus, sed vt administrator à iure constitutus ad hunc effectum. Ità Nauar. *comen. 2. de regular. n. 45.* Rodriq. *p. 2 sum. c. 32. n. 1.* Lessius *de iust lib. 2. c. 41. dubit. 10 n. 82.* & Sanch. *in præcep. decal. lib. 7. c. 9. n. 16.* Secũdum, non esse integrum religiosis extra casum ĩ dictis legibus memoratum; aut aliũ modũ ibi concessum de suis bonis disponere; quia ob paupertatis votum carent dominio, & administratione illorum, vt notant Doctores, & præcipue Panormit. & Nauar. *n. 53.* in locis citatis. Et quia quoad hanc bonorũ dispositionem, & diuisionem contingere possunt quamplures difficultates, ego eas consultè omitto, eo quòd ad nos Minores minimè spectant, vt mox dicam. Videri tamen possunt apud Doctores, & præcipuè apud Molinam Iuristam *lib. 2. de primog. c. 9.* & etiã apud Theologos præsertĩ apud Sãchez *in præcep. decal. lib. 7. c. 9.* Saurez *tom. 3. de relig. lib. 8 c. 16.* & Molinam *tom. 1. disp. 141. & tom. 3. disp. 604.* Tertium notandum est, hanc dispositionem nõ procedere in fratribus Minoribus, qui regulam secundũ suã puritatẽ obseruare se profitentur; quia à die professionis reputantur quoad hoc tanquam naturaliter mortui. Ità Bart. *in minor. lib. 4. dist. 2. c. 3. & in authen. si qua mulier n. 13.* Iasõ *in d. authen. n. 1.* Ancharan. *in clem. exiui, circa finem*, & alij.

DVBIVM. XII.

An liceat Religioso suum testamentum ante professionem confectum declarare.

SVMMARIVM

1 *Duplex opinio circa titulum. At verior affirmatiua.*
2 *Declaratio nihil de nouo facit.*
differrunt declarare, & addere.
Declaratio non disponit; sed quod actum sit in præteritum ostendit.
3 *Declarationi est locus, vbi verba sunt dubia; secus autem vbi sunt clara.*
4 *An teneat declaratio Religiosi, quæ nõ conuenit verbis secundũ propriam significationem.*

Respon-

1 RESPONDEO hac conclusione. Quamuis Gaspar Ant. Thesaurus *lib.2.qq.forens.q.56.n.3.* referat nonnullos in ea esse sentẽtia, adeò efficaciter valere pristinũ monachi testamentũ, vt nõ admittant post professionem declarationem ab eodem monacho faciendã circa verba testamenti ambigua, quã opinionem sustinet etiã Manual. prẹlat. *tom.1.q.23.art.10.* Nihilominus contrarium est omninò tenendũ, dummodò, vt in limitationibus dicetur, testamentum dubiæ, vel obscurẹ uoluntatis interpretatione indigeat, & religiosus declarationem verbis cõgruam proferat.

2 Probatur cõclusio, quia in *l.hẹredes palam, §.si quid post, ff. de tes.* expressè habetur, declarationem nihil de nouo facere, sed iam factum aperire. Idẽ ꝓbat tex. *in l.adeò quidem, §.cum quis, ff.de acquir. rer.dom. in l.asse toto, ff. de hær.instit. in l.vnum ex familia, §.si de falcidia, ff.de legat.2. in Clem.1. in princ. de iur.patron.* vbi tanquam diuersa ponuntur declarare, & addere. Idem habetur in proœm. sexti *in princ.* & apertè colligitur ex Glossa *in c. per tuas, ver. de nouo, de donat. & in c.1. ver. & filio, de sũ.trin. in sexto.* Quod quidẽ confirmatum est à Bart. *in d.l. hẹredes palam,* Dec. *in l. edita n.48. & 49. C.de eden.* Barbat. *cons.34.n.42. lib.2.* Menoch. *de arbit. iudic.lib.1. q.73. à n.17.* & à quãpluribus alijs, quos congerit, et sequitur Ant. Gabriel *lib. 6. de reg. iur. concl.3.n.1.* Hinc inquiunt Doctores declarantem non disponere, sed quod actum sit in prẹteritum ostendere, vt dixerunt Baldus *in l.cum testamentũ in fin. C. de manumiss. testa.* et Decius *in l.edita n.47. C.de edendo,* et dictum etiam fuit à Rota *decis.405.n.1.p.2. in recent.*

Cùm ergo declarans nihil de nouo faciat, patet, religioso professo integrum esse suã pristinam voluntatem declarare; solum .n. ei interdicitur nouum testamentum conficere, vt in superiori dubio ostensum est. Et hoc procedit in omnibus professis, etiam si ex Ordine nostro Minorum sint. Ità tenent Gozad. *cons.41.n.15.16. & 17.* Rodriquez *tom.3.q.69.art.3.* Reginald. *lib.18.c.27.n.397.* Sãchez *in prẹcep.decal.lib.7.c.11.n.16.* et Moneta *de interpret. vlt. volunt.c.5.q.1.n.14.* qui citat Molinã *tom.1.disp.139.in fine.* Non obstat religiosũ haberi pro mortuo ciuiliter, quia mors ciuilis resultãs ex ĩgressu monasterij non facit monachum haberi pro vero mortuo nisi ĩ casib. ĩ iure expressis iuxta Gloss. notabilẽ *ĩ c. placuit il 2.verb. mortuus 16.q.1.* Alexand. *cons.139.n.4.lib.2.* Oldrad. *cons.*

284. num. 4. & dictum fuit à Rot. *decis. 543. num. 1. p. 2. in recent.*

3 Limitatur primò conclusio, vt locum non habeat, nisi test. menti tum dubiæ, & obscuræ voluntatis interpretatione indigeat; Quia prædicta procedunt super verbis dubijs: secus verò super verbis claris, aut super re clara. Ità Baldus *in l. voluntates col. 3. vers. quæro si statutum, C. de fideicom.* Paulus de Cast. *cons. 338. col. 2. vers. pro declaratione vol. 1. & in l. hæredes palam, § si quid, col. 2. vers. multę rationes ff. de testam.* Geminianus *cons. 33. col. vlt. vers. præterea ostenditur*, Iason. *cons. 56. col. penult. vers. non obstat ergo, vol. 3.* Decius *in l. in ambiguis rationibus num. 4. ff. de reg. iur.* Ant. Gabriel *vbi supra num. 25.* & alij. Hinc Rota *decis. 1373. num 7. coram Card. Seraph.* dixit, dubiam dispositionem testatoris per claram declarari, non è contra; Quia interpretationi non est locus vbi verba non sunt dubia, seu ambigua, sed clara, Gloss. *in c. cum dilectus, verbo iuri communi*, vbi DD. & iura allegantur; Panormit. *num. 21. de consuet.* & dictum fuit à Rota, *decis. 108. nu. 6. p. 1. & decis. 27. num. 27. p. 2. diuer.* & in alijs decisionibus cumulatis per Garc. *de benefic. p. 5. c. 4. num. 270.* Quare si religiosus rem claram, & certam sui testamenti vellet declarare, talis interpretatio omninò esset illicita, quia non veterem dispositionem, sed nouam induceret. Et ità in proprijs terminis tenet Gozad. *in loco citato.*

4 Limitatur secundò, vt non procedat, nisi religiosus declarationem verbis conuenienté proferat. Ità Doctores, ex quibus quamplures refert, & sequitur idem Ant. Gabr. *vbi supra n. 87.* Et tunc congruè meritò appellatur declaratio, quando verba conueniunt secundum propriam significationem, vt inquit Alexander *in l. diuortio col. 3. vers. & 1. quia, ff. sol. matr.* Socinus *in l. postquam liti in 1. no. C. de pact.* Ant. Gabriel *vbi supra num. 88.* & sentit Baldus *in l. 1. in 4. no. C. de legit.* & colligitur ex c. 1. *de testam. in sexto.* Et ideò si professus aliam declarationem daret, quæ verbis non aptaretur, non esset declaratio, sed noua dispositio, quam ipse facere nequit, vt latè probat Gozadinus *vbi supra.*

DVBIVM XIII.

An nouitius noster validè possit in testamento suo electionem puellarum, seu pauperum sibi reseruare, quibus eius hęres per quendam annorum numerum soluere debeat tantam pecuniam ab eodem nouitio illis legatam.

SVMMARIVM.

1 *An Minores esse possint executores vltimę voluntatis, Quando sola electio personarum eis committitur.*
Prima opinio negat.
2 *Secunda quę est probabilior affirmat.*
3 *Nouitius in suo testamento potest sibi reseruare, prefatam electionem.*
4 *Quę fieri debet cum Superioris licentia.*
An sit valida electio ex defectu huius licentię.

1 RESPONDEO huius dubij solutionem ex eo pendere, an Minores esse possint vltimarum voluntatum executores, quando sola electio personarũ eis cõmittitur, vt si testator suum obligaret hęredem ad collocandas in matrimonium tres Virgines quot annis, electioq. harum puellarum fieri deberet per fratrẽ N. Minorem Cappucinum. Quidam tenent hanc electionem, seu nominationem statui nostro repugnare. Primò, quia hæc electio est pars executionis, quę officiũ de iure ciuili est, quod cadere in fratrem Minorem non potest. Secundò, quia standum est literę *clem. exiui*, §. *proindè circa finem, de verbor. signif.* quæ generaliter prohibet, ne Minores vltimarum voluntatum executionem suscipiant. Ità Gloss. *in d. clem. exiui, verbo dixit*, Anchar. *n. 23. ibi* Baldus *in authen. ingressi n. 5. vers. ego credo, de sacros. Eccles.* Francus *c. 2. n. 4. de testam.* Felinus *c. penult. in fin. de cõstit.* Syluest. *tit. testam. 2. q. 2. dicto 7.* Molina *tom. 1. disp. 247. col. penult.* §. *illud est obseruandum*, Duennas *reg. 381. ampliat. 6. fin.* & Politius *c. 6. n. 77.* qui hanc opinio-

opinionē securiorem, probabilioremque existimant.

2 Alij verò partem affirmatiuam tuentur, quam censeo probabiliorem. Et est ratio, quia hæc nominatio, seu personarū electio, est potius facti quā iuris, vt constat *ex l. cum pater, §. hereditatem, ff. de legat. 2.* ac proinde fieri potest per eū, qui huius muneris non est capax; eo quòd in hoc euentu vicē hæredis nō sustinet. Præterea cùm in huiusmodi electione cessent rationes litigij, aut contrectationis, seu administrationis pecuniæ, propter quas Clemēs V. in præfata clement. declarauit, Minoribus vltimarum voluntatum executionem esse inhibitam, patet, eandem quoque cessare prohibitionem *l. adigere, §. quāuis, ff. de iu. pat.* Ità Bart. *consf. 6. n. 2. viso testamento, vol. 1. & ī minor. lib. 3. dict. 1. c. 4 n. 5. & in d. l. cū pater, §. hæreditatem il 1. n. 3. & ibi* Paulus *n. vnic.* Imola *n. 5. Simon de Prætis lib. 5. interpret. 1. dubit. 2. n. 25. allegans* Angel. Aret. *tract. de testā. gloss. 11. col. penult. vers. nunc tractemus.* Anchar. *consf. 202. circa primū in princ.* & Alexand *consf. 57 col. penult. n. 11. lib. 2.* Idem docent Panormit. *in Clement. religiosus. n. penult. de procurator.* Lambert. *de iur. patron. p. 1. lib. 2. q. 2. art. 11. n. 20. vers. autem verò patroni, Rosella tit. religio 1. n. 7.* Angelus *tit. executor n. 26.* Spinus *ī specul. testā. glo. 18. ī principio n. 23.* Baptista de salis *tit. religio 1. f. 200.* Corduba *c. 6. q. 18. p. 2. vers. tertiò patet,* Seren. *consf. lit. E.* Couarruuias *ī c. tua nobis, n. 1. ad finem de testam.* allegans Romanum *consf. 409. col. 2.* Idem tenent Tuscus *lit. F. concl. 466. n. 46. & 47.* Rodriq. *tom. 3. q. 70. art. 2. & in sum p. 2. c. 70. n. 13.* Stephan. Gratian. *tō. 1. disceptat. forens. c. 123. n. 24.* & alij.

3 Ex dictis patet integrum esse nouitio nostro reseruare sibi nominationem, seu electionē puellarum, aut pauperum, dummodò dispensationem pecuniæ, quæ ijs pauperibus, seu ancillis est facienda sibi non reseruet, eo quòd talis dispensatio, seu administratio est vi Regulæ nobis inhibita, & in hoc casu executio vltimarum voluntatum statui nostro aduersatur.

4 Sed hic quæritur, an præfata nominatio, seu electio fieri debeat accedente Superioris licentia. Respondeo affirmatiuè, vt bene notat Rodriq. *p. 2. sum. c. 72. concl. vlt.* Et quāuis ea deficiēte verius sit electionē suo valore nō carere, nisi fiat exceptio ī iuditio, eā. s. factā fuisse absq. debita Superioris licētia, vt latius Deo dante ī tractatu de paupertate probabitur: attamē tutius, securiusq. erit eam obtinere, de eaq. legitimè cōstare.

DVBIVM XIV.

An tutum, sit Minoribus ex commissione nouitiorum ipsorummet indumenta, vel quid simile pauperibus dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Minores dispensare possunt res nouitiorum.*
Dummodò non sint pecuniæ, & num. 2.
2 *Licita est etiam eis electio pauperum, quibus distrahenda est pecunia.*
3 *Dummodò huic electioni non sit annexa pecuniæ dispensatio.*
4 *Quando annexa sit electioni dispensatio pecuniæ.*

1 RESPONDEO ex dictis in superiori dubio liquidò constare, minimè statui Fratrum Minorum repugnare executionem vltimæ voluntatis nouitiorum quoad dispensanda ipsorum vestimenta, vel quid simile, quod non sit pecunia. Vndè integrum non est Fratribus venditionem indumentorũ ordinare, pretiumq; eorum in pauperes per se, vel per interpositam personam dispensare; quia vi inhibitionis regulæ *cap. 4.* illicitum est Minoribus per se, vel per interpositam personam ministrare, seu dispensare pecuniam. Et ideò in casu venditionis hæc expediri debent non à Fratribus, sed ab alijs ex commissione, seu voluntate saltem tacita ipsorum nouitiorum. Et quemadmodum integrum est Fratribus offerenti, seu dãti pecuniæ nominare aliquam personam, quæ eius nomine illam in Fratrum necessitates impendat: ità licita est eis electio alicuius personæ, quæ nomine nouitiorum vendat vestimenta, eiusq; pretium in pauperes distribuat.

2 At hic oritur difficultas, an Guardianus, seu Magister sit capax executionis vltimæ voluntatis nouitij, dum disponit, vt pecunia ex vestimento, vel alia re huiusmodi redacta distribuatur ab eo in pauperes per eundem Magistrum, seu Guardianum electos. Respondeo, cum hæc duo contineantur, vnum scilicet Fratribus illicitum, quod est dispensare pecuniam: alterum verò licitum, quod

est

est eligere pauperes, perspicuum esse electionem pauperum, tanquam rem statui nostro non dissonam, fieri posse a Guardiano, seu Magistro; dispensationem verò pecuniæ nequaquam. *Ità Bart. in minor. lib. 3 dist. 1. c. 3. num. 8.* Et est ratio, quia cum hæc sint duo separabilia, non vitiatur electio vtilis per distributionem inutilem, eo quòd in separabilibus, vtile per inutile non vitiatur. *c. si eo tempore, de rescript. in sexto*, Felin. *in c. sedens num. 1. vers. surreptio in una parte, eodem tit.* Ruin. *cons. 70. num. 8. lib. 3.* Rota *decis. 433. nu. 8. coram Seraph. & decis. 649. num. 4. p. 2. in recent.*

3 Secus verò dicendum esset si huic electioni inseparabiliter annexa esset dispensatio, seu administratio pecuniæ, quia in indiuiduis licitum propter illicitum vitiatur, vt benè docent Bart. *in l. Græco, §. illud num. 3. ff de fideiuss.* Romanus *cons. 450. num. 4.* Alex. *cons. 43. num. 3. lib. 7.* & alij, quos allegat, & approbat Rota *decis. 512. num. 10. p. 1. in recent.*

4 Et tunc censeo huic electioni annexam esse inseparabiliter pecuniæ dispensationem, quando à nouitio numerus pauperum eligendorum voluntati Fratris indeterminatè relinquitur. Ducor quia, cum tot pauperes, quot ipse Frater vult, eligere possit, liquidò constat, huic electioni annexam esse pecuniæ administrationem, eo quòd plus, aut minus pecuniæ vnicuique pauperi erit distribuendum, prout plus, aut minus erit numerus pauperum: Secus verò si ipse nouitius numerum pauperum præfigeret, quibus esset pecunia distribuenda. Et ità colligitur expressè ex Bart. *lib. 3. minor. c. 4. nu. 3.* docens, si testator suum hæredem obligaret ad expendendum decem Florenos in decem pauperes per aliquem Fratrem Minorem nominandos, idest vnum Florenum pro quolibet paupere, hanc electionem statui nostro minimè aduersari. Quam doctrinam approbat Barbat. *cons. 12. n. 21. vol. 1.*

Di-

Disputatio. IX.

IN hac disputatione discutiendum est, qua facultate gaudeant Superiores Religionum absoluendi, dispensandi, habilitandiq. nouitios: Nec non an ipsimet nouitij casibus reseruatis, censuris, ac Superiorum regularium præceptis subijciantur.

DVBIVM I.

An nouitij nōdum habitu probationis induti beneficio absolutionis gaudere possint in nostra Cappucinorum Religione.

SVMMARIVM.

1 *An Cappucini possint confessiones secularium audire.*

2 *Item an Nouitiorum qui nondum habitu seculari se exuerunt, & an eos absoluere, & dispensare possint, ac si habitū probationis induissent.*

Qui de proximo est accingendus, habetur pro accincto.

Partus conceptus in fauorabilibus habetur pro iam nato.

3 *An Cappucini possint ministrare sacramenta in articulo mortis, vel humare corpora Nouitiorum, qui nondū habitu seculari se expoliarunt.*

1 RESPONDEO, cū religio nostra statuto, vsuq. vigeat, confessiones secularium non audire, & per consequens confessarij nostri Ordinariorū iuris-
2 dictione nō indigeant. Hinc posse in dubiū verti, an inter nos memoratorum nouitiorum confessio audiri queat ex eo quod nōdū probationis habitu induti, religioni annexi minimè existimantur, sed tanquā meri seculares habentur. Nihilominus contrarium est omninò asserendum; nam quemadmodum qui de proximo est accingendus, habetur pro accīcto *l. pe. ff. de militari test. iūcta Gloss. ibi verbo cōfestim.*

Quod

Quod procedit in materia fauorabili, nec non & in idifferenti inquit Pręposītus *in can. delator 6. q. 1.* Et partus conceptus in fauorabilibus pro iam nato habetur, vt resoluit Rota Besigneti *decis. 1. n. 3. & 4. de testam. in antiquioribus qui in vtero, ff. de statu hominum, l. pregantis, ff. de pęnis,* & confirmatur à Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 96.* sic meritò ĭ casu nostro iā receptus dicitur religioni agregatus, modò sit de proximo habitu probationis induēdus.

Cōfirmantur prædicta aliquibus priuilegijs, in quibus expressa fit mentio facultatis, qua gaudēt Superiores religionis absoluēdi volentes ingredi ordinem. Tale est priuilegium Clementis quarti relatū in cōpend. priuileg. mend. *tit. absolutio ord. quoad fratres n. 4.* vbi Pontifex de ijs, qui indumentis secularibus nondum se exuerunt, expressè loquitur.

3 Ex dictis infertur, memoratos posse absolui, dispensariuè virtute priuilegiorū, proindè ac si essent nouitij habitu probationis induti, in religioneq. perseueraturi. Immò si casus contingeret, aliquem scilicet ex prædictis graui morbo laborare, integrū esset Prælatis religionis viaticum, & extremā vnctionem ei ministrare, atq. si vita deficeret, corpus humare, vt colligitur clarè ex Armil. *tit. sepultura n. 6.* Tabien. *n. 5.* Rodriq. *tom. 4. q. 60. art. 1.* & Sanch. *in precep. decal. lib. 6. c. 14. n. 11.* & confirmatur amplius, quia nouitius desinit esse parochianus primæ Ecclesiæ, vt notant Hostiens. *in c. de his, col. vlt. de sepult. ibi* Anchar. & Butrius *in fine,* Tiraquel. de retract. Lignaier. §. *1. gloss. 8. n. 23.* & Rota Prou. Marchiæ per Gratianum *decis. 35. n. 14.* Quę quidem illatio duobus concurrentibus intelligi debet. Primò, vt proximus sit eorum ingressus in religionem, ita vt sint in via ad habitum suscipiendum, Idcircò ij pergentes ad nouitiatum facultate gaudent se subijciendi quoad forum pęnitentię iurisdictioni superiorum monasteriorū nostrorum, per quæ transeunt: secus verò si receptis ingressus ad longum tempus protraheret; Nā ita expresse loquitur pręfatum Clementis Quarti priuilegium. Secundò, vt in infirmitate perseuerent in vocatione induendi scilicet habitum, si cōualuerīt, & interim sub obedientia Superiorum viuant.

Disputatio. IX.

IN hac disputatione discutiendum est, qua facultate gaudeant Superiores Religionum absoluendi, dispensandi, habilitandiq. nouitios: Nec non an ipsimet nouitij casibus reseruatis, censuris, ac Superiorum regularium præceptis subijciantur.

DVBIVM I.

An nouitij nõdum habitu probationis induti beneficio absolutionis gaudere possint in nostra Cappucinorum Religione.

SVMMARIVM.

1 *An Cappucini possint confessiones secularium audire.*

2 *Item an Nouitiorum qui nondum habitu seculari se exuerunt, & an eos absoluere, & dispensare possint, ac si habitũ probationis induissent.*

Qui de proximo est accingendus, habetur pro accincto.

Partus conceptus in fauorabilibus habetur pro iam nato.

3 *An Cappucini possint ministrare sacramenta in articulo mortis, vel humare corpora Nouitiorum, qui nondũ habitu seculari se expoliarunt.*

1 RESPONDEO, cũ religio nostra statuto, vsuq. vigeat, confessiones secularium non audire, & per consequens confessarij nostri Ordinariorũ iuris-
2 dictione nõ indigeant. Hinc posse in dubiũ verti, an inter nos memoratorum nouitiorum confessio audiri queat ex eo quod nõdũ probationis habitu induti, religioni annexi minimè existimantur, sed tanquã meri seculares habentur. Nihilominus contrarium est omninò asserendum; nam quemadmodum qui de proximo est accingendus, habetur pro accĩcto *l. pe. ff. de militari test. iũcta Gloss. ibi verbo cõfestim.*

Quod

Quod procedit in materia fauorabili, nec non & in indifferenti inquit Prępositus *in can. delator 6. q. 1.* Et partus conceptus in fauorabilibus pro iam nato habetur, vt resoluit Rota Besigneti *decis. 1. n. 3. & 4. de testam. in antiquioribus qui in vtero, ff. de statu hominum, l. pragantis, ff. de pęnis,* & confirmatur à Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 96.* fit meritò ĩ casu nostro iã receptus dicitur religioni agregatus, modò sit de proximo habitu probationis induẽdus.

Cõfirmantur prædicta aliquibus priuilegijs, in quibus expressa fit mentio facultatis, qua gaudẽt Superiores religionis absoluẽdi volentes ingredi ordinem. Tale est priuilegium Clementis quarti relatũ in cõpend. priuileg. mend. *tit. absolutio ord. quoad fratres n. 4.* vbi Pontifex de ijs, qui indumentis secularibus nondum se exuerunt, expressè loquitur.

5 Ex dictis infertur, memoratos posse absolui, dispensariuè virtute priuilegiorũ, proindè ac si essent nouitij habitu probationis induti, in religioneq. perseueraturi. Immò si casus contingeret, aliquem scilicet ex prædictis graui morbo laborare, integrũ esset Prælatis religionis viaticum, & extremã vnctionem ei ministrare, atq. si vita deficeret, corpus humare, vt colligitur clarè ex Armil. *tit. sepultura n. 6.* Tabien. *n. 5.* Rodriq. *tom. 4. q. 60. art. 1.* & Sanch. *in precep. decal. lib. 6. c. 14. n. 11.* & confirmatur amplius, quia nouitius desinit esse parochianus primæ Ecclesiæ, vt notant Hostiens. *in c. de his, col. vlt. de sepult. ibi* Anchar. & Butrius *in fine,* Tiraquel. de retract. Lignaier. *§. 1. gloss. 8. n. 23.* & Rota Prou. Marchiæ per Gratianum *decis. 35. n. 14.* Quę quidem illatio duobus concurrentibus intelligi debet. Primò, vt proximus sit eorum ingressus in religionem, ita vt sint in via ad habitum suscipiendum, Idcircò ij pergentes ad nouitiatum facultate gaudent se subijciendi quoad forum pęnitentię iurisdictioni superiorum monasteriorũ nostrorum, per quæ transeunt: secus verò si receptis ingressus ad longum tempus protraheret; Nã ità expresse loquitur pręfatum Clementis Quarti priuilegium. Secundò, vt in infirmitate perseuerent in vocatione induendi scilicet habitum, si cõualuerit, & interim sub obedientia Superiorum viuant.

Disputatio. IX.

IN hac disputatione discutiendum est, qua facultate gaudeant Superiores Religionum absoluendi, dispensandi, habilitandiq. nouitios: Nec non an ipsimet nouitij casibus reseruatis, censuris, ac Superiorum regularium præceptis subijciantur.

DVBIVM I.

An nouitij nõdum habitu probationis induti beneficio absolutionis gaudere possint in nostra Cappucinorum Religione.

SVMMARIVM.

1 *An Cappucini possint confessiones secularium audire.*

2 *Item an Nouitiorum qui nondum habitu seculari se exuerunt, & an eos absoluere, & dispensare possint, ac si habitũ probationis induissent. Qui de proximo est accingendus, habetur pro accincto. Partus conceptus in fauorabilibus habetur pro iam nato.*

3 *An Cappucini possint ministrare sacramenta in articulo mortis, vel humare corpora Nouitiorum, qui nondũ habitu seculari se expoliarunt.*

1 RESPONDEO, cũ religio nostra statuto, vsuq. vigeat, confessiones secularium non audire, & per consequens confessarij nostri Ordinariorũ iurisdictione nõ indigeant. Hinc posse in dubiũ verti,
2 an inter nos memoratorum nouitiorum confessio audiri queat ex eo quod nõdũ probationis habitu induti, religioni annexi minimè existimantur, sed tanquã meri seculares habentur. Nihilominus contrarium est omninò asserendum; nam quemadmodum qui de proximo est accingendus, habetur pro accĩcto *l. pe. ff. de militari test. iũcta Gloss. ibi verbo cõfestim.* Quod

Quod procedit in materia fauorabili, nec non & in idifferenti inquit Prępositus *in can. delator 6. q. 1.* Et partus conceptus in fauorabilibus pro iam nato habetur, vt resoluit Rota Besigneti *decis. 1. n. 3. & 4. de testam. in antiquioribus qui in vtero, ff. de statu hominum, l. pregnantis, ff. de pęnis*, & confirmatur à Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 96.* sic meritò ī casu nostro iā receptus dicitur religioni agregatus, modò sit de proximo habitu probationis induēdus.

Cōfirmantur prædicta aliquibus priuilegijs, in quibus expressa fit mentio facultatis, qua gaudēt Superiores religionis absoluēdi volentes ingredi ordinem. Tale est priuilegium Clementis quarti relatū in cōpend. priuileg. mend. *tit. absolutio ord. quoad fratres n. 4.* vbi Pontifex de ijs, qui indumentis secularibus nondum se exuerunt, expresse loquitur.

3 Ex dictis infertur, memoratos posse absolui, dispensariuè virtute priuilegiorū, proindè ac si essent nouitij habitu probationis induti, in religioneq. perseueraturi. Immò si casus contingeret, aliquem scilicet ex prædictis graui morbo laborare, integrū esset Prælatis religionis viaticum, & extremā vnctionem ei ministrare, atq. si vita deficeret, corpus humare, vt colligitur clarè ex Armil. *tit. sepultura n. 6.* Tabien. *n. 5.* Rodriq. *tom. 4. q. 6 o. art. 1.* & Sanch. *in precep. decal. lib. 6. c. 14. n. 11.* & confirmatur amplius, quia nouitius desinit esse parochianus primæ Ecclesiæ, vt notant Hostiens. *in c. de his, col. vlt. de sepult. ibi* Anchar. & Butrius *in fine*, Tiraquel. de retract. Lignaier. §. *1. gloss. 8. n. 23.* & Rota Prou. Marchiæ per Gratianum *decis. 35. n. 14.* Quę quidem illatio duobus concurrentibus intelligi debet. Primò, vt proximus sit eorum ingressus in religionem, ita vt sint in via ad habitum suscipiendum, Idcircò ij pergentes ad nouitiatum facultate gaudent se subijciendi quoad forum pęnitentię iurisdictioni superiorum monasteriorū nostrorum, per quæ transeunt: secus verò si receptis ingressus ad longum tempus protraheret; Nā ità expresse loquitur prefatum Clementis Quarti priuilegium. Secundò, vt in infirmitate perseuerent in vocatione induendi scilicet habitum, si cōualuerit, & interim sub obedientia Superiorum viuant.

Dubium

Disputatio. IX.

IN hac disputatione discutiendum est, qua facultate gaudeant Superiores Religionum absoluendi, dispensandi, habilitandiq. nouitios: Nec non an ipsimet nouitij casibus reseruatis, censuris, ac Superiorum regularium præceptis subijciantur.

DVBIVM I.

An nouitij nōdum habitu probationis induti beneficio absolutionis gaudere possint in nostra Cappucinorum Religione.

SVMMARIVM.

1 *An Cappucini possint confessiones secularium audire.*

2 *Item an Nouitiorum qui nondum habitu seculari se exuerunt, & an eos absoluere, & dispensare possint, ac si habitū probationis induissent.*
Qui de proximo est accingendus, habetur pro accincto.
Partus conceptus in fauorabilibus habetur pro iam nato.

3 *An Cappucini possint ministrare sacramenta in articulo mortis, vel humare corpora Nouitiorum, qui nondū habitu seculari se expoliarunt.*

1 RESPONDEO, cū religio nostra statuto, vsuq. vigeat, confessiones secularium non audire, & per consequens confessarij nostri Ordinariorū iurisdictione nō indigeant. Hinc posse in dubiū verti,
2 an inter nos memoratorum nouitiorum confessio audiri queat ex eo quod nōdū probationis habitu induti, religioni annexi minimè existimantur, sed tanquā meri seculares habentur. Nihilominus contrarium est omninò asserendum; nam quemadmodum qui de proximo est accingendus, habetur pro accīcto *l. pe. ff. de militari tes. iūcta Gloss. ibi verbo cōfestim.*

Quod

Quod procedit in materia fauorabili, nec non & in indifferenti inquit Præpositus *in can. delator 6. q. 1.* Et partus conceptus in fauorabilibus pro iam nato habetur, vt resoluit Rota Besigneti *decis. 1. n. 3. & 4. de testam. in antiquioribus qui in vtero, ff. de statu hominum, l. pragantis, ff. de pœnis,* & confirmatur à Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 96.* sic meritò ĩ casu nostro iã receptus dicitur religioni agregatus, modò sit de proximo habitu probationis induẽdus.

Cõfirmantur prædicta aliquibus priuilegijs, in quibus expressa fit mentio facultatis, qua gaudẽt Superiores religionis absoluẽdi volentes ingredi ordinem. Tale est priuilegium Clementis quarti relatũ in cõpend. priuileg. mend. *tit. absolutio ord. quoad fratres n. 4.* vbi Pontifex de ijs, qui indumentis secularibus nondum se exuerunt, expressè loquitur.

3 Ex dictis infertur, memoratos posse absolui, dispensariuè virtute priuilegiorũ, proindè ac si essent nouitij habitu probationis induti, in religioneq. perseueraturi. Immò si casus contingeret, aliquem scilicet ex prædictis graui morbo laborare; integrũ esset Prælatis religionis viaticum, & extremã vnctionem ei ministrare, atq. si vita deficeret, corpus humare, vt colligitur clarè ex Armil. *tit. sepultura n. 6.* Tabien. *n. 5.* Rodriq. *tom. 4. q. 60. art. 1.* & Sanch. *in precep. decal. lib. 6. c. 14. n. 11.* & confirmatur amplius, quia nouitius desinit esse parochianus primæ Ecclesiæ, vt notant Hostiens. *in c. de his, col. vlt. de sepult. ibi* Anchar. & Butrius *in fine,* Tiraquel. de retract. Lignaier. §. *1. gloss. 8. n. 23.* & Rota Prou. Marchiæ per Gratianum *decis. 35. n. 14.* Quę quidem illatio duobus concurrentibus intelligi debet. Primò, vt proximus sit eorum ingressus in religionem, ita vt sint in via ad habitum suscipiendum, Idcircò ij pergentes ad nouitiatum facultate gaudent se subijciendi quoad forum pęnitentię iurisdictioni superiorum monasteriorũ nostrorum, per quæ transeunt: secus verò si receptis ingressus ad longum tempus protraheret; Nã ità expressè loquitur pręfatum Clementis Quarti priuilegium. Secundò, vt in infirmitate perseuerent in vocatione induendi scilicet habitum, si cõualuerint, & interim sub obedientia Superiorum viuant.

Quod procedit in materia fauorabili, nec non & in indifferenti inquit Prępositus *in can. delator 6. q. 1.* Et partus conceptus in fauorabilibus pro iam nato habetur, vt resoluit Rota Besigneti *decis. 1. n. 3. & 4. de testam. in antiquioribus qui in vtero, ff. de statu hominum, l. pragantis, ff. de pęnis,* & confirmatur à Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 96.* sic meritò ĩ casu nostro iã receptus dicitur religioni agregatus, modò sit de proximo habitu probationis induẽdus.

Cõfirmantur prædicta aliquibus priuilegijs, in quibus expressa fit mentio facultatis, qua gaudẽt Superiores religionis absoluẽdi volentes ingredi ordinem. Tale est priuilegium Clementis quarti relatũ in cõpend. priuileg. mend. *tit. absolutio ord. quoad fratres n. 4.* vbi Pontifex de ijs, qui indumentis secularibus nondum se exuerunt, expressè loquitur.

3 Ex dictis infertur, memoratos posse absolui, dispensariuè virtute priuilegiorũ, proindè ac si essent nouitij habitu probationis induti, in religioneq. perseueraturi. Immò si casus contingeret, aliquem scilicet ex prædictis graui morbo laborare, integrũ esset Prælatis religionis viaticum, & extremã vnctionem ei ministrare, atq. si vita deficeret, corpus humare, vt colligitur clarè ex Armil. *tit. sepultura n. 6.* Tabien. *n. 5.* Rodriq. *tom. 4. q. 60. art. 1.* & Sanch. *in precep. decal. lib. 6. c. 14. n. 11.* & confirmatur amplius, quia nouitius desinit esse parochianus primæ Ecclesiæ, vt notant Hostiens. *in c. de his, col. vlt. de sepult. ibi* Anchar. & Butrius *in fine,* Tiraquel. de retract. Lignaier. *§. 1. gloss. 8. n. 23.* & Rota Prou. Marchiæ per Gratianum *decis. 35. n. 14.* Quę quidem illatio duobus concurrentibus intelligi debet. Primò, vt proximus sit eorum ingressus in religionem, ita vt sint in via ad habitum suscipiendum. Idcircò ij pergentes ad nouitiatum facultate gaudent se subijciendi quoad forum pęnitentię iurisdictioni superiorum monasteriorũ nostrorum, per quæ transeunt: secus verò si receptis ingressus ad longum tempus protraheret; Nã ita expresse loquitur pręfatum Clementis Quarti priuilegium. Secundò, vt in infirmitate perseuerent in vocatione induendi scilicet habitum, si cõualuerit, & interim sub obedientia Superiorum viuant.

DVBIVM II.

An deceat nos Capuccinos beneficium absolutionis impertiri Nouitijs habitu probationis indutis, si certò constet, eos à Religione esse recessuros.

SVMMARIVM.

1 *Quando Capuccini possint audire confessiones Nouitiorum, quos certò constat à Religione esse egressuros. Et an eis Sacramenta ministrare valeant in articulo mortis num. 3.*

2 *An Nouitij à Religione egressuri habeantur tanquam professi. & n. 4.*

3 *An personæ non militantes in loco hostili existentes gaudeant priuilegijs, ac si actu militassent.*

1 RESPONDEO affirmatiuè, non obstante ratione in superiori dubio relata, qua hæsitari potest, an hoc Prælatis nostris competat, & ità etiam tenet Crousers *lect. 20. §. vtrum nouitius ex ordine in c. 7. f. 241.* Quod tamen intelligi debet, modò aliqua rationabilis causa accedat ad imponendam egressui nouitiorum moram, vt si congruum esset, antequam habitu spoliarentur, aduentum Prouincialis, vel suorum consanguineorum expectare, vel quid simile intercederet, propter quod egressus à prudẽte Magistro differendus iudicaretur.

2 Probatur primò, nam cum nouitius ingressus fuerit monasterium, ista quæ deprehenditur ex actu inchoato, etiam non finito, habetur pro opere perfecto, & consumato, licèt non perueniat ad effectum casu furtuito, aut aliquo impedimento *l. cum quidam, & l. & si non sunt, § infecti, ff. de auro, & argento legato.* Et ità in specie de nouitio monasterium ingresso concludit Anchar. *cons. 69. num. 8.* quem refert, & sequitur Mandos. *de priuilegijs ad instar glo. ss. 10. num. 14.* vt testatur Rota Prouinciæ Marchiæ per Gratian. *decis. 35. num. 10. & 11.* Ergo absolui possunt, quia in hoc casu habentur tanquam professi.

3 Secun-

3 Secundò, nam sicuti personæ non militantes in loco hostili existentes priuilegijs ipso loco datis gaudent perindè, ac si actu militassent *l. fin. ff. de militari testam.* quod non obscurè colligitur ex *c. exijt, §. continetur in fine, de verborum significat. in sexto,* & expressè confirmatur à Glossa final. *in l. scriniarios, C. eodem tit.* Parisio *consil. 32. num. 25. vol. 2.* Mandosio *in reg. 16. q. 28. num. 7. & q. 29. num. 2.* & Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 4. num. 112.* Ità nouitii existentes in militia religiosa sub Superiorum obedientia absolutionis beneficio potiri debent. Item sicut ij propter religionis vestimentum, quo induuntur, priuilegio *can. si quis suadente* gaudent: sic etiam meritò in religione confiteri debent, & absolui.

4 Ex dictis infertur, præfatos nouitios virtute priuilegiorum absolui, dispensarique posse, perindè, ac si essent in religione permansuri. Quinimmò si grauem inciderent morbum, omnia eis sacramenta administrari possent, vt in superiori dubio enodatum est. Hæc tamen intelligenda sunt, dummodo persistente rationabili causa habitum probationis eis permissum deferant, & sicut cæteri nouitii sub religionis Prælatorum obedientia viuant. An verò teneantur præfati recedentes à religione, in qua absoluti fuerint à censuris, se eis præsentare, à quibus aliàs de iure poterant absolui, discutietur infrà *dub. 25.*

DVBIVM III.

Quibus confiteri possint Nouitij in Religione.

SVMMARIVM.

1 *An Nouitij possint confiteri alijs quàm Confessarijs eis à Prælato deputatis, & num. 5.*
2 *Qui deputandi sint à Prælato ad confessiones Nouitiorum audiendas.*
3 *An Nouitij possint confiteri Confessario iurisdictionem habenti ab Episcopo solum.*
4 *Vel Confessarijs iurisdictionem à Papa habentibus.*
5 *An Nouitius subreptitiè eligens sibi Confessarium, præter deputatum à*

Prælato sit expellendus à Religione.

6 *An Nouitij possint absolui à reseruatis virtute Bullæ Cruciatæ.*

1 RESPONDEO nouitios confiteri debere confessario, seu confessarijs pro eis à Superiore deputatis; Quod probatur; nam dum nouitius perseuerare uult in religione, censetur mutare domicilium saltem quoad ea, quę ad sacramenta necessaria spectant; Idcirco cum ratione exemptionis religionis fiat extra iurisdictionem secularium pastorum, sub qua uiuebat in seculo, sequitur, eum quoad hanc iurisdictionem spiritualem subiectum esse Superiori religionis. Ergo confiteri debet confessario ab eodem Superiore deputato. Hęc assertio colligitur non obscurè ex
2 Corduba *lib. 1. qq. Theolog. quæst. 30.* & ex Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 7. num. 13. in fine.* Et notandum à Clemente VIII. in Bulla incipiente: *Cum ad regularem disciplinam* cuius titulus est, *Institutiones super receptione, & educatione nouitiorum*, decerni, quod Magistro soli nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire iudicauerit, uel per seipsum, uel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem nouitiorum confessiones audire.

3 Ex quo infertur, tutum non esse nouitio sine licentia Prelati religionis confiteri cuicunque confessario iurisdictionem tantum ab Episcopo habenti, quod est contra Henriquez *lib. 6. de pænit. c. 6. §. 3 lit. X. & lib. 7 de indulg. c. 22. §. 7. lit. I. & V.* qui docuit nouitium confiteri posse cuicunque Sacerdoti habenti iurisdictionem, uel ab Episcopo ipsius nouitij, uel à Papa per priuilegia. Hęc illatio probatur; nam dum nouitius permanere uult in religione, non est amplius sub iurisdictione Episcopi, ut uisum est, quod latè probat Suarez *num. 14. & 15.* Et quamuis idem Suarez *num. 12.* sustineat integrum esse eisdem nouitijs confiteri confessarijs iurisdictionem à Papa habentibus, prout habent communi-
4 ter religiosi ad confessiones fidelium audiendas expositi: attamen concludit ex hijs etiam confessarijs nequaquam posse confessiones nouitiorũ audiri, si prohibitio Superioris interueniat, puta si mandaret, ne confessarij in monasterijs, excepto Magistro, audirent confessiones nouitiorum, neq; eos absoluerent; Et est ratio,

tio; quia cum facultas absoluendi vi priuilegiorum nō descendat ad confessarios nisi media concessione, & voluntate suorum superiorum; patet nequaquam licere eisdem nouitijs cōfiteri illis confessarijs. Et hoc impedimentum non procedit ex parte nouitiorum, sed ex parte confessariorum, quibus à superiore contracta est ad hoc iurisdictio.
5 Immò ex eodem Doctore *num. 13. in fine* apertè colligitur, non posse nouitios intra propriam religionem, vbi adsunt ij confessarij ad confessiones fidelium expositi, confiteri his expositis, neque alijs sine licentia Prælati. Hic memoriæ est
6 mandandum illud, quod aduertit Rodriquez *tom. 1. q. 21. art. 11. ante medium* nempè posse per Prælatum expelli à religione nouitium, qui subreptitiè elegit sibi confessarium præter deputatum ad confessiones nouitiorum audiendas. Equidem talem actionem esse saltem grauem deordinationem contra bonam religionis disciplinam, nemo dubitat.

7 Sed quæritur, an nouitij virtute Bullæ Cruciatæ eligere sibi possint confessarium absque Superiorum religionis licentia, qui eos à reseruatis absoluat. Respondeo, Quamuis professi nequeant sine suorum Superiorum licentia eligere sibi confessarium, qui virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius huiusmodi indulti eos à reseruatis absoluat, vt latè inter alios benè probat Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 16. num. 2.* Nihilominus controuertitur inter DD. an id nouitijs liceat. Partem affirmatiuam sustinet Suarez *n. 10,* & Rodriq. *tom. 1. q. 21. art. 11. in fine.* Quorum potissima ratio est, quia cum non sint verè religiosi, sub nomine fidelium hoc priuilegio gaudentium comprehenduntur. Ergo, &c. Partem verò negatiuam, quæ nedum est tutior, sed etiam censetur probabilior, tuentur Corduba *lib. 1. qq. Theolog. q. 20.* Crousers *lect. 17. Sum verò tunc nouitius, in c. 7. reg. f. 649.* & alij teste eodem Crousers. Probatur *ex c. recolentes, de statu monach.* vbi expressè habetur, quod qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem seruare debent in legibus disciplinam. Et quia *in d. c. recolentes §. item,* Pontifex Cisterciensibus ait, quod si ad communem voluerint aliorum monasteriorum iura diuertere, oportebit eos communi iure censeri, Glossa *ibi* meritò notat, quod duplici iure censeri non debet iuxta hunc textum, & etiam iuxta *c. cum in tua, de decim. & can. cognouimus, in fine 12. q. 2.* Quæ omnia multum faciunt ad rem nostram.

stram. Hinc iuxta probabiliorem opinionem, quam referam *dub. 26.* Nouitii casibus reseruatis in religione subiiciuntur, quia mo- nentes nouitii existunt sub iurisdictione non Episcoporum, sed religionis Prelatorum, ut dictum est. Ergo sine eorum licentia absolui nequeunt ab iis casibus, ac si essent professi.

Non obstat prioris opinionis fundamentum; Quia licèt noui- tii non sint propriè religiosi, sunt tamen propriè subditi, ut pro- batum est; Neque ad hoc, ut subsint iurisdictioni Prælatorum, necessè est, ut uotum obedientię emittant, sed satis est, quod as- sumptione habitus se Prelatis submittant.

DVBIVM IV.

An ratum sit Magistro Nouitiorum cœptam Nouitij non- dum habitu probationis induti confessionem gene- ralem perficere, superueniente impedimento, quo idem Nouitius tunc ad seculum omninò redire cogitur.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi exponitur.*
2 *Affirmatiua opinio circa titulum.*
An iurisdictio delegata expiret per mortem delegantis re non integra.
Vbi militat eadem ratio, militat quoque eadem iuris dispositio.
3 *Quando habeat locum affirmatiua opinio circa titulum.*

1 RESPONDEO rationem, qua verti in dubium potest, an huiusmodi confessio perfici queat, esse, quia cum confessarij sacræ religionis nostræ Capuccinorum facultate Ordinariorum absoluendi non gaudeant, eo quòd secularium confessionibus nõ incumbimus, videtur iurisdictio Magistri in casu proposito cessa- re superueniente impedimento, per quod nouitius religionem de- serere omninò cogitur.

2 Nihilominus sit conclusio. Nullus relinquitur ambigendi lo-

cus, quin integrum sit memorato Magistro cœptam confessionem perfectè audire, absolutionisque beneficium ei impendere posse. Et est ratio, quia Magister veram habebat iurisdictionem, quando audire cœpit confessionem. Quæ quidem iurisdictio adueniente impedimento non expirat; quoniam res non est integra, sed confessio cœpta; Et ideò iure cautum est *c. gratum, & c. relatum, de offic. deleg.* iurisdictionem delegatam, quæ morte delegantis omninò spirat, nequaquam cessare re non integra, quia scilicet delegatus ea vti cœpit. Quod confirmatur à Glossa *ibi*, & ab alijs. Et licèt textus citati de fori externi iurisdictione loquantur attamen extendendi etiam sunt ad forum internum, quia vbi militat eadem ratio, eadem quoque militat iuris dispositio *l. illud, ff. ad l. Aquil.* Et ità docent Doctores mox citandi, astruentes confessarij iurisdictionem non cessare quoad confessiones cœptas. Ità Paludan. *4. dist. 17 q. 4. art. 3. concl. 7. num. 25.* D. Antonin. *3. p. tit. 17. c. 9. in fine*, Margherita confessorum *in quæstionibus moralibus f. 133. vers. sciendum quid*, Petrus Ledesma *in sum. sacram. vbi de pœnit. c. 12. post quintam conclus. dub. 2. f. 539.* Sanchez *in præcept. decal. lib. 2. c. 13. num. 15.* & Duard. *in Bullam Cœnæ lib. 3. quæst. 7. §. 2. num. 1.*

3 Ad perfectiorem autem prædictorum intelligentiam duo hic notanda sunt: Prius, si causa, per quam nouitius recessum à religione eligit, sit iusta, vel rationabilis, eundem nouitium absolutionis, dispensationisque beneficium ad reincidentiam consequi posse in religione ab omnibus censuris, & irregularitatibus, perindè ac si esset probationis habitum recepturus, prout fusius *dub. 25.* in quarta præcipuè conclusione enucleabitur. Tunc autem dicitur reperiri in nouitio causa rationabilis, cum eius recessus à sapientibus, & prudentibus non leuis, & consequenter minimè culpabilis dijudicatur.

4 Posterius, si causa recessus non est rationabilis, minimè in dubium verti, non posse vi priuilegiorum absolui, prout ex dicendis in dubio citato constabit. Quinimmò est casus valdè dubius, an vllo modo valeat inter nos absolutionis beneficium recipere; Et ideò in re tàm graui, & valdè dubia satius erit, eum ad confessariũ ab Ordinario approbatum mittere.

DVBIVM V.

An eadem auctoritas habeatur absoluendi Nouitios, qua absolui possunt professi in Religione.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua opinio circa titulum.*

2 *Priuilegia referuntur, quibus Prælati Regulares pari potiuntur facultate absoluendi Nouitios æquè ac professos.*

3 *An Nouitij gaudeant priuilegijs Religioni concessis.*

4 *Quæ priuilegia possit Generalis Societatis Iesu communicare Nouitijs.*

5 *In quibus Magistri possunt absoluere suos Nouitios apud Capuccinos.*

1 RESPONDEO affirmatiuè, supposito vnamquamque religionem per communicationem priuilegijs alijs claustralibus concessis frui. Tenent hanc assertionem Viuald. *de absolut. nu.*
2 *23. & 24.* & Reginald. *lib. 8. nu. 58.* quos refert, & sequitur Bonac. *de pœnit. q. 7. p. 4. §. 1. num. 28. & de legibus disput. 4. q. 2. p. 7. §. 4. nu. 28.* docentes absolui posse nouitios à censuris reseruatis, à quibus absolui possunt professi. Quod probatur primò; quia nonnulla priuilegia concessa fuere, quibus æquali facultate potiuntur Prælati regulares absoluendi tàm professos, quàm nouitios, vt est videre in compend. priuileg. *tit. absolut. ordin. quoad fratres num. 7. & 10. tit. absolut. extraordinaria num. 1.*

3 Secundò, quia satis probabile est, nouitios priuilegijs religioni concessis gaudere, vt *disput. 11.* probabitur.

4 Tertiò accedit quoddam priuilegium Societati Iesu concessum, quo Reuerendissimus illius Religionis Generalis omnia suæ Societatis priuilegia nouitijs communicare valet, vt ex comped. priuileg. eiusd. Societ*atis communicatio num. 5.* patet. Hinc Adm.
5 R. P. F. Clemens à Noto sacræ Religionis nostræ Generalis benemeritus ratione participationis huius indulti Magistris nouitiorũ facultatem huius cõmunicationis indulsit iuxta nouitiorum in-

digentiam, vt constat ex literis eiusdem Patris ad me missis. Hac tamen limitatione, ne scilicet valeant ea vti, nisi absoluendo, ac dispensando in ijs tantùm, quorum absolutio, seu dispensatio eisdem nouitijs omninò necessaria videtur ob vsum tantummodo sacramentorum, vt infrà aliàs attingam.

DVBIVM VI

An Prælati regulares facultate gaudeant absoluendi suos Nouitios, ac professos à casibus in Bulla Cœnæ contentis.

SVMMARIVM.

1 *An Prælati Regulares possint absoluere à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ.*

2 *An Episcopi possint absoluere à casibus in Bulla Cœnæ Domini. Item an Prælati regulares. Duplex opinio.*

3 *Auctor negatiuam amplectitur.*

1 RESPONDEO, olim virtute priuilegiorum Prælatos regulares auctoritatem habuisse absoluendi suos subditos à quibuscumque casibus etiam Sedi Apostolicę reseruatis, exceptis hæreticis relapsis, scismaticis, literas Apostolicas falsificantibus, & ad infideles prohibita deferentibus, vt constat ex priuilegijs Clementis Quarti, ac Sixti Quarti relatis in compend. priuileg. *tit. absolutio ordin. quoad fratres nu. 3. & 13.* vt inter alios doctè probat Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 9.*

2 Post tamen Bullæ Cœnæ publicationem inter Doctores controuertitur, an facultas Episcopis concessa à Tridentino *sess. 24. c. 16. de reformat.* absoluendi videlicet ab hęresi, alijsque peccatis occultis: necnon Pręlatis regularibus virtute suorum priuilegiorum sit per eandem Cęnę Bullam reuocata quoad casus in ea contentos. Et quidem circa Episcoporum facultatem quamplures Doctores tam negatiuam, quam affirmatiuam partem tuentur, vt

est videre apud Garziam *de benefic.p.11.c.10.num. 115.* & Sāchez *in precept.decal.lib.2.c.11.à num.26.* Et circa Prælatorum regularium facultatem Rodriq. *ubi supra* nonnullos pro parte negatiua, alios tamen quamplures pro affirmatiua refert.

3 At amplectenda est omninò sententia asserentium memoratam facultatem esse reuocatam, nec in re tàm graui sequēda est opinio valdè dubia, & parum tuta. Et sic pro resolutione dubij nostri patet, Prælatos regulares absoluere à casibus huius Bullæ etiā omninò occultis nequaquā posse. Ità Collect.compend.priuileg.mend. *tit. absolut. ordin. quoad fratres num.13.* Confectus *in sum. priuileg. tit.de regul.confess.c.7.* Sorbus *tit.absolut. ordin. quoad fratres f.29. & in resolut.mater. absolut.f.54.& 55.in 2.edict.* Grassius *in append. lib.1.c.7.num.22.& 23.de casib.reseru.* Cruz *de statu relig. lib.1.c.6. dub.15.concl.1.* Zenard. *in direct. Theologor.p.2.c.17.vers.8.* Naldus *tit.nouitius num.7,* & alij; Et ideò nouitius, ac etiam professus aliquo huius Bullæ casu obstrictus recurrere debet, ad quos spectat eiusdem casus absolutio.

DVBIVM VII.

A quibus censuris absolui possint in Religione tàm Professi, quàm Nouitij.

SVMMARIVM.

1 *A quibus censuris possint absoluere Prelati Regulares sibi subditos virtute priuilegiorum suorum.*
2 *Quibus Prelatis suffragetur huiusmodi facultas.*
3 *Que facultas absoluendi, & dispensandi competat Guardianis, Confessarijsque deputatis in Ordine Capuccinorum.*
4 *Que auctoritas absoluendi, vel dispensandi in anno Iubilei.*
5 *Nouitij absolui possunt à casibus locorum Ordinarijs reseruatis.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Superiores regulares, & in eorum absentia Vicarij, nec non, & alij, quibus memorati vices suas committunt, facultate gaudent absoluendi in foro con-

ro conscientiæ suos subditos professos, ac nouitios ab omni peccato, atq; excommunicatione non solum inferioribus Papa, sed etiam ipsi Pontifici reseruata; modò sit extra Cœnę Bullam: nec non ab omni suspensione, & interdicto, siue memoratę censurę sint à iure, siue ab homine generaliter, vel particulariter latę, dummodò talibus censuris innodati partibus læsis satisfaciant, si fortè aliquibus iniuriam irrogauerint, vel aliàs nocuerint. Possũt etiam in aliquibus casibus absoluere nominatim excommunicatos satisfacta parte concurrentibus quę infrà *dub. 9.* notabuntur.

Probatur conclusio ex nonnullis priuilegijs in compend. priuileg. mendican. relatis *tit. absolutio ordin. quoad fratres num. 4. 7. & 10. & in alijs locis*, & in compen. Societat. Iesu *tit. absolutio, §. 1.* vbi habetur per Paulum Tertium concessum fuisse illis religiosis, vt absolui possint ab omnibus casibus, & censuris, & pœnis consurgẽtibus ex eis toties quoties, preterquã à contentis in Bulla Cœnę Domini. Preterea probatur per ea, quę congerit Sorbus *in resolut. mater. absolut. & in tit. nouitius vbi de absolutione, & dispensat. nouitiorum*, Rodriquez *tom. 1. q. 20. ferè per totam, præsertim art. 1. 2. 3. 4. & 21.* Cruz *de statu relig. lib. 1. c. 6. dub. 1. concl. 3. 4. & 5.* Sanchez *in precept. decal. lib. 6. c. 17. num. 41.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 25. à n. 5. c. 20. n. 12. & c. 21. per totum*, Zenardus *in direct. Theologor. p. 2. c. 17. vers. 8.* & Naldus *tit. nouitius nu. 7. & tit. reseruatio in fine.* Quæ omnia hic recensere breuitas non admittit.

Non obstat, quod refert Sorbus *tit. nouitius, de nouitiorum absolut. in princ.* Clementem scilicet Octauum viuę vocis oraculo Procuratori nostro ordinasse, si aliquis nouitius reperiretur ante, vel post susceptum habitum habere casum Sedi Apostolicę reseruatum, non obstantibus priuilegijs debere statim mittere ad eos, ad quos eius representatio, & absolutio spectat; Quia *dubio 13.* ostendam, pręfata priuilegia esse confirmata; Et ideò virtute illorum possunt absolui, vt dictum est.

2 Limitatur primò, quia licèt virtute priuilegiorum Superiores omnes tàm maiores, quàm minores pręfata auctoritate polleãt, vt inter alios probat Rodriq. *art. 2.* attamẽ inter nos Capuccinos, vel in Capitulis, vel à Superioribus maioribus, vel saltẽ consuetudine eadem auctoritas arctatur Superioribus localibus; Et ideò Guardiani, alijq; superiores locales in religione nostra maiori facultate

in absoluendo, dispensandoque non gaudent, quàm à suis Superioribus eis concessa videtur. Quare mos apud nos viget ex Generalis indulgentia, vt omnes Superiores locales, nec non, & confessarii deputati valeant in foro conscientiæ tantùm absoluere, dispensare, habilitareq; in omnibus, in quibus potest ipse Generalis iuxta pœnitentium indigentiam propter vsum solummodo sacramentorum, & non vltra, & cum obligatione pœnitentibus se præsentandi coram Superiore maiori pro casibus reseruatis; Et ideò circa nouitios dico, nedum Guardianum, Magistrumque nouitiorum, sed etiam Superiores monasteriorum, per quæ nouitii euntes ad probationis locum transeunt memorata facultate cum iisdem nouitiis gaudere, vt dubio primo exploratum est.

4 Limitatur secundò pro anno Iubilæi, in quo facultates absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis suspendi solēt; Et ideò tunc obseruari debet Bulla iuxta mentem Pontificis.

5 Ex dictis infertur, integrum esse præfatis regularibus absoluere eos, qui ingredi volunt Ordinem, à casibus Episcopalibus, quibus fortè essent irretiti. Neq; obstat decretum Sacræ Congregationis iussu Clementis Octaui editum die 9. Ianu. 1601. & eius declaratio ab eadem Sacra Congregatione edita anno 1602. 26. Nouemb. vbi Regularibus inhibetur absoluere vi priuilegiorum pœnitentes à casibus locorum Ordinariis reseruatis; Quia tàm decretum, quàm declaratio loquuntur de iis confessariis, qui secularium confessiones audiunt; Et ideò sub iis secularibus non comprehenduntur illi, qui claustrum sunt statim ingressuri. Cum eo tempore ego nouitiorum curam haberem consului super hoc Adm. R. P. Anselmum à Monopolo tunc Ordinis nostri in Curia Romana Procuratorem, qui postea ad dignitatem Cardinalitiam promotus fuit, & de mente eiusdem Clementis Octaui respondit, præfatos nouitios absolui posse à casibus Episcopo reseruatis eo modo, quo absolui poterant priusquàm memoratum decretum emanasset. Creusers *lect. 26. §. dubitari tamen, in c. 7. f. 749.* latè, doctèq; probat frui posse nouitios absolutione à casibus Ordinariis locorum reseruatis.

DVBIVM VIII.

An virtute priuilegiorum resideat apud Prælatos regulares auctoritas absoluendi à censuris professos, ac nouitios extra forum sacramentale.

SVMMARIVM.

1 *Distinguitur triplex forum.*
2 *An Prælati Regulares possint absoluere sibi subditos à censuris extra forum sacramentale.*
3 *Maximè si sint publica, & ad forum contentiosum deducta.*
4 *An absolutio in foro conscientiæ obsit foro contentioso.*

1 RESPONDEO, præmittendum esse, triplex esse forum iuxta Præpositum *in c. preterea 2. num* 5. *de sponsalibus*, quoddam contentiosum: quoddam pœnitentiale: aliud verò quasi pœnitentiale, quod est medium inter hæc. Et hoc præcipuè à Doctoribus appellatur forum conscientiæ.

2 Hoc prænotato sit conclusio, integrum esse Prælatis regularibus absoluere à censuris suos subditos extra forum sacramentale. Quod probatur; nam si Pontifex concedens aliquam Bullam, seu priuilegium vellet absolutionem in foro pœnitentiali tantùm impendi, hanc conditionem exprimeret dicens in foro conscientiæ tantùm, & pœnitentiali, vt dixit Pius V. in Bulla Iubilæi ab eo concessi anno 1568. At cum Pontifices priuilegiis Prælatis regularibus factis hanc conditionem ad summum exigant, vt scilicet in foro conscientiæ tantùm absoluere valeant, liquidò patet, memoratos Prçlatos facultate gaudere absoluendi ab omnibus censuris, de quibus fuit sermo in superiori dubio etiam extra pœnitentię sacramentum; Nam hęc facultas absoluendi in foro conscientię extenditur, vt extra forum sacramentale absolutio impendi queat, sicuti docent Nauar. *lib. 5. consil. 11. num. 3. de priuileg.* Graffius *p. 1. decis. lib. 1. c. 13. num. 32.* Henriquez de indulg. *lib. 7. c. 13. §. 2.* Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 7. & q. 61. art. 10.* Auila *de cen*

sur.p.2.c.7.disp.3.dub.13. Suarez *tom.5.disp.41.sect.2.n.11.& tom. 4.de relig. tract.10.lib.9.c.2.n.31.& 32.* Sanchez *de matrim. lib.8. disp.34.n.29.* Miranda *in Manual.Prælat.tom.1.q.46.art.7.* & Cruz *de statu religioso lib.1.c.26.dub.15.concl.2.*

3 Ampliatur conclusio, vt locum habeat, etiam si censuræ essent publicæ, & ad forum contentiosum deductæ, vt benè defendit Sotus *4. distinct.22.q.2.art.3.col.10.vers. primus eius casus,* & ita etiã tenet Nauarus *lib.5. cons.47.num.2.de sent. excom. in 2.edit.* Quod latè probat Sanchez *in præcept. decal. lib.6.c.17.num.43.* allegans pro hac opinione Ledesmã *p.2.4.q.26.art.1.f.353.p.1.* Polancum *in director.c.4.f.52.vers. si quis,* Angles *in Florib.2.p.q. vnica de excom. art.4. diffic.2.* & Henriquez *lib.8.de Eucharist.c.60.num.4. & lib.7.de indulg.c.13.num.2.* Et quamuis Garzia *de benefic.p.11. c.10. à num.139.* contrarium sustineat volens, qui habent memoratam absoluendi in foro conscientiæ auctoritatem, posse duntaxat extra forum sacramentale dispensare, non verò a censuris absoluere, nisi in foro sacramenti pœnitentiæ. Attamen hæc facultas cum tanta limitatione non conceditur, vt inter alios notat Suarez, neque à nobis restringenda est, cum fauores sint potius ampliandi.

4 Limitatur conclusio, vt hæc absolutio data in sacramento, vel extra sacramentum suffragetur pœnitẽtibus in foro tantùm conscientiæ, non verò in foro externo, seu contentioso, nisi in aliquibus casibus, vt in dubio sequenti dicetur; Et ideò Iudices non obstante hac absolutione poterunt procedere contra eos, qui aliqua huiusmodi censura in foro exteriori obstricti fuerunt, vt clarius dubio sequenti ennodabitur. Et in hoc sensu vti debent priuilegijs regulares, etiam si eis non addatur conditio narrata in foro scilicet conscientiæ, quæ quidem omittitur in aliquibus; & præsertim in illo Clementis Quarti relato in compend. *tit. absolut.ordin.quoad fratres num.4.* Et ideò quoad petentem religionis ingressum recipi nequit, si à Iudice procedatur contra eum ob censuram ad forum contentiosum deductam iuxta expedita *disput.2. dub.12.*

Du-

DVBIVM IX.

An Nouitij denunciati, aut nominatim excommunicati virtute priuilegiorum absolutionis beneficium in religione consequi possint.

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio negatiua circa titulum quæstionis.*
2 *Posterior opinio affirmatiua quoad forum conscientiæ, negatiua quoad forum contentiosum.*
3 *Tertia opinio affirmatiua quoad vtrunque forum.*
4 *Sententia Auctoris concordans omnes alias & num. 5.*
Priuilegia semper intelliguntur concessa saluo iure tertij.
6 *An Nouitius absolui, aut remitti debeat ad Iudices.*

1 RESPONDEO triplicem esse sententiam. Prima vult, hos excommunicatos virtute priuilegiorum in neutro foro frui posse absolutionis beneficio, etiã sequuta partis læsæ satisfactione. Ita Collect. compend. priuileg. mendicant. *tit. absolutio quoad seculares 2. num. 19.* Cum quo videtur concordare Suarez *tom. 5. disput. 7. sect. 2. à num. 30.* sustinens non posse absolui vigore priuilegiorum ingredientem religionem irretitum nominatim censura præsertim lata per sententiam particularem, & ad forum contentiosum deducta. Ducitur, quia huiusmodi censura non comprehenditur sub ijs priuilegiis, quæ semper loquuntur, vel in generalibus sententijs, vel in casibus occultis. Reginald. *lib. 9. num. 4.* videtur esse eiusdem sententię, docens generalem concessionem absoluendi ab excommunicatione minimẽ comprehendere, qui nominatim à suo Superiore sunt excommunicati. Existimat tamen Suarez, si sententia esset lata pro particulari delicto, occulto tamen quoad personas, in quas confusè tantùm, & sub ratione delinquentium lata foret, talem censuram tolli posse per prędicta priuilegia post satisfactionem parti exhibitam.

2 Se-

2 Secunda concedit, in foro tantum conscientiæ absolui posse: secus verò quoad forum externum, seu contentiosum etiam præmissa partis satisfactione; eo quòd necessarium censet ex consensu Iudicis, qui excommunicauit, absolutionem in hoc foro impendi debere. Ità Nauar. *lib. 5. consil. 47. num. 2. de sent. excomm.* Sayr. *de censur. lib. 2. c. 20. num. 29.* Duard. *in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 1. num. 46.* Auila *p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 10.* Sanchez *in præcep. decalog. lib. 6. c. 17. num. 45.* & alii. Possunt etiam pro hac opinione citari Couaruuias *in c. alma mater p. 1. §. 11. nu. 16.* Toletus *lib. 1. c. 14. nu. 8.* Graffius *p. 1. decis. lib. 4. c. 15. num. 18.* & quamplures alij docentes absolutionem vi Bullæ, seu priuilegij datam non prodesse quoad forum contentiosum.

3 Tertia sustinet, memoratos denunciatos, seu nominatim excommunicatos, satisfacta parte, beneficio absolutionis in vtroq; foro tàm interno, quàm externo virtute priuilegiorum gaudere posse. Ità Medina *in instruct. confess. lib. 2. c. 12. ad finem.* Sorbus *in resolut. mater. absolut. f. 57. vers. quarta conclusio in 2. edit.* Rodriquez *tom. 1. q. 61. art. 6.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 35. art. 22.* Cruz *de statu relig. lib. 2. c. 7. dub. 1.* & Bonacina *de censur. disp. 1. q. 3. p. 10. num. 2.* Ducuntur quia Pius V. in Bulla Iubilæi concessi anno 1568. declarauit, tales concessiones, vel eò vsque datas, vel in futurum dandas non suffragari in foro externo, nisi satisfacta parte; Ergo cum hac conditione supponit etiam ad illud forum extendi. Præterea hoc etiam colligunt ex Tridentino *sess. 25. c. 12. de reformat.* mandante excommunicatum nominatim, ex quo fraudauit decimas, vel ne soluerentur impediuit, non absolui, donec parti satisfaciat.

4 Pro resolutione dico primò, talem denunciatum, vel nominatim excommunicatum posse, satisfacta parte, vi priuilegiorum absolui, vt expressè docent Nauar. & omnes Doctores in secunda, & tertia opinione relati, quia hoc inter eos non vertitur in dubium, sed difficultas est, an hæc absolutio extendatur quoque ad forum contentiosum; Et ideò secundò dico. Quamuis excommunicatus satisfecerit parti, absolutusq; fuerit vi priuilegiorum, censeo tamen tunc talem absolutionem non egredi limites fori conscientiæ, ac subindè non extendi ad forum contentiosum, ita vt teneatur in rigore Iudex ad admittendã illam, & nequeat alijs

poenis

pœnis punire reum, quando scilicet, vel ob delictum à reo perpetratum, vel propter eius contumaciam, vel propter scandalum, vel tandem propter iniuriam,& irreuerentiam Iudici illatam oritur ex tali absolutione graue Iudicis, atque iurisdictionis fori exterioris præiudicium. Quando igitur in magnum Iudicis, seu iurisdictionis exterioris præiudicium cederet, si iste excommunicatus remaneret absolutus absque obligatione se præsentandi, subijciendique Iudici, qui eum excommunicauit, censeo cum secunda opinione, hanc absolutionem non se extendere ad forum contentiosum: Et hoc est, quod intendunt Doctores, & præsertim Nauar. *in cons. 47. citato*, Sayrus *num. 31*. Sanchez *vbi supra*, & alij docentes, hanc absolutionem non procedere quoad forum exterius quominus reus accusari, inquiri, punirique possit. Non obstant priuilegia nostra etiam si ad vtrumque forum extendantur, vt dixit Rota *decis. 95. lib. 1. in prima edit.* coram Puteo, quia intelliguntur semper esse concessa sine læsione saltem notabili alterius, etiam si hæc clausula non sit apposita *l. 2. §. si quis à Principe, & §. meritò, ff. ne quid in loco public. c. super eo, de offic. deleg.* & *c. pastoralis iuncta Glossa verbo contineantur, de priuileg.* Hinc Baldus *in l. 1. nu. 6. ff. de constit. Princ.* scripsit, præsumi non placere Principi, nisi quod verum, & iustum est, atque ità omnia rescripta intelligi debere cum iustitia: si Princeps aliquid dat, vel confirmat debet intelligi saluo iure tertij: Idem dixit Grat. *cons. 158. num. 28.* Bcłogn. *cons. 6. col. 9. & 10.* Iason *in d. l. 1. num. 3. & in l. quoties, §. 3. notabil. C. de precib. Imp. offer.* Socinus iun. *cons. 76. nu. 106. lib. 1. & cons. 1. num. 84. lib. 4.* Felinus *in c. causam quæ num. 5. de rescript.* Decius *cons. 271. num. 1.* Marsilius *singo. 440.* Curt. iun. *cons. 174. num. 21.* & Menochius *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 9. num. 4. & 5.* Quod etiam dictum fuit a Rota *decis. 351. num. 7. coram Card. Seraphino, & decis. 383. num. 2. coram Greg. XV.* Et confirmari tandem potest: quia priuilegium continens clausulas alieno iuri præiudiciales strictam recipit interpretationem, vt dixit Couaruuias *4. decret. p. 2. c. 8. §. 8. num. 9. & 11.* & etiam Rota *in vna Romana legitimationis 2. Decemb.* 1588. coram R. P. D. Comitulo, quam refert, & sequitur Giouagnonius *respons. 18. num. 82. lib. 2.* Debet tamen Iudex saltem, ex æquitate mitius cum hoc reo se habere, quam si absolutus non esset in foro conscientiæ, & iuxta casus

qualitatem potest, vel absolutionem admittere, vel pœnas dissimulare; Et hoc est, quod intendit Nauar. *in d. conf. 47. num. 4. & conf. 3. lib. 2. de fide instrumentorum*: atq; in hoc sensu licitum est extendere hanc absolutionem ad forum contentiosum.

5 Tertiò dico. Quando casus est talis qualitatis, vt ex absolutione excommunicationis prefatum magnum Iudicis, seu fori exterioris preiudicium non consurgat, tunc censeo cum tertia opinione extendi hanc absolutionem ad forum contentiosum; quia in hoc euentu nulla fit Iudici, seu iurisdictioni exteriori iniuria. Ità docet etiam Sot. *4. dist. 22. q. 2. art. 3. col. 5. vers. nomine vero*, dicens, nomine partis non intelligi Iudicem; Vndè si Episcopus cuilibet sub pœna excommunicationis late sententie preciperet, vt ad processionem iret, vel quidpiam aliud faceret, quod non fecit, potest iste talis per priuilegium Cruciatæ inconsulto Episcopo absolui, si tamen non perseueret in rebellione, & res iam transiuit. Hoc quoque confirmatum est ab Auila *de censur. p. 2. c. 7. disput. 3. dub. 12. vers. verum ab hac sententia* allegante Nauar. *lib. 5. conf. 23. num. 2. de pœnit. & remissione* dum ait, tunc huiusmodi absolutionem valere pro foro exteriori, & iudiciali, quando aliquis est excommunicatus à iure, vt puta ob Clerici percussionem, & res deducta est ad forum contentiosum, & lis finita; quia in hoc euentu nullum fit Iudici, aut sue iurisdictioni preiudicium. Et idem dicendum de alijs huiusmodi casibus, vt si quis ratione debiti ad instantiam creditoris excommunicatus fuerit, nam satisfacto creditore potest vi priuilegiorum absolui. Immo hec assertio habet locum, etiam si ex absolutione aliquod paruum Iudicis preiudicium oriatur; Quia, vt benè notant Rodriquez, & Miranda, liberum est Pontifici concedere priuilegium in fauorem animarum, vel alicuius pie cause cum paruo alterius preiudicio.

6 Ex dictis facilè colligitur, quando in hoc casu absolui potest, aut remitti debet nouitius ad Iudicem, quatenus de licentia eius absoluatur. Illud tandem memoriæ est mandandum, si causa nouitij deducta sit ad forum contentiosum, & adhuc pendeat lis, recipi non posse, vt alias dictum est. Idcirco via regia, & plana est, remittere eum ad Iudicem, quia certum est in hoc euentu absolutionem vi priuilegiorum collatam non extendi ad forum contentiosum

tiosum

tiosum. Immò à Doctoribus hæsitatur, an possit talis excommunicatus absolui quoad forum tantum conscientiæ, vt videre est apud Auilam *in loco citato dubio 10*. Suarez, & alij in prima opinione relati partem negatiuam sustinentes, vt visum fuit.

DVBIVM X.

Quid faciendum quoad satisfactionem parti læsæ præstandam.

SVMMARIVM.

1 *An satisfactio parti læsæ prestanda debeat precedere absolutionem.*
Qui Doctores videndi circa æquitatem satisfactionis prestandæ parti læsæ.
An confessarius credens promissioni, vel iuramento pænitentis peccet mortaliter, si eum absoluat ante exhibitam satisfactionem.
2 *Quando sit nulla absolutio data ante satisfactionem exhibitam parti læsæ.*
3 *An & quando possint absolui nominatim excommunicati, qui nequeunt satisfacere parti læsæ.*
4 *An absoluendus, vel remittendus sit in seculum Nouitius nominantim excommunicatus, vt satisfaciat parti læsæ.*

1 RESPONDEO duplici conclusione: Prima est, vt satisfactio absolutionem precedat. Quare cũ casus contigerit, confessarius consulat Doctores præsertim Vgolinum *de censur. tab. 1. c.19.§.6.* & Sayrũ *de censur. lib.2.c.18.* & iuxta læsionis, seu delicti, aut scandali qualitatem studeat fieri satisfactionẽ, sciatq; perspicuum esse, ipsum absoluentem nominatim excommunicatum ante exhibitam satisfactionem credendo simpliciter eius proposito, promissioni, aut iuramento lethali labe coinquinari, si pœnitens commodè prius ante absolutionem parti læsæ satisfacere possit. Ità Graff. *p.1.decis.lib.4.c.17.n.*5.& Suar.*tom.5 disp.7 sect.5 n.42.*
2 Quinimmò si priuilegium, cuius vigore absolutio impenditur, verbis significantibus exigat conditionẽ de præmittenda satisfactione

ne ante abſolutionem; nulla erit abſolutio. Ità Syluestr. *tit. excom. 7. n. 65.* Medina *in instr. confeſſ. l. 2. c. 12. verſ. l'assolutione vale*, Suarez *vbi ſupra*, Reginald. *lib. 9. num. 72.* & eſt communis ſententia Doctorum: ſecus verò ſi hanc non exprimat conditionem, vt benè docent Nauar. Suar. Reginald. & Vgolinus *de cenſur. tab. 1. c. 19. § 6. num. 5.*

3 Secunda concluſio. Cum nominatim excommunicatus impotens ad ſatisfaciendum parti propter eius inopiam, ſeu impotentiam abſolui poſſit virtute priuilegiorum, dando tamen cautionē, aut fideiuſſionem, ſeu iuramentum iuxta doctrinam Medinæ *vbi ſupra*, Nauar. *lib. 5. conſ. 47. num. 2. in fine de ſent. excom. in 2. edit.* Suarez *num. 41.* Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 6.* Manual. Prælat. *tom. 2. q. 35. art. 22.* & Cruz *de statu relig. lib. 2. c. 7. dub. 1.* contra Soto *4. diſt. 22. q. 3. art. 2. col. 5. verſ. prætereà*; & Gutier. *lib. 1. qq. canon. c. 5. num. 29.*

4 Hæc doctrina ſic in caſu noſtro intelligenda, & practicanda eſt: nimirum ſi ſatisfactio ſit parti facienda propter rei familiaris iacturam, tunc nouitius cum ipſa parte ſe gerere debet, perindè ac ſi haberet creditorem, vti in effectu eſt ipſius partis debitor. Vndè iuxta reſoluta *diſput. 2. dub. 13.* arceri debet à religionis ingreſſu, donec parti ſatisfaciat, dummodo arte, vel induſtria manendo in ſeculo breui tempore ſatisfacturus eſſe credatur: Secus verò ſi huiuſmodi ſpes non habeatur. Si verò ſatisfactio ſit facienda pro iniurijs illatis, regulariter loquendo dijudicatur ſatisfactionem præcedere debere omninò abſolutionem, niſi caſus contingeret, vt læſus in partes remotiſſimas migraſſet: tunc enim ſtante morali difficultate, ſeu impotentia propter maximam loci diſtantiam cenſeo iuramentum ſufficere, ſatisfaciendi ſcilicet, cum locus acciderit opportunus: æquitas enim ſuadet abſolutionem cum tàm magno ſpirituali detrimento nequaquam differendam eſſe. Idem cenſeo, ſi offenſus ſatisfactionem congruentem renuat, vt vexet excommunicatum, prout latè probat Rodriquez *tom. 1. q. 61. art. 8.*

Du-

DVBIVM XI.

Quid necessarium sit, vt absolutio in foro conscientiç obtenta constet in foro exteriori.

SVMMARIVM.

1 *Quid prosit excommunicato in foro externo absolutio in foro conscientiæ.*
2 *An Confessarius possit testificari de absolutione data sine facultate pœnitentis.*
3 *Quomodo debeat testificari Confessarius de absolutione data excommunicato.*
4 *An attestationi Confessarij plena fides adhibeatur in Iudicio.*
5 *Et maximè si non interueniāt testes, & manus Notarij publici in authenticatione eiusdem attestationis.*
6 *Vel si ipse Confessarius personaliter coram Iudice testaretur.*

1 RESPODEO, multum prodesse posse, si in foro externo constiterit de absolutione in foro conscientiæ obtenta; quia potest Iudex admittere absolutionem illam quoad forum contentiosum, ac reum tanquam absolutum audire, atque excusare ab alijs pœnis, quæ illi imputari possent per actus exercitos, si eos post censuram contractam absque absolutione exercuisset: & alia huiusmodi potest Iudex ei condonare. Dixi posse Iudicem hæc omnia remittere, quia in rigore non tenetur in aliquibus casibus admittere illam absolutionem ad hunc effectum, vt sit in foro cōtentioso à censura absolutus, nec tenetur liberare eum ab alijs pœnis, vt ennodatum fuit *dub. 9.*

2 Hoc prænotato sit conclusio. Si absolutio data fuerit intra sacramentum pœnitentiæ, necesse est, vt ex facultate eiusdem personæ absolutæ extra illud forum ad hunc effectum extendatur, vt colligitur ex Nauar. *c. 27. num. 42.* & expresè docet Suarez *tom. 5.*
3 *disput. 7. sect. 5. num. 26.* Idcirco idem Nauar. *lib. 2. cons. 3. num. 1. de fide instrumentorum in 2. edit.* docet, confessarium tradere debere

absoluto schedulam clausam, & signatam cum Notario, & testibus dicendo, se absoluisse illum confessum eo modo, & de eo, quod continetur in ea. Notarius verò in dorso eius scribat tali anno, mense, & die rogatum fuisse coram talibus testibus à tali confessario, & absoluto, vt eiusdem rei fidem faceret, ponatque

4 ibi signum suum publicum. Et quamuis Pegna *in direct. Inquisit. p. 2. in scholys ad Concil. Tarraconen. comment. 25. §. veruntamen* oppositum teneat, concludatque securius esse asserere cum Concilio Narbonensi ab eo relato, nempè *satis videri, quod credi non debeat confessori*. Nihilominus doctrina tradita est communiter recepta præsertim à Rodriquez *tom. 1. q. 61. art. 6. fin.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 35. art. 22.* & Suarez *in loco citato*, quam etiam docent Medina *in instruct. confess. lib. 2. c. 12. ad finem*, & Sorbus *in resolut. mater. absolut. §. quarta conclusio, f. 57. in 2. edit.* Nec testimonium illud Concilij Narbonensis mouere nos debet, vt benè inquit Suarez; tum quia nihil determinat, sed sub dubitatione loquitur: tum etiam quia prouinciale est; præterea quia nobis non constat quo sensu fuerit locutum.

5 Quinimmò notandum est, formam huius fidei à Nauarro traditam non censeri ità necessariam, quin si alia via sufficienter constet, schedulam esse à confessario scriptã, seu subscriptam, habeat eandem auctoritatem, vt colligitur ex Medina, & resoluit Rota *decis. 173. p. 3. lib. 3. diuer.* Quia hæc non est scriptura merè priuata, sed facta ab officiali ad id deputato super re, quæ spectat ad officium suum, & est scriptura saltem iusta, cui in hac re stan-

6 dum videtur. Immò si ipsemet confessarius adesset personaliter, & coram Iudice idem testificaretur, multo magis hæc attestatio sufficeret, prout notat Suarez, & ante illum scripsit Felinus *in c. veniens il 2. num. 21. & c. testimonium num. 35. de testibus*, & resolutum fuit à Rota *decis. 14. alias 163. de probat. coram Crescentio*.

DVBIVM XII.

An Regulares absoluentes excommunicatos teneantur obseruare cœremonias, quibus impendi solet talis absolutio.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium refertur concessum Minoribus de non seruandis solemnitatibus in absolutione ab excommunicatione in foro conscientiæ.*
2 *Absolutioni præmittendum est iuramentum ab excommunicato de obtemperando.*
3 *Et quid operetur tale iuramentum.*
4 *An præmittendum sit in absolutione à quacunq; excommunicatione.*
5 *An excommunicatus absoluendus sit antequam satisfaciat parti læsæ.*

1 RESPONDEO, referri in compend. priuileg. *tit. absolutio quoad seculares primò num. 13.* Leonem X. talem priuilegium concessisse. Minores videlicet, qui audiunt confessiones, absoluendo in foro conscientiæ excommunicatos, non teneri seruare formam, quę obseruatur in publicis absolutionibus, flagellationem scilicet cum Psalmo Miserere mei, &c.

2 Illud verò notandum, ne absoluant, antequam ab excommunicato accipiant iuramentum, vt constat ex *c. ex tenore, & ex c. de cætero, de sent. excom.* Ex sententia autem Doctorum, ex quibus plures commemorat Vgolinus *de censur. tab. 1. c. 19. §. 15. num. 1.* pœnitens iurare debet, se obtemperaturum mandato Ecclesiæ, seu illius, à quo absoluendus est, vt inquiunt D. Anton. *3. p. tit. 24. c. 77. §. 1.* Caietanus *in sum. tit. absolut. ab excom.* &
3 Syluest. *tit. absolutio 3. num. 3.* Cuius iuramenti virtute post absolutionem præcipi potest, & debet, vt notat Vgolinus *n. 2.* primò ne iuxta citatū caput *ex tenore* delictum, propter quod est excommunicatus, de cętero committat, nisi ipse penitens talis esset, qui facile in idem crimen prolaberetur; quia tunc oportet infirmitati ipsius consulere. Secundò præcipi potest, vt pœnam aliquam iu-

subeat, exempli gratia, vt ieiunet, aliquas preces recitet, vel eleemosynam elargiatur.

4 Admonent tamen D. Anton. Syluest. & Caiet. modò citati cũ Tabien. *tit. absolutio 3. num. 1.* Suarez *tom. 5. disput. 19. sect. 2. nu. 10.* & Toletus *lib. 1. c. 15. nu. 10.* memoratum iuramentum exigi, præstarique debere ab ijs tantùm, qui ob magna crimina in excommunicationes inciderunt, vt ab incendiarijs, Clericorum percussoribus, & huiusmodi alijs: quorum sententia seruari quidem potest, cum absolutio datur ab excommunicatione in foro interiori, vt benè inquit Reginald. *lib. 9. num. 60.* quia tũc maximè fides est pœnitenti adhibenda.

5 Illud præterea notandum, ne absoluatur excommunicatus, antequam parti læsæ satisfaciat, iuxta dicta *dub. 9.* Si verò non poterit, cogi debet ad debitam cautionem præstandam, vt pignora, vel fideiussionem. Quod si ad hæc etiam exhibenda impotens fuerit, saltem faciat confessarius eum iureiurando polliceri, se satisfacturum, mandatisque quàm primum obtemperaturum. Itâ D. Anton. Syluest. Caiet. Suarez *tom. 5. disput. 7. sect. 5. num. 41.* & Reginald. *num. 65.*

DVBIVM XIII.

An Professi Nouitijq; realiter Simoniaci in ordine, vel beneficio possint per Prælatos Regulares ab excommunicatione alijsq; pœnis, ob id crimen irretiti, absolui.

SVMMARIVM.

1 *Recensentur priuilegia, quorum virtute possunt Prælati Regulares absoluere Simoniacos.*

2 *An illis obstet Constitutio Sixti V. contra male promotos.*

3 *Variæ referuntur confirmationes Apostolicæ de priuilegijs Regularium.*

4 *Quid operetur confirmatio in forma communi.*

5 *Et quid confirmatio facta* ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis.

6 An

6 *An confirmatio dicatur* ex certa scientia, *vbi totus tenor non innotuit Papa, licèt apposita sit Clausula* ex certa scientia.

Præsumitur ignorantia eorum, quæ sunt facti.

7 *An per clausulas* quorum tenores *censeatur inserta, & narrata substantia omnium.*

8 *An per confirmationes* ex certa scientia *reconualidentur priuilegia reuocata ab aliquo Concilio generali.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Ex nonnullis priuilegijs, & præsertim ex concessione Clementis Quarti, vt habetur in compend. priuileg. *tit absolutio ordin. quoad fratres num. 4.* & ex aliis concessionibus a Rodriquez *relatis tom. 1. q. 20. art. 13.* liquidò constat, integrum esse Prælatis regularibus suos subditos professos, ac nouitios memoratis pœnis innodatos absoluere pos-
2 se, prout etiam loco citato benè probat idem Rodriquez. Et quãuis in calce articuli concludat ob *Sixti V.* Constitutionem contra malè promotos hac facultate præfatos Superiores nunc mini-
3 mè gaudere in absoluendis simoniacè ordinatis: attamen quia à Clemente Octauo anno 1597. *die 20. Decemb.* quadam Bulla incipiente *Ratio pastoralis* cõfirmata fuere ex certa scientia omnia Fratrum Minorum priuilegia, non excipiendo ea, quæ non sunt in vsu, sed tantummodo quę decretis Concilij Tridentini aduersantur, ac saluis quoq; decretis ab eodem Pontifice in fauorem Fratrum Reformatorum factis, seu concessis, liquidò patet, memoratos Prælatos nunc etiam posse prædictos absoluere, eò vel maximè, quia Paulus V. *anno 1609. die 1. Decemb.* quadam Bulla incipiente *Iniuncti nobis* omnes gratias, indulgentias, ac Fratrum Minorum priuilegia tàm pro foro conscientiæ, quàm pro foro externo innouauit, confirmauitque, prout innouata, confirmataq; fuere à memorato antecessore suo Clemente Octauo in citata Bulla *Ratio pastoralis.* Quæ quidem priuilegia confirmata fuerunt à dicto Paulo Quinto in ijs omnibus, in quibus non sunt contraria decretis Sacri Concilij Tridentini, ac Constitutionibus, literisq; Apostolicis, ac decretis Clementis Octaui, saluisque etiam decretis eiusdem Clementis in fauorem Reformatorum factis. Et tandem idem Paulus Quintus Bulla incipiente, *quantum religio Societatis Iesu, anno 1606. pridie nonas Septembris* eidem Societati confir-

mat

mat motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis omnia eius priuilegia, non excipiendo ea, quæ non sunt in vsu, saluis tamen literis piæ memoriæ Leonis Vndecimi super decimis emanatis: Hæc conclusio confirmata est à Crousers *lect.12. §.arbitror, in c.7. f.597. & lect.26. §.dixi virtute præfata concessionis in c.7.* vbi loquitur de nouitijs.

4 Quod autem vigore harum confirmationum Apostolicarum permaneant in suo robore prædicta priuilegia absoluendi, vel dispensandi simoniacos, probatur, nam licèt confirmatio, & innouatio priuilegiorum facta in forma communi nullum ius de nouo tribuat, parumque, aut nihil operetur, vt habetur in iure *c.1. & c. examinata, de confirmat. vtil. vel inutil.* sed solum vetus conseruat:

5 quod confirmatum est à Glossa in vtroque capite citato, & dictum fuit à Rota *decis. 192. num. 2 p.1. in recent.* Nihilominus quando facta est ex certa scientia non dicitur simplex confirmatio, vel innouatio, sed ampliatio, & noua cõcessio *c. si Apostolicæ, & ibi* Glossa *in verbo confirmamus, de preben. in sexto.* Quod confirmatum est à Doctoribus *in c.1. de confirm. vtil. vel inutil.* & præcipuè à Panorm. *ibi*, & Decio *à num.46.* Idem docent Ruin. *cons.31. num. 5. lib. 1.* Gozad. *cons. 62. num. 15.* & alij relati, & approbati a Giouagnon. *respons. 28. num. 24. lib. 2.* & dictum fuit à Rota *decis. 192. num. 2. p.1. in recent. & decis. 339. num. 3. p. 2. in recent.* Hinc per hanc confirmationem ex certa scientia restituitur priuilegium amissum per non vsum, vel per vsum contrarium, nisi contrariam limitationem adhibeat Pontifex: Immò restituitur priuilegium aliàs reuocatum. Ità colligitur apertè ex DD. & Rota modò citatis, & etiàm ex Berc. *cons. 7. num. 16.* Confect. *in collat. priuileg. per non vsum &c.* Giouagnon. *resp. 28. num. 24 & 34. ad finem lib. 2.* & expressius docetur à Rosella *tit. absolutio num. 123.* Rodriquez *tom. 1. q. 8. art. 4.* Cruz *de statu relig. lib. 2. c. 3. concl. 3. vers. tandem ista conclusio,* Suarez *de legib. lib. 8. c. 19.* Crousers vbi supra, & à P.F. Sigismundo à Bononia Capuccino nostro *in suo doctissimo tractatu de elect. dub. 76. num. 7.* vbi alios DD. refert.

6 Obijcies, confirmationem Papæ non posse verè dici ex certa scientia, licèt in ea posita sit hæc clausula, *ex certa scientia*, nisi totus tenor tunc Pontifici innotuerit, & insertus fuerit, vt tenent Ferret. *cons. 38. num. 5.* Decius *cons. 33. nu. 5.* Gozad. *cons. 9. n. 38.* & di-

& dictum fuit à Rota *decis. 381. num. 2. coram Seraph.* vbi testatur alias sic resolutum fuisse. Quare hæc clausula *ex certa scientia* non importat nouam priuilegiorum aliàs reuocatorum concessionem, nisi Pontifex habeat de illis plenam notitiam, vt requirit tex. *c. si Apostolicæ ibi, nosq; postmodum plena de his facta narratione, de præben. in sexto;* & notant Bald. *in l. fin. col. penult. vers. dico etiam,* quod illa *clausula, C. sent. rescind. non posse.* Alex. *cons. 23. nu. 12. lib. 5.* Castr. *cons. 84. in fin. lib. 2.* Decius *cons. 142. n. 7.* Gozad. *cōs. 5. n. 14. & 15.* & dictum fuit à Rota *decis. 606. nu. 7. p. 2. in recent.* Et tunc Pontifex dicitur non habere præfatā notitiam, quando in bulla confirmationis nulla fit de illis mētio; quia tunc præsumitur ignorantia eorū, quæ sunt facti *c. præsumitur de reg. iur. in sexto,* Glossa *in l. verùm, ff. de probat.* Parif. *cōs. 1. n. 13. lib. 4.* & dictum fuit à Rota *in decis. 606. modò citata n. 8.* Cum ergo in præfatis bullis, seu confirmationibus nulla fiat mentio horum priuilegiorū, & aliorum aliàs reuocatorum, non est asserendum, ea reconualidata esse, vt dictum est. 8

7 Huic obiectioni respondeo, in præfatis cōfirmationibus narratam, insertamq; esse substantiā ipsorum priuilegiorum. Et quamuis cū effectu de verbo ad verbum nō sint in ijs bullis expressa, attamen hoc idem importat illa clausula in eisdem cōfirmationibus apposita *illorum omniū tenores, & formas datas, effectus, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbū insererentur, & in his essent inserta præsentibus pro sufficienter expressis habētes dicta auctoritate Apostolica, &c.* Per hanc enim clausulam tollitur necessitas inserendi tenorem contrariorum, vt multis allegatis probāt Nauar. *in c. si quando except. 1. de rescript.* & Couarr. *in rub. de testam. p. 2. n. 18.* & colligitur nō obscurè ex Rota *decis. 606. n. 2. p. 1. in recent.* quia Princeps, seu Pontifex, qui est lex animata, potest fingere expressum, quod expressum non est, vt dixit Rota *decis. 291. n. 8. coram Card. Seraph.* Adijcio in ijs confirmationibus reperiri alias clausulas, per quas reconualidantur præfata priuilegia. Adiecta est enim clausula, *sublata quorum tenores, & decretum irritans,* quæ omnia ad rem nostrā maximè faciunt, vt videri potest apud Rotam *decis. 339. num. 3. p. 2. in recent.* Et reuera hæ clausulæ prægnantissimis verbis sunt adiectæ; Quia non solum apponitur decretum irritans, sed etiam derogatur amplissimis, insolitis, & efficacissimis clausulis quibuscunque constitutionibus Apostolicis, irritatiuis, annullatiuis,

cassatiuis, etiam priuilegiorum prædictorum reuocatiuis, restrictiuis, reseruatiuis, &c. Quare concludo, nullo modo vocari posse in dubium, quin supradicta regularium priuilegia, etiam aliàs reuocata, fuerint reconualidata per memoratas confirmationes.

8 Dixi supradicta regularium priuilegia, quia si fuissent priuilegia reuocata per aliquod Concilium generale secus etiam dicendum fuisset, quia hæc vi harum confirmationum non sunt reconualidata; nam ad ea restituenda necessariò fieri debet mentio talis reuocationis per clausulam non obstante reuocatione talis Concilij, vt docet Suarez *in loco citato num. 5.* & ex quampluribus allegatis latè probat Gutierez *in repet. l. nemo potest, ff. de legat. 1. num. 173.* & Marescottus *lib. 3. variar. resolut. c. 19. per totum.* Quod tamen intelligendum est de Concilijs generalibus, in quibus non est expressè reseruata auctoritas Sedis Apostolicæ, vt benè aduertit Marescottus *in loco citato, & lib. 2. c. 38. num. 40.* vbi refert, sic dixisse Rotam in vna Vlixbonen. decimarum coram Robusterio, & in vna Orlien. decimarum coram Orano. Quare hoc non procedit in derogatione Concilij Tridentini, eo quòd *sess. 25. c. 22. de reform.* fuit excepta, & reseruata semper auctoritas Sedis Apostolicæ in omnibus in eodem Concilio contentis; Et ideò derogatur eidem Tridentino clausula generali, *Non obstantibus constitutionibus Apostolicis &c. quorum tenores &c.* prout testatur ità obseruari in praxi Gonzalez *in reg. 8. cancell. Gloss. 6. num. 120.* Filliucius *tract. 16. num. 320.* quos refert, & sequitur Bonacina *de cens. disput. 2. q. 5. p. 2. num. 8.* Idem etiam docent Marescottus *lib. 1. c. 19. ad finem*, Marta *de clausul. p. 4. claus. 14. num. 3.* Et sic resolutum fuit à Rota *decis. 179. num. 6. & decis. 687. nu. 24. p. 2. in recent.* quidquid in contrarium nonnulli dicant.

DVBIVM XIIII.

An Religio peculiaribus priuilegijs, quibus Nouitij ab irregularitatibus dispensari possint, decoretur.

SVMMARIVM.

1 *Varia referuntur priuilegia, quorũ virtute possunt dispensari Nouitij ab irregularitate.*

2 *An ea extendantur ad dispensationem à Bigamia, & ab homicidio.*
Insolita non veniunt in generali concessione.

3 *An eis fruantur Nouitij, si propositum profitendi non habeant.*

4 *An apud Cappucinos Guardiani, vel Magistri Nouitiorum possint dispensare, sicut Generalis, & Prouincialis.*
Exceptio circa vnum posita firmat regulam in contrarium.

1 RESPONDEO affirmatiuè, vt est videre in compend. priuileg. *tit. absolutio ordin. quoad fratres num. 4. & 7.* nec non, & apud Rodriquez *tom. 1. q. 24. art. 15.* At inter alia extat illud magnum Sixti Quarti priuileginm relatũ in præfato Compend. *tit. absolutio extraordin. quoad fratres num. 5.* quo ipsis nouitijs conceditur per confessarium semel post ingressum dispensari posse in omnibus Irregularitatibus, homicidij voluntarij, & mutilationis membri exceptis. Gaudent præterea nouitij indulgentia, gratiaq; dispensationis facta vigore aliorum priuilegiorum professis per ea, quæ expedita sunt *dub.* 5. ita vt Superiores cum eis dispensare valeant perinde, ac si essent professi. Circa tamen præfatas concessiones tria notari debent.

2 Primum, quamuis in præfato Sixti Quarti priuilegio non excipiatur bigamia, hoc tamen dispensationis beneficio bigamum frui nequaquam posse vigore eiusdem priuilegij, vt in sequenti dubio enucleabitur. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt reseruata Principi *c. fin. de offic. Vic. in sexto*, Lucas de Pen. *in l. contra publicam, col. 5. ff. de re milit. lib. 12.* Rol. *conf. 1. num.*

147. *lib. 2*. Osasch. decis. Pedem. *29. num.* 5. Giouagnon. *respons. 95. num.* 3. *lib.* 1. & latè Rebuffus *in praxi benefic. tit. forma Vicarij Archiep. nu. 53. f. 41*. & docent expressè non extendi scilicet facultatem dispensandi generaliter super irregularitatibus ad bigamiam, & homicidium voluntarium, Nauar. *lib. 5. cons. 37. de homicid. & in 2. edit. cons. 1*. Viuald. *de irregular. num. 312*. qui testatur de stylo curiæ, cum quibus concordant Collect. priuileg. *tit. absolut. extraordin. quoad fratres num. 5*. Rodriquez *vbi supra, & tom. 2. q. 105. art. 1. fin.* Manual Prælat. *tom. 2. q. 8. art. 14. concl. 5*. Homobonus *de casib. reseru. p. 1. c. 5. §. 5. obseruandum f. 100*. & alij. Idem dicendum de quibusdam irregularitatibus, ex quibus scandalum, vel indecentia propter eorum enormitatem, vel notorietatē insurgit, vt ex dicendis in sequentibus dubijs perspicuum fiet.

3 Secundum. Memoratum priuilegium hac conditione nouitijs conceditur, vt propositum profitendi habeant. An verò non emittentes professionem in irregularitates, & censuras reincidant, discutietur infrà *dub. 25*.

4 Tertium. Licèt Generalis, & Prouinciales facultate dispensandi nouitios in irregularitatibus gaudeant, prout in sequentibus dubijs enodabitur: attamen inter nos Capuccinos neq; Guardianus, neque Magister nouitiorum, neque alius inferior dispensationis beneficium ipsis nouitijs irregularitatibus irretitis impertiri valet; Et est ratio, quia & si Generalis eandem, quam ipse habet super professos, auctoritatem absoluendi, dispensandique Guardianis, Magistrisque Nouitiorum indulgeat, quatenus possint eosdem nouitios in omnibus, sicuti & ipse professos, absoluere, & dispensare: arctatur tamen hæc auctoritas ad vsum tantummodo sacramentorum, vt dubio quarto visum fuit, & exceptio circa vnum posita firmat regulam in contrarium *l. qui libertatis, ff. de euic. can. domunus 32. q. 7*. latè Dynus *in rub. de reg. iur. in sexto, n. 1*. Bart. *in l. in his, & ibi DD. ff. de legibus*, & Dec. *in l. 1. nu. 30. ff. de reg. iur.* Cum ergo necessaria, vt plurimum non sit nouitijs Clericis dispensatio irregularitatis ob eundem sacramentorum vsum, patet, memoratos Guardianos, Magistrosue hac facultate vti minimè posse, nisi in casu præfatæ necessitatis: vtputa cum Sacerdote nouitio aliqua irregularitate innodato, dispensatio necessaria foret ad offerendum sacro sanctum Missæ sacrificium.

Quar-

Quartum. Quamuis corpore vitiati, infames, illiterati, alijque huiusmodi à religionis ingressu arceri debeant, vt in superioribus disputationibus expeditum fuit; nihilominus vt ea, quæ ad statũ nostrum in hac dispensationis materia desiderari possunt, explicentur, in sequentibus dubijs breuitate, ac dilucidatione possibili facultatem Prælatis regularibus vi priuilegiorum concessam ad memoratos dispensandos declarabo.

DVBIVM XV.

An virtute priuilegiorum Nouitij bigami dispensationis beneficio potiri valeant.

SVMMARIVM.

1 *Triplex genus bigamiæ.*
2 *An Prælati Regulares possint dispensare super bigamiam veram, & interpretatiuam quoad Ordines omnes.*
3 *An super bigamiam interpretatiuam ex delicto occulto prouenientem.*
4 *An super bigamiam similitudinariam.*

1 RESPONDEO, prænotandum esse, tria inueniri bigamię genera. Primum appellatur bigamiæ verę. Secundum interpretatiuæ. Tertiũ similitudinariæ. Vera bigamia contrahitur quando quis duplex legitimũ matrimonium init, vtrunq; consummãs. Interpretatiua, cum duplex matrimoniũ initur, & consummatur vtrunque, non tamen vtrunq; validum est, sed solum alterum, aut neutrum. Similitudinaria tandem contrahitur, cum Clericus in sacris constitutus, vel Religiosus professus matrimonium init, ac consummat etiã cum vnica, vel virgine, vel corrupta de quibus loquitur fusè, & doctè Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 83. 84. & 85.*

2 His præmissis sit prima conclusio. Prælati regulares nec ratione sui muneris, nec vi priuilegiorum dispensare possunt cum nouitijs, aut professis in bigamia vera, & interpretatiua, quatenus initientur ordinibus sacris, Subdiaconatus videlicet, Diaconatus, & Presbyteratus; quia talis dispẽsatio Papę reseruatur. Ita D. Thom.

4. dist.

4.dist.27.q.3.art.3.& est communis Doctorum sententia. Excipitur tamen bigamia interpretatiua consurgens ex delicto occulto, vt in sequenti conclusione dicetur.

Ampliatur hæc conclusio, vt præfati Prælati nequeant in memorata bigamia dispensare etiam quoad ordines minores. Quod probatur, nam sicut Episcopi non habent hanc facultatem, vt sumitur ex *c.vnico,de bigamis in sexto,* & ex Tridentino *sess.23.c.17. de reformat.* & expressè docent Lopez *in instruct. tom.2.p.2.c.22.* Toletus *lib.1.c.68.num.4.* Suarez *tom.5. disput.49.sect.6.num.4.* Bonacina *de censur.disp.7.q.2.p.5.num.15.*& Garcia *de benefic.p.7. c.6.num.14.* qui refert pro hac opinione Dominicam, Franchum, Albertum, Tortium, Villad. Lamb. Greg. Lop. Maiol.& Zauall. Ita nec ea gaudent Prælati religionum. Non ignoro D. Thomam *in loco citato*, & quamplures alios,quos refert, & sequitur Sanchez *lib.7.de matrim.disp.86.num.11.* tueri contrarium, loquentes præcipuè de potestate Episcopi:quæ quidem opinio ob tantorum Doctorum auctoritatem;qui eam amplectuntur;censetur probabilis: Nihilominus ab hac ampliatione non est recedendum, eò vel maximè quia anno 1589. die 30. Ianuar. ità censuit sacra Cardinalium Congregatio, & approbauit Sixtus Quintus, vt refert idem Garcia.

Contra hanc conclusionem scripsit Auila *de censur.p.7.disp.8. dub.4.concl.8.*allegans Henriq. *lib.2.de matrim.c.6.nu.11.in Glossa lit.Z.* qui volunt, religiosos dispensari posse in bigamia præfata nedum à Superioribus, sed etiam à quocunque confessario Ordinis ex concessione Sixti Quarti facta Minoribus, quæ habetur *in compend.priuileg. verbo absolut. extraordin. quoad fratres num.5.* quia conceditur tàm professis,quàm nouitijs, *vt quilibet eorum possit semel eligere confessarium de huiusmodi obseruantia, qui audita eius confessione pœnitentiam salutarem iniungendo absoluat eos &c. & dispenset cum eis in omnibus irregularitatibus, si quas fortè contraxerint, homicidio voluntario, & mutilatione semper exceptis.* Cum ergo hoc priuilegio excipiatur solummodo homicidium voluntarium, quæ irregularitas est omnium grauissima,& non excipiatur alia irregularitas, quæ sit facilioris dispensationis bigamiæ, sequitur super bigamiam vigore memorati priuilegij dispensare posse.

At contrarium iure optimo docent Collect. priuileg. mendicant.

cant. *in cōpend. in loco citato*, Rodriq. *p.* 1. *sum. cap.* 158. *conclus.* 7. & etiam Nauar. *lib.* 3. *cons.* 84. *num.* 1. *de regular. in* 2. *edit.* Quia in concessionibus Pontificijs semper excipitur bigamia, nisi singulariter explicetur; Et ideò in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus *c. in generali, de reg. iur. in sexto*, vt latè dictum fuit in superiori dubio *num.* 2.

3 Secunda conclusio. Quando bigamia interpretatiua ex delicto consurgit; sicuti tunc integrum erit Episcopis vigore Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reformat.* dispensare in ea, quando delictum erit occultum, vt sustinet Sanchez *vbi sup. num.* 12. Ità & Prælatis regularibus auctoritate quasi episcopali gaudentibus; quia vi saltem priuilegij Pij V. aliàs relati ea facultate cū suis subditis, qua Episcopi vigore eiusdem Concilij cum suis, gaudent.

4 Tertia conclusio. Memorati Prælati regulares auctoritate quasi episcopali gaudentes dispensare possunt cum nouitijs, ac professis sibi subditis super bigamia similitudinaria quoad ordines, & etiam professos quoad religionis prelaturas, modò hæc ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum insurgat. Patet hæc conclusio, quia sicuti Episcopi hac facultate potiuntur iure communi, vt habetur *in c.* 1. & 2. *qui cler. vel vou.* & etiam vigore Trident. *vbi sup.* vti docent Rodriq. *in sum. p.* 1. *c.* 158. *concl.* 7. *fin.* & Sanchez *vbi sup. num.* 23. citans Vegam *tom.* 1. *sum. c.* 38. *cas.* 1. *fin.* Ità eadem auctoritate gaudent de iure communi præfati Prelati iuxta Suarez *tom.* 5. *disp.* 49. *sect.* 6. *fin.* & Cruz *de statu relig. lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 17. *concl.* 1. eò vel maximè quia virtute priuilegiorum dispensare possunt in irregularitatibus. Et licèt in ijs excipiatur homicidium voluntarium, mutilatio membrorum, & bigamia: nihilominus per bigamiam excipitur solummodo bigamiæ veræ, & interpretatiuę dispensatio, non verò similitudinarię, vt inter alios notant Rodriq. *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 2. & Miranda *in Manual. Pralat. tom.* 2. *q.* 8. *art.* 2. *concl.* 3.

Du-

DVBIVM XVI.

An apud Prælatos Regulares resideat potestas, dispensandi cum eo, qui homicidium occultum ex delicto directè, & per se volitum perpetrarit.

SVMMARIVM.

1 *An Prælati Regulares possint dispensare super homicidium omninò occultum vigore Concil. Tridentini sess. 24. c. 6. de reform.*

2 *Vel vigore alicuius priuilegij.*

3 *An quoque possint dispensare super homicidium, quod est absolutè occultum, licèt sit probabile.*

4 *Quæ requirantur ad hoc; vt homicidium dicatur publicum.*

An si essent noti occisores, & publici, omnes essent irregulares, si non appareret, quis eorum inflexisset lethale vulnus.

Item an essent irregulares alij, qui quidem vulnerassent; sed appareret quis eorum mortale vulnus inflixisset.

Item an essent irregulares illi, qui armati spontè cum alijs exierunt ad occidendum, licèt non percussissent occisum.

5 *An Prælati Regulares possint dispensare super homicidium deductum ad forum contentiosum, quod in eo plenè probari non potest.*

6 *Maximè si non fuerit parti intimatum.*

7 *Vel iam fuerit à foro contentioso absolutus homicida, eò quòd falsis testibus se tutatus fuisset.*

8 *An Prælati Regulares possint dispensare super homicidium iudicio finito punitum.*

1 RESPONDEO, præmittendum esse; homicidium occultum dupliciter considerari posse. Primò quod nulla ratione in iudicio probari, neq; in notitiam hominis venire possit, nisi ex propria occisoris confessione. Secundò, quamuis non sit deductum ad forum contentiosum, posse tamẽ accusari, & deduci. His sic stantibus arbitratus est Couarr. *in Clement. si furiosus, de homic.*

p. 2.

p.2.§.3.num.4. alios referens pro sua opinione integrum esse Episcopis dispensare super irregularitate ex homicidio omninò occulto primo modo contracta; quam opinionem amplexati sunt etiam quoad Prælatos regulares auctoritate quasi Episcopali gaudentes Rodriquez *tom.1 p.24.art.11.* & Miranda *in Manual. Prælat.tom.2.q.8 art.10.concl.10.* At cùm Tridentinum *sess.24.c.6. de reformat.* dispensationem irregularitatis ex homicidio voluntario occulto consurgentis Episcopis non indulgeat, tenendum est, nullo modo posse, eos dispensare in irregularitate ex vtroque memorato homicidio occulto procedente; Quia cum præfatum Tridentinum excipiat irregularitatem ex homicidio voluntario consurgentem, exceptio debet esse de regula, vt latè Dynus *in rub. de reg.iur.in sexto num.5.* Bart. *in l.in his,* & ibi Doctores, *ff.de legibus,* & Decius *in l.1 num.30.ff de reg.iur.* Ità communiter DD. & præcipuè Nauar. *c.27. à nu.239.vers. quartò nota,* Sayrus *de censur. lib.7.c.7.num.9.* Suarez *tom.5. disp.44. sect.4. num.4. & per errorem num 35.* Toletus *lib.1.c.88.num.6.* Salcedus *in pract.crim.c.94.pag. 329.* Maiolus *de irregular.lib.5.c.48.* Lopez *p.2. instruct.c.93. circa medium* Henriquez *lib.14.c.19.§.1. in comment. lit. D.* Philiar *tom.1.p.1.lib.1.c.11.§.8.* Valentia *tom.4.disp.7.q.19.p.3.§.5.* & Arragon. *2.2.q.64 art.8.fin.*

2 His prænotatis sit prima conclusio. Superiores regulares non vi Tridẽtini, sed cuiusdam priuilegij Martini V. relati in compẽd. priuileg. *tit. dispensatio n.24.* facultate gaudent dispensandi in foro conscientiæ suos subditos super homicidio prædicto, modò nõ sit notorium propter scandalum. Aliud simile priuilegium concessum est Ordini Prędicatorum relatum in compend. Societatis Iesu *tit. dispens.* §. 1. & ità docent Corduba *in sua annotat. in cõpend. priuil. tit. dispensatio, vers. quoad, §.24.* Rodriquez *tom.1.q.24.art. 12.* Miranda *vbi supra,* & Cruz *de statu relig. lib.1.c.6. dub.19.* quicquid dicant Molina *tom.4.disp.70.n.12. circa mediũ,* & Sorbus *in resolut.mater.absolut.f 49. vers. benè tamen, in edit. brix.* qui in ambiguo versatur, an regulares propter illud, quod in Trident. *sess.14. c.7.de reformat.* decernitur, validè memorata facultate vti valeant; attamen nõ est cur de hoc dubitare debeamus; cũ in prędicto Concilij decreto non derogetur priuilegijs, quod maximè notandũ est. Nouitij quoque hoc gaudent priuilegio per ea, quę expedita sunt

dub. 5. & 12. Et ideò hi etiam dispensari possunt à Superioribus prædictis.

3 Secunda conclusio. Hæc concessio nedum ad homicidium occultum, quod à nemine scitur, sed etiam ad illud, quod absolutè dicitur occultum, etiam si sit probabile, extenditur. Et ità intelligunt citati DD. & colligitur ex *c. vestra, de cohabitat. Cleric.* & ex Nauar. *c. 27. num. 255.* Toleto *lib. 1. c. 85. num. 6.* Aulla *de censur. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 12. concl. 2. & p. 7. disput. 10. dub. 6.* Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 2. num. 2. & tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 37. num. 11. & lib. 8. disp. 34. num. 55. & in præcept. decal. lib. 2. c. 11. à num. 19.* & ex alijs loquentibus de huiusmodi facultatibus absoluendi, dispensandiq; in occultis.

4 Duo verò hic notanda sunt. Prius, vt homicidium dicatur publicum, non satis esse, vt actus occisionis, quæ est delictum, sit publicus: sed necessariò publicum esse debere mortuum ab aliquo occisum, trucidatumque fuisse. Sic tradunt in simili casu Nauar. *c. 27. num. 155. vers. duodecimo,* Emanuel Sa *tit. Irreg. opus num. 35.* Henriquez *lib. 14. de irregular. c. 20. num. 4.* Sayrus *de censur. lib. 7. c. 13. num. 13.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 166. num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 34. num. 56.* & Reginald. *lib. 39. num. 30.* Posterius, si homicidium extaret, vti modò dictum est, publicum, & adhuc occisor ignoraretur, tunc tale homicidium in casu nostro occultum dici, ita vt beneficium dispensationis vigore memorati priuilegij reus in religione obtinere possit. Ita Palud. *4. dist. 19. q. 4.* quem referunt, & sequuntur Syluest. *tit. correctio q. 8.* & Armilla *eodem tit. num. 8.* Idem sentiunt alij præsertim Graffius *p. 1. decis. lib. 1. c. 13. num. 43.* secus verò dicendum, si noti essent occisores, & publici, licèt non appareret quis eorum lethaliter vulnus inflixisset; quia in hoc casu omnes censerentur irregulares *can. fin. 23. q. 8.* Couarru. *in Clem. si furiosus, p. 2. §. 2. num. 5.* & Rota *decis. 44. num. 3. p. 1. in recent.* Immò licèt constaret cuius eorum inflixisset vulnus mortale, attamen essent etiam omnes irregulares, qui solum vulnerassent, quia inferens vulnus ei, cui propemodum erat moriturus, fit irregularis, vt habetur *in c. significasti il 2.* vbi communiter Canonistæ, *de homic.* & Rota *in decis. modò citata.* Adijcio censeri quoque irregularem eum, qui armatus spontè cum alijs exiuit ad perpetrandum homicidium, quamuis ipse non percussisset inuasum,

sum, & mortuum. Iti q. *sicut dignum in fine de homic.* Specul. *lib. 1. tit. de dispens. §. 4. num. 5. & 6.* & dictum fuit à Rota *decis. 260. num. 3. p. 1. & decis. 44. per totam p. 2. in recent.* Videndus est Bonac. *de censur. disp. 7. q. 4. p. 8. nu. 20.* qui pluribus allegatis de hac materia loquitur.

5 Tertia conclusio. Prelati regulares minimè dispensare possunt in memorata irregularitate, quando homicidium deductum est ad forum contentiosum per accusationem, aut denunciationem. Et hoc intelligitur, quamuis delictum in eo plenè probari non possit; Et est ratio, nam quemadmodum à Trident. *sess. 24. c. 6. de reformat.* in hoc euentu reputatur delictum sufficienter publicum, vt eius dispensatio Episcopis denegetur, vt sumitur ex eodem Trident. notaturque à Suarez *tom. 5. disput. 41. sect. 2. num. 6.* & Sanchez *num. 57.* Ità in casu nostro asserendum esse minimè dubito.

6 Hæc conclusio intelligi debet, vt scilicet vltra delationem delicti ad Iudicem sit parti intimatum; quia sæpè crimina multa deferuntur ad Iudicem, quæ tamen per multum temporis postea à Iudice non intimantur parti, vel propter defectum testium, vel propter aliam causam. Vnde licèt Prælatus eum absoluere non debeat, cuius crimen ad forum est delatum, sed expectare debet, si fortè probetur, si tamen post aliquod tempus sibi constiterit actorem in probatione non progredi iuxta doctrinam Glossæ *in verbo obrepsit, in can. tantis, dist. 81. & in c. omnipotens, de accusat.* Sayri *de censur. lib. 4. c. 17. n. 22.* Grassij *tom. 2. lib. 5. cons. 2. n. 26. de homicid.* & Sanchez *num. 58.* dispensare cum poterit.

7 Limitatur conclusio, vt locum non habeat in reo à foro contentioso absoluto, quia delictum non fuit probatum; Et est ratio, nã homicidium tunc remanet occultum, & redactum ad statum pristinum. Et ità loquentes de Tridentini decreto sustinent Viuald. *in Candelab. aureo, tit. de excom. nu. 42.* Grassius *p. 1. decis. lib. 1. c. 13. num. 44. & in consilio modò citato,* Sayrus *de censur. lib. 4. c. 27. nu. 23.* Suar. *tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 6.* Molina *de iust. tract. 3. disput. 79. num. 8. vers. 2. & 3.* Auila *de censur. p. 7. disput. 1. dub. 11. concl. 3.* & Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 34. num. 57.* Quæ limitatio locum habet, quamuis reus iniquè falsis testibus adductis se tutatus fuerit. Ità Sayrus *lib. 7. c. 7. num. 12.* Henriquez *lib. 14. de irregular.*

c.20.n.4. Emanuel Sà *tit. Episcopus n. 34.* Rodriq. *p. 1. sum. c. 167. n. 4.* & Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 37. n. 12. & lib. 8. disp. 34. num. 57.* Quod intelligitur, etiam si homicidium fuisset in iudicio probabile, vt colligitur ex citatis Doctoribus, qui sine distinctione loquuntur, ac docent remanere delictum occultum, quãdo reus à Iudice est absolutus; quod expressè notatur à Sanchez *in lib. 8. citato*, contra Suarez.

8 Quarta conclusio. Satis probabile dijudicatur, à Prælato regulari vi prefati priuilegij dispẽsationis beneficium impendi posse homicidæ, cuius delictum fuit deductum ad forum contentiosum, & iam iudicio facto punitum. Ratio est, quia memoratum priuilegium excipiendo delictum notorium propter scandalum, intendit primò, vt fori contentiosi auctoritas seruetur, quæ quidem in casu proposito nullo modo læditur. Secundò, vt scandalo prouideatur, cui sufficienter prouisum est; quia ex delicto non generatur scandalum, quando in iudicio sufficienti pœna punitur. Ità in simili casu loquentes de facultate à Tridentino concessa sustinent Auila *de censur. p. 7. disput. 10. dub. 7.* Sanchez *in precept. decal. lib. 2. c. 11. num. 21.* Henriquez *de irregular. lib. 14. c. 7. num. 5.* & Reginald. *lib. 30. num. 29. vers. sextum.* Contrarium verò tuentur Sayrus *de censur. lib. 4. c. 17. num. 23.* Gutierez *lib. 1. qq. canon. c. 3. fin.* & Rodriquez *p. 1. sum. c. 168. fin.* In praxi tutius est hanc posteriorem amplecti opinionem.

DVBIVM XVII.

An professi, nouitijq; irregularitate innodati consurgente ex mutilatione membrorum ex delicto per industriam voluntario dispensari queant in Religione.

SVMMARIVM.

1 *Quando procedat affirmatiua opinio circa titulum.*
2 *Et quando negatiua.*

Re-

1 RESPONDEO affirmatiue, dummodo delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Quod probatur, nam sicuti Episcopi auctoritate gaudentes dispensandi vi Tridentini *sess. 24. c. 6. de reformat.* in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto procedentibus, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario; possunt in memorata irregularitate dispensare, vt docent Henriq. *lib. 13. de irregul. c. 37. §. 1. litt. H. & lib. 14. c. 19. §. 1. litt. L.* Tolet *lib. 1. c. 88. num. 6. & c. 89. n. 3.* Rodriq. *tom. 1. q. 24. art. 10.* Molina *de iust. tract. 3. disp. 79. n. 8.* Reginald. *lib. 30. n. 91.* Mirãda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 11.* & Suarez *tom. 5. disp. 44. sect. 2. n. 4.* testificans sic sacram Cardinaliũ Congregationem censuisse. Ita Prælati regulares facultate quasi Episcopali gaudentes eandem habẽt auctoritatem cum suis subditis saltem ex cõcessione Pij V. relata in compend. priuileg. à Sorbo *in resolut. mater. absolut. in princ. f. 45. in edit. brix.* Eadẽ etiam auctoritate pollent vigore priuilegij Martini V. in dubio superiori relati.

2 Dixi modò delictum sit occultum, & ad forũ contentiosum non deductum; quia quando est publicum, vel ad præfatum forum deductum, superiores regulares in eo dispensare nequeunt. At quomodo hoc intelligi debeat, in superiori dubio enodatum est.

DVBIVM XVIII.

An in Religione tàm professi, quàm nouitij ab irregularitate ex homicidio, & mutilatione indirectè iniusta, aut ex defectu lenitatis contracta dispensari valeant.

SVMMARIVM.

1 *Quod dicatur homicidium iustum, & quod iniustum.*
2 *Quod homicidium voluntarium, & quod casuale.*
3 *Sensus quæstionis.*
Homicidium, & mutilatio quoad irregularitatem æquiparantur in iure.
4 *An Prælati Regulares possint dispensare super homicidium, vel mutilationem iustam.*

5 Item

5 *Item an super homicidium casuale, vel ad sui defensionem consurgens.*
6 *Et præsertim si sit deductum ad forum contentiosum.*

1 RESPONDEO pro huius dubij enodatione prænotãdum esse homicidium, ex quo iure canonico irregularitas contrahitur, esse in duplici differentia. Aliud dicitur homicidium iustum, ex quo contrahitur irregularitas ex defectu lenitatis absque vlla peccati labe, vt contrahit Iudex per sententiam mortis, & miles, qui in bello iusto occidit. Aliud verò appellatur homicidium iniustum, ex quo irregularitas cum peccati macula insurgit.
2 Quod quidem subdiuiditur in homicidium voluntarium, & casuale. Voluntarium est directè, & per se volitum. Casuale verò est indirectè, & per accidens volitum. At quia in proximis superioribus dubijs iam expeditum est quicquid Superiores regulares possunt super irregularitate procedente ex homicidio iniusto directè voluntario, in præsentiarum restat enucleare, an memorati Prælati facultate gaudeant dispensandi in irregularitate consurgente ex homicidio iusto, necnon & homicidio iniusto, & indire-
3 ctè, ac per accidens volito, idest ex homicidio casuali, & hoc est, quod petit dubium nostrum. Notandum est, quidquid de homicidio dicetur, pariter extendendum esse ad mutilationem, seu membri absciſſionem; quia homicidium, & mutilatio quoad irregularitatem in iure æquiparantur.

4 His prænotatis sit prima conclusio. Prælatis regularibus auctoritate quasi Episcopali gaudentibus integrum est, dispensationis beneficium impertiri subditis suis professis, ac nouitijs irregularitate ex homicidio, seu mutilatione iusta insurgente irretitis. Patet hæc conclusio ex nonnullis priuilegijs relatis in compend. priuileg. *tit. absolut. ordin. & extraordin. quoad fratres, & tit. dispensatio*, & præsertim ex priuilegio Sixti Quarti à Rodriquez relato *tom. 1. q. 24. art. 13.* Quorum vigore Generalis, & Prouinciales in omnibus irregularitatibus, exceptis ijs, quæ ex homicidio voluntario, bigamia, & membrorum mutilatione procedunt, dispensare possunt. Et quamuis à Doctoribus communiter sustineatur, Episcopos vi Tridentini facultate non gaudere dispensandi in hac irregularitate, vt est videre apud Nauar. *c. 27. num. 204. fin. & num. 217. fin.* & alios quamplures, quos refert, & sequitur Garcia *de benefic.*

nefic. p. 7. c. 11. num. 39. contra Rodriquez *in loco citato art. 8. & 9.* Memorata tamen facultas Superiorum regularium priuilegijs narratis sæpta, ac munita in ancipiti minimè versatur. Notandum verò licèt in citatis priuilegijs excipiatur dispensatio irregularitatis ex homicidio procedentis: hoc tamen intelligendum esse de homicidio voluntario, idest per se directè volito. Confirmatur hæc conclusio à Caiet. *in sum. tit. irregularit. fin.* Armilla *eodem tit. num. 13.* Nauar. *c. 27. num. 240.* Viuald. *in Candelab. aureo de irregularit. num. 327.* Rodriquez *art. 8.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 8. vers. sed quidquid sit,* & ab alijs à Garcia *num. 41.* relatis, quamuis ipse contrarium sustineat cum Vgolin. Arragon. & Bannes ab eo citatis.

5 Secunda conclusio. Prælati regulares vi Trident. *sess. 24. c. 6. de reformat.* facultate potiuntur dispensandi cum professo, vel nouitio irregularitate ex homicidio casuali, vel ad sui defensionem consurgente innodato, dummodo delictum sit occultum, & ad forum contentiosum non deductum. Patet hæc conclusio, nã quemadmodum Episcopis ex eodem Tridentino cõceditur facultas dispensandi in hac irregularitate, vti astruunt Medina *in instruct. confess. lib. 1. c. 11. §. 2.* Nauar. *c. 27. nu. 218. fin.* Henriquez *lib. 14. de irregular. c. 19. num. 3. lit. E.* Sayr. *de censur. lib. 7. c. 7. nu. 8.* Graffius *tom. 2. lib. 5. cons. 2. num. 19. de homicid.* Garcia *num. 12.* & alij. Ità eadem auctoritate ex indulto Pij V. alias relato gaudent præfati Prælati regulares. Quod confirmatur à Sayro *num. 24.* referente pro hac assertione Caietanum, Cordubam, Viualdum, Henriquez, & alios.

6 Ampliatur hæc conclusio à Rodriquez *art. 13.* vt ij Prælati regulares virtute priuilegiorum auctoritate gaudeant dispensandi nõ solum quando homicidium casuale est occultum, sed etiam quando est publicum. Cui extẽsioni libenter me subscribo, modò quoad nouitios auctor delicti nominatim non sit iuridicè ad forum contentiosum deductus; Quia pendente lite non est verisimile hanc dispensationem comprehendi sub regulariũ priuilegijs iuxta *reg. 81. iuris in sexto,* & per tradita à Suarez *tom. 5. disp. 7. sect. 2. ad num. 30.* ac tandem per ea, quæ dicta sunt *dub. 8. & 9.* Verum absolutus à Iudice veniens ad religionem ingrediendi causa à Prælatis regularibus dispensari potest iuxta expedita *dub. 14.*

Du-

DVBIVM XIX.

An Professi Nouitijque dispensari possint ex eo, quod censura Ecclesiastica irretiti diuina celebrarunt.

SVMMARIVM.

1 *Quibus Prelatis, & Confessarijs Regularibus concessum sit dispensare, vt in titulo.*

2 *An etiam dispensare possint, si prædicta irregularitas sit publica.*

3 *An etiam dispensare possint non subditos.*

1 RESPONDEO affirmatiuè: ità concessit Clemens Quartus, vt habetur in compend. priuileg. *tit. absolut. ordin. quoad fratres num. 7.* Et ideò pro comperto habetur vi huius priuilegij integrum esse Generali, Prouincialibus, eorumque Vicarijs, ac Custodibus in Prouincijs, Custodijsque sibi commissis Fratribus ibidem constitutis, necnon & alijs eiusdem Ordinis interdum ad eos declinantibus vndecunque dispensationis beneficium impendere super irregularitate contracta antequam, vel postquam Ordinem intrauerunt, ex eo, quod excommunicati, vel suspensi, vel interdicti celebrarunt, aut in locis interdicto suppositis diuina officia persoluerunt, vel sic ligati ordines susceperunt.

Concessit etiam idem Pontifex, vt Fratres, quos Generalis, Prouinciales, ac eorum Vicarij, & Custodes in proprios habuerunt confessarios, possint eis absolutionis, dispensationisque beneficium impertiri. Eandem concessionem habent Patres Prædicatores, seu Dominicani extensam ad Priores Conuentuales, quæ refertur in compend. *vbi supra*, necnon & à Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 1. & q. 24. art. 14.* Cruz *de statu relig. lib. 1. c. 6. dub. 16. concl. 2.* & à Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 14. concl. 5.*

2 Ad perfectiorem autem prædictorum intelligentiam duo notari oportet. Prius à præfatis Superioribus dispensari posse in memoratis

imoratis casibus, etiam si delictum sit publicum: ita intendunt citati Doctores. Quod verò limitandum censeo, prout in fine superioris dubij enucleatum est: idest modò delictum nouitij nō sit de-
2 ductum ad forum contentiosum; quia durante litis agitatione nō potest intra religionem dispensari.
3 Posterius; Quia Episcopi, Prelatiq; regulares vi Tridentini facultate tantūmodo dispensandi cum suis subditis fruuntur, perspicuum est, cùm hic cōcedatur eisdem Prelatis regularibus dispensatio cū Fratribus alterius Prouincię, seu Monasterij ad eos declinantibus, hanc esse singularem concessionē, maximiq; faciendam: quia alia concessio, quæ ad hospites extendatur, non reperitur, nisi ista.

DVBIVM XX.

An Superioribus Regularibus integrum sit dispensare cum professis, ac Nouitijs irregularitate ex corporis vitio irretitis.

SVMMARIVM.

1 *Qui sint corpore vitiati, qui neq; ab Episcopo, neq; à Pralato Regulari dispensari posśint.*
Quod scelus sit, sibi pudenda amputare.
2 *Quos corpore vitiatos non consueuit dispensare Summus Pontifex.*
3 *Quos corpore vitiatos posśint dispensare Episcopi, & Prælati Regulares.*
4 *Generalis regula dignoscendi quando posśint, & non posśint Prælati Regulares dispensare corpore vitiatos.*
Facilius dispensatur, vt quis in iam susceptis Ordinibus ministret.
5 *An omnis pœna, quæ specialiter non reseruatur Papæ, posśit remitti per Ordinarium.*
6 *An Prælati Regulares posśint dispensare corpore vitiatos vi iuris communis, an verò priuilegiorum.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima est. Si quis omninò careret membris, vt manibus, vel oculis, vel cruribus, quibus impotens ad celebrandum redderetur, certum est,

hunc neque ab Episcopo, neque à Religionis Prælato dispensari posse. Idem dicendum de eo, qui ità perdidit linguæ vsum, vt non possit se explicare: nec non & de eo, qui vna solummodo manu careret, ac etiam de habente talem in manibus deformitatem notabilem, vt nullo modo hostiam contrectare, vel frangere, vel in manibus tenere valeret. Idem censeo de eo, qui habet oculum effossum, vel erutum, licèt solũ in pupilla; vt dixit Rota *decis. 625. num. 1. coram Seraph.* Idem existimo de eo, qui oculo sinistro, qui dicitur oculus canonis, vel pollice, aut indice, vel naso careret: nec non & de eo, qui aliquo membro occulto, vel manifesto sua culpa abscisso careret, vt si pudenda sibi amputasset, vel si absque iusta causa amputari permisisset, etiam si id castitatis causa fecisset existimans se obsequium pręstare Deo. Tales enim sui ipsius homicidę dicuntur *can. si quis abscidit. & ibi Glossa in verbo homicida dist. 55.* Non quidem, quod tunc homicidæ facti sint, sed propter homicidij periculum, quod sequi poterat post sectionem, vt benè declarat Petrus Tolosanus à Sayro relatus *de censur. lib. 6. c. 7. num. 12.* Idem dicendum de Hermaphrodito, & de quocunque alio huiusmodi irregularitate obstricto, ex qua scandalum non leue euenturum dijudicaretur. In ijs quidem, & alijs huiusmodi irregularitatibus Prælati regulares dispensare nequeunt; quia iure communi iuxta veriorem opinionem earum dispensatio ad Pontificem maximum tantùm spectat. Ità Innocent. *in c. significauit, de corpor. vitiat.* Nauar. *c. 27. num. 200. fin.* Couarru. *in Clem. si furiosus, p. 1. in initio num. 7. de homic.* Suarez *tom. 5. disp. 51. sect. 2. fin.* Sayr. *de censur. lib. 6. c. 8. num. 26.* qui alios quamplures idem astruentes refert, & ità etiam non obscurè colligitur ex Rota *in decis. citata n. 5.*
2 Quinimmo Ioannes Steph. *de lite. gra. & iust. 2. p. f. 193.* quem refert, & sequitur Couarruuias, scribit, non consueuisse Romanum Pontificem dispensare circa vitium corporis, & eius irregularitatem, quoties deformitas tanta est, quæ scandalum maximum generet apud christianam plebem.

Prędicta conclusio probatur; nam quemadmodum Episcopi secundum probabiliorem opinionem in narratis irregularitatibus dispensare nequeunt: sic nec regulares Prælati. Et quamuis Religiones priuilegio gaudeant dispensandi in omnibus irregularitatibus exceptis illis, quæ ex bigamia, homicidio voluntario, &

mu-

mutilatione consurgunt: nihilominus in hac generali concessione non censetur concessa facultas dispensandi in prçfatis, ex quarum dispensatione scandalum processurum existimatur. Vndè quemadmodum dispensatio irregularitatis ex delicto insurgentis excipitur in priuilegijs, quoties delictum est publicum propter scandalum: ita astruendum est excipi in ijsdem priuilegijs dispensationem vitij corporis procedentis tàm ex delicto, quàm sine eo, quotiescunq; ex ea scandalum ob magnam vitij corporis deformitatē indecentiamq; consurgere meritò dijudicatur. Confirmatur amplius, nam sub generali concessione nō veniunt reseruata Pontifici, seu Principi, idest insolita concedi *c. fin. de offic. Vic. in sexto, & reg. 81. iuris in sexto*, quod ex multis probat Rebuffus *in praxi benefic. verbo forma Vicarij Archiepisc. num. 53. f. 41.* & confirmatum est à Luca de Pen. *in l. contra publicā, col. 5. ff. de re milit. lib. 12.* Rol. *cons. 1. num. 147. lib. 2.* Osasch. *decis. Pedem. 29. num. 5.* quos allegat, & approbat Giouagnon. *respons. 95. num. 3. lib. 2.* & ita in propriis terminis tenent Henriquez *tom. 1. q. 24. art. 3.* & Miranda *in Manual. Pralat. tom. 2. q. 8. art. 3. 4. & 5.* enumerantes aliquos ex prçfatis casibus, in quibus cum nostra opinione conueniunt.

3 Secunda conclusio. Prçlatis regularibus auctoritate quasi Episcopali gaudentibus integrum est dispensare cum suis subditis in irregularitate ex vitio corporis procedente, dummodo vitium nō sit tàm fædum, aut turpe, vt ex eo scandalum oriri rationabiliter formidetur. Hinc Rodriquez, Miranda *in art. 3. concl. 3.* & Cruz *de Statu relig. lib. 1. c. 6. dub. 17. concl. 2.* inferunt, à præfatis Prælatis dispensari posse religiosum habentem aliquod membrum occultum, seu manifestum non sua culpa abscissum, cessante tamen homicidij præsumptione, vt si manus digito careret, modò non sit pollex, aut si oculum dextrum non haberet, non verò sinistrum. Quam quidem illationem censeo esse intelligendam, vt iste religiosus dispensari possit in vitijs albuginum, & macularum eiusdē oculi dextri, non autem in vitio effusionis, vel in alio huiusmodi magnam deformitatem inducente. Existimant etiam DD. modò citati posse dispensari in religione claustralem, quatenus cum pede ligneo celebrare valeat: Cum quibus concordant Astens. p. 2. lib. 6. tit. 21. q. 2. Rosella *tit. vitiatus corpore num. 2. post medium*, & Syluest. *de corp. vitiat. in fine*, qui de mente Hostiens. ab eis relati

docent, Episcopum dispensare posse regularem, quatenus cum dicto pede ligneo celebrare possit. Hæc tamen dispensatio condemnatur à Sayro *de censur. lib. 6. c. 8. in fin.* neq; ego approbo eam tutam; nam dici nequaquam potest, pedē non esse membrum principale. Cum ergo requiratur omninò dispēsatio Papę in mutilationibus membrorum principaliū, vt resolutum fuit à Rota *in decis. citata n. 5.* minimè hęsito, hanc dispensationem spectare tantū ad Papam. Accipe igitur hanc regulam, quemadmodū in leuibus vitijs, & debilitationibus non requiritur necessariò dispensatio Papę, vt
4 dixit Rota: Ità in ijs irregularitatibus posse Prælatos regulares dispensare. Et è contrario quemadmodum in vitijs ex mutilatione membrorum principaliū requiritur dispensatio Papæ, vt dixit eadem Rota; Ità in ijs irregularitatibus non posse pręfatos Prælatos dispensare, & maximè quoad susceptionem ordinum; Quod ideò dico, quia facilius permittitur dispēsatio, vt quis in iam susceptis ordinibus ministret: Et ità procedit tex. *in c. 1. & 2. de corp. vitiat. & can. quicunq; dist. 50.* vt dixit eadem Rota. Dixi in mutilatione membrorum principalium, quia censeo vi priuilegiorum concessam esse dispensationem super mutilatione membrorum non tam principalium.
5 Probatur hęc conclusio à Rodriquez, & alijs modò citatis; quia sicut potest Episcopus in ijs casibus dispensare; sic Prouincialis cū regulari; nā omnis pœna, quæ specialiter non reseruatur Papę, per Ordinarium remitti potest, nisi notabilis indecentia interueniat, aut magnum oriatur scandalū. At hæc ratio non placet; nam integrū non est Episcopis in pœnis legis Pontificię dispensare, nisi eis à Papa concedatur, vt Deo ducente in cap. 10. Regulæ nostræ, vbi erit sermo de dispensatione, rationibus, auctoritateq; quampluriū
6 Doctorum probabo. Quare germana ratio est, vt ij Prælati non vi iuris communis, sed priuilegiorum hac facultate fruantur. Cum enim concedatur eis auctoritas dispēsandi in omnibus irregularitatibus, exceptis illis, quæ ex bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione oriūtur, liquidò patet sub ijs priuilegijs hanc dispensationem contineri; quia exceptio firmat regulam in contrarium *l. qui libertatis, ff. de exic. & can. dominus 32. q. 7.* eò vel maximè quia hic non agitur de dispensatione, quæ ob magnam deformitatem, vel scandalum sub generali concessione comprehendi nequeat.

Du-

DVBIVM XXI.

An Prælati Regulares facultate gaudeant dispensandi Professos, ac Nouitios super irregularitate ex morbo consurgente.

SVMMARIVM.

1 Qui morbus de iure naturali, & qui de iure canonico impediat susceptionem, vel vsum Ordinum.

2 Qui morbus inducat irregularitatem, & in dubio cuius arbitrio dijudicandum relinquatur.

3 An morbus gallicus inducat irregularitatem?

An lepra, vel nimia scabies.

An pestis.

An tussis.

4 An morbus caducus.

An amentia, vel furor.

An obsessio Dæmonum.

5 An morbo caduco laborantes, amentes, vel obsessi à Dæmone possint dispensari à suis Prælatis, vt in iam susceptis Ordinibus ministrent.

An vt promoueantur ad Ordines.

6 An in alijs infirmitatibus tribus prędictis exceptis, possint dispẽsare Prælati Regulares.

An possint dispensare qui manus tremulas habent, vel chiragram, vt in iam suscepto Præsbyteratu ministrent.

1 RESPONDEO pro enodatione huius dubij prænotandũ esse primò. Quãdo morbus est talis conditionis, vt ineptitudinẽ, vel impossibilitatẽ inducat ad susceptionem, vel ad moralẽ ordinũ vsum, tũc certè hoc morbo laborãs non lege canonica, sed naturali impeditus est ad ordines; Vndè talis morbus non pertinet propriè ad irregularitatẽ, quia reddit hominẽ prorsus inhabilem ad susceptionẽ, vel vsum ordinum, vt si quis careret mẽbris necessariis ad ministeria ordinis, in quo impedimento nec Papa dispẽsare ualet.

Si

Si verò morbus sit talis conditionis, vt nō reddat hominem omninò incapacem suscipiendi, vel vtendi ordine, seu ordinibus, sed reddat illum aliquo modo ineptum, quominus decenter, & dignè ordinari, seu vti possit ordine: tunc quia talis morbus ex se non est sufficiens reddendi prorsus illicitam susceptionem, & vsum ordinum, iure canonico statuitur, hunc morbum inducere irregularitatem.

2 Secundò. Morbus non inducit irregularitatem, nisi sit talis, vt inferat debilitatem virium, aut grauem deformitatem perpetuam, & moraliter incurabilem in vsu Ordinū. Ità colligitur ex D. Tho. *p. 3. q. 82. art. vlt. ad tertium*, & docetur expressius à Sayro *de censur. lib. 6. c. 9. num. 2.* & Suarez referente alios Doctores *tom. 5. disp. 51. sect. 2. num. 17.* Imò nō ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur, vt morbus censeatur incurabilis. Non enim quilibet morbus inducit statim irregularitatem, nam ille, qui curari potest, simpliciter non appellatur corporis vitium in iure *l. inter stuprum, ff. de verbor. signific.* Hinc est, non induci hanc irregularitatem propter solum morbum, sed per deformitatem, vel impedimētum perpetuum: Licèt infirmus in actu morbi actuali impedimento laboret, quandiu morbus durat: Quod quidem impedimentum est potius facti, quàm iuris, dummodo actu, vel deformitatem, vel periculum in vsu Ordinis non afferat, quia tunc impedimentum censetur canonicum, quandiu durat, idest infirmus dicitur irregularis quousq; cessat, vel deformitas, vel periculum.

3 Hæc exemplis dilucidantur; Nam laborans morbo gallico est irregularis, si foris appareat, generetq; horrorem, seu scandalum, vt sumitur ex *c. 2. de Clerico ægrot.* Ità Vgolin. *de irregular. c. 55. §. 2.* & Auila *p. 7. disp. 7. dub. 3. concl. 1.* Lepra, vel multa scabies nimiam afferens deformitatem, aut manuū vsum impediens inducit irregularitatem quandiu ipsa durat *c. tua nos, de Clerico ægrotan.* Vnde talis Sacerdos non potest celebrare saltem in loco publico, vt inquiunt D. Thom. *in 4. dist. 9. art. 4. q. 3. ad tertium, & in 3. p. q. 2. art. vlt. ad tertium*, Maiol. *de irregular. lib. 2. c. 18.* Molina *tom. 4. disput. 70. n. 11.* Vgolin *c. 55. §. 1. & 2.* & idem sentiunt de phthisi, Reginald. *lib. 30. num. 56. & 57.* & Vgolin. §. 3. Item pestis inducit irregularitatem propter periculum infectionis aliorum, licèt cessata peste, cesset quoq; irregularitas, vt scribūt Vgolin. §. 3. n. 3.

& Maiolus c.20. Idem dicendū de tussi habente periculum coniunctum in suscipienda Eucharistia. Ita Vgolin. & Maiol. modò citati. Hi igitur, & alij huiusmodi morbi inducunt irregularitatem, & quando uertitur in dubium, an infirmitas sit talis, vt per eam inducatur irregularitas, relinquitur hoc iudicium Episcopo, vt benè scripsit Couarru. *in Clem. si furiosus, p.1. in princ. nu.5. vers. prior regula*, qui testatur de communi; Et quoad regulares infirmos hoc iudicium spectat ad suum Superiorem iurisdictione quasi Episcopali gaudentem, vt docent Angel. *tit. corpor. vitiatus nu.5.* Tabien. *num.2.* & Suarez *in loco citato num.16.* quicquid dicant Syluest. *de corpore vitiat. num.2. in fine*, Rodriquez *tom.1. q.24. art.4.* & alij. Qui tamen intelligendi sunt, liberum esse Episcopo, qui daturus est ordines, admittere, vel reijcere tale arbitrium factum à præfato religionis Prælato, vt notat Suarez.

4 Tertiò, Morbus caducus inducit irregularitatem *can. Maritum, & can. communiter dist. 33.* & est sententia communis Doctorum, vt testatur Vgolin. *c.54. §.1.* Item Amentes, & furiosi sunt irregulares propter periculum scandali, & noui lapsus in amentiam *can. Maritum*. Quod intelligendum est, dummodo furor, amentia, & mentis alienatio sit frequens, procedens scilicet ex læsione permanente organi sensuum; Idcirco si rarò, vel ex causa transeunte contingat, puta ex ui morbi, vulneris, iræ, uel passionis breuis, sublata amentia, uel furore cessat quoque irregularitas, ità communiter Doctores. Obsessus etiam a Dæmone est irregularis *can. Clerici, & can. Maritum dist. 33.* licèt maleficiatus in solis genitalibus non sit irregularis, eo quòd ob eam causam castior fit. Ità Maiol. & Henriquez quos refert, & approbat Sayr. *de censur. lib. 6. c.3. num.14. in fine*. Hic notandum, hanc irregularitatem obsessi à Dæmone, amentis, seu furiosi, & etiam eius, qui patitur morbum caducum esse perpetuam. Quod ideò dico, quia cessante hoc impedimento, non cessat irregularitas, ut docent Molina *num.12.* & Suarez *sect.1. num.4.5.6. & 7.* Ità etiam tenent loquentes de obsessu à Dæmone quamplures DD. quos refert, & sequitur Sayr. *in loco modò citato*, & habetur expresse *in d. can. Maritum.* Idem docent de furioso, & amente Nauar. *c.27. num.203.* Auila *vbi supra*, & alij; quod expresse habetur *in d. can. Maritum*. Et tandem idem tenent Nauar. Sayr. *num.11.* & quamplures alij loquentes de iis, qui-

qui morbum caducum patiuntur. Dixi horum irregularitatem esse perpetuam, quod intelligendum est quoad ordines suscipiendos, ut ex omnibus ferè Doctoribus modò citatis, & aliis statim citandis non obscurè colligitur; sed expressius docetur à Suarez *num.* 4. secus uerò quoad usum ordinum, quia non uidetur esse perpetua.

5 His prænotatis sit prima conclusio. Regulares iam ad Ordines promoti, qui ratione morbi caduci, uel amentiæ, aut uexationis diabolicæ sunt irregulares, si constiterit eos esse prorsus sanos, ac per tempus diuturnum in sanitate confirmatos, possunt dispensari ab hac irregularitate quoad usum Ordinum à suo Prælato iurisdictionem quasi Episcopalem habente. Hæc conclusio probatur; nam quemadmodum Episcopus in hoc casu dispensare potest, ut expresse docet Syluest. *tit. corpor. vitiat. q. 8*. Angel. *num. 8*. Tabien. *q. 3*. Rosella *tit. vitiatus corpore num. 3*. Suarez *sect. 1 num. 5*. & Bonacina *de censur. disp. 7. q. 2. p. 2. n. 23. in fine*, qui refert Filliucium, Reginald. Coninck. & alios. Ità Superior religionis potest suos subditos habilitare. Duo hic sunt notanda. Prius, hanc dispensationem esse potius iustam declarationem, quàm gratiosam dispensationem; quia hæc irregularitas quoad usum Ordinum non est simpliciter perpetua, sed durante causa, & ea cessante, cessat quoq; irregularitas absque ulla dispensatione. Posterius. Quamuis in iure *can. communiter dist. 33*. statuatur tempus unius anni ad probandum, an tales sint in sanitate confirmati, nihilominus testatur Sayr. *num. 12*. esse communem opinionem Doctorum, hoc tempus esse arbitrarium pensatis qualitatibus morbi personę, &c. Episcopus tamen, & Prælatus regularis debent iuxta eundẽ Sayr. iudicium Medicorum inquirere, & amplecti.

6 Quò uerò ad promouendos ad Ordines hos amentes, obsessos à Dæmone, & patientes morbum caducum est communis Doctorum sententia, cum hæc irregularitas sit perpetua, integrum non esse Episcopis, neq; aliis inferioribus Papæ dispẽsare in ea; Et hoc intelligitur etiam si sint liberati. Censeo tamen pręfatos Prælatos regulares hac facultate ui priuilegiorum frui, cum constiterit per tempus diuturnum, religiosum infirmum esse in sanitate confirmatum, ut dictum est; Et ita tenet Molina *tom. 4. q. 70. num. 12*. & etiam Auila *p. 7. disp. 7. dub. 4. in fine*. Ducor, quia cum priuilegia con-

concedant habilitationem, seu dispensationem ab omni irregularitate, excepta ea, quæ procedit ex homicidio voluntario, mutilatione, & bigamia, patet sub ijs priuilegijs comprehendi hanc irregularitatem: tum quia exceptio firmat regulam in contrarium *l. qui libertatis, ff. de euit. can. dominus 32. q. 7.* tum etiam quia supposito infirmum esse in sanitate benè confirmatum, cessat in hac dispensatione ratio scandali, per quod poterat esse illicita hæc dispensatio, vt in superioribus dubijs visum est.

6 Secunda conclusio. Quoad alias irregularitates, quæ ex alijs infirmitatibus exceptis tribus narratis consurgunt, dico primò, sublata infirmitate, vel deformitate, aut virium debilitate, cessare quoq; absque alia dispensatione irregularitatem, vt dictum est in secundo notando. Exempli gratia, si in eo, qui laborat morbo gallico, cessent vulnera, vel notabilis deformitas, seu scandalum, & inhabilitas ad vsum ordinum, cessat quoq; irregularitas, quamuis cruciatus interni perseuerent. Secundò dico, manente morbo cum deformitate, vel debilitate virium iure communi non posse Episcopos in hac irregularitate dispensare, quia ad solum Papam hoc spectat. Ita Innocent. & alij relati dubio superiori in prima conclusione. Quare eodem prorsus modo illicitum est Prælatis regularibus dispensare in ijs, ex quarum dispensatione scādalum processurum esse rationabiliter existimatur. In alijs verò, ex quibus hoc scandalum oriturum meritò non timetur, licita erit dispensatio. Quæ omnia latè probata fuerunt in superiori dubio. Ex quo sequitur, in religione dispensari posse ad offerendum Missæ sacrificium, & maximè in occulto, Sacerdotem, qui ob manus tremulas, vel ob chiragram, vel ob aliud huiusmodi impedimentum laborat aliqua inhabilitate obseruandi omnes cœremonias in celebratione Missæ consuetas, dummodo hæc impotentia non sit tanta, vt ex ea graue oriatur scandalum, & dispensatus possit sine periculo explere ministerium, & maximè sine effusione sanguinis, si habet manus tremulas.

Ex dictis elicitur, in quibus irregularitatibus ex morbo procedentibus dispensari possint nouitij, licèt ijs impedimentis irretiti, vt plurimum non sint admittendi, vt alias dictum fuit.

DVBIVM XXII.

An apud Prelatos Regulares resideat auctoritas dispensandi super irregularitate ex macula infamiæ consuegente.

SVMMARIVM.

1 Duplex infamia.
2 Pro quibus delictis inducatur infamia iuris.
3 An infamia iuris ciuilis distinguatur ab infamia iuris canonici.
4 An infamia iuris incurratur absque proprio delicto.
An filij eorum, qui manus violentas in Cardinales inijciunt, infames sint.
Item an filij eorum, qui perpetrarunt crimen lesę maiestatis.
5 An ad incurrendam infamiam iuris requiratur sententia diffinitiua.
6 An infamia facti debeat esse legalis.
7 Nunquam incurritur irregularitas, nisi exprimatur in iure.
8 An impedimentum, quod absque dispensatione tollitur, & potest cessare facto, dicatur irregularitas.
9 Quis efficiatur infamis infamia facti legalis.
10 An infamia facti non legalis inducat irregularitatē propriè, & strictè.
11 An inhabilitet hominem ad officia, & dignitates.
12 An pœna infamiæ incurratur ante latam Iudicis sententiam, quādo lex eam imponit ipso iure, ipso facto. Triplex opinio.
13 An Prælati Regulares possint dispensare cum publico infami infamia iuris.
Item an Princeps, vel Iudex, qui eam inflixit.
Quis dispenset in infamia iuris canonici.
14 An Prælati Regulares possint dispensare cum religioso iuridicè condemnato de crimine nefando.
An cum eo, qui ratione Simonię in Ordine, vel beneficio contracta incurrit in pœnam infamię.
An infamiæ pœna incurratur ex quocunque peccato Simoniæ.
15 An Prælati Regulares possint dispensare super infamiam censurgentem.

ex delictis, in quibus ijdem Prælati dispensare possunt.

Et præsertim si tale delictum deductum esset ad forum contentiosum.

16 *An possint dispensare super quamcunque infamiam iuris ex delicto occulto consurgentem.*

17 *Maximè si consurgat ex crimine hæresis.*

18 *An infamia facti possit aboleri per pænitentiam.*

An per Prælatos Regulares.

19 *Et præsertim si delictum propter quod ipsa incurritur, sit deductum ad forum contentiosum.*

1 RESPONDEO pro huius quęsiti enodatione pręnotanda esse aliqua. Primò principaliter, duplicem esse infamiam: vnam iuris, alteram facti. Et vt sermonē de iuris infamia primùm aggrediar, dico quatuor.

2 Primò, eam non induci nisi pro delictis, quę notantur infamia in lege ciuili *l. 1. ff. de his, qui notantur infamia,* vel in lege canonica *can. infames, §. porrò 3. q. 7.* aut in alia lege, seu statuto in alijs casibus huiusmodi infamię pœnam irrogante. Ità Iason *in l. cunctos populos in 2. lectur. num. 44. C. de sum. Trinit.* & communiter Doctores.

3 Secūdò, quamuis infamia iuris ciuilis per se distincta sit ab infamia iuris canonici: nihilominus dicendum esse, iuris ciuilis infamiam esse etiam infamiam canonicam, vt notauit Innocent. *in c. qualiter & quando, de accusat.* & sumitur clarè *ex can. omnes verò, 6. q. 1.* Quod intelligendum est, nisi ius ipsum canonicum talem infamiam abstulerit, vt inquiunt communiter Doctores.

4 Tertiò, aliquando hanc iuris infamiam absque proprio delicto induci, vt patet in filijs eorum, qui manus violentas in Cardinales Ecclesiæ Romanæ iniecerunt; nam ipso iure infames efficiuntur *c. fœlicis, vers. quod si quis, de pœnis in sexto.* Nec non, & in filijs proditorum perpetrantium læsæ Maiestatis crimen: ij enim filij iure ciuili afficiuntur infamia *l. quis quis, §. filius, C. ad leg. Iul. Maiest.*

5 Quartò ad incurrendam præfatā iuris infamiam necessariò requiri sententiam definitiuam, qua quis damnatur aliquo ex ijs delictis, quæ in iure vel ciuili, vel canonico notantur infamia: vel saltem, vt reus infamiæ pœna per sententiam Iudicis puniatur.

 Ità

Ità Suarez *tom. 5. disp. 48. sect. 1. num. 8. & 9.* Filliucius *tom. 1. tract. 10. & 11. de censur. c. 8. num. 206.* & Farinacius *de testib. lib. 2. q. 56. num. 5. & 18.* qui citat Innocent. Bald. Viu. & Mascardum. Incurritur etiam infamia iuris per confessionem rei in legitimo iudicio, quando delictum est tale, vt per illud in iure inferatur infamia ipso facto. Talis enim confessio efficit, vt delictum sit notorium publicumq; iuris publicitate. Ità sumitur clarè ex Nauar. *c. 25. n. 73.* & docent expressius Syluestr. *tit infamia num. 12. fin.* & Filliucius *num. 212.* Si verò lex criminis, ac rei sententiam requirat, tunc talis reus appellatur infamis infamia facti, prout colligitur ex Syluest. de mente Bartoli, & Abbatis, & notatur expressè à Filliucio *num. 214.*

6 Secundò principaliter notandum est, circa facti infamiam (de qua hic est sermo, de illa scilicet, quæ irregularitatem infert) nedum infamiam iuris, sed etiam facti esse debere legalem, idest vt in aliqua lege fundetur, statuente quodnam crimen ad infamiam sufficiat: quamuis contrarium ex multis probant Dynus *in reg. 87. iuris in sexto,* Farinacius *num. 6.* & quamplures alij docentes eam contrahi quoties alicuius fama apud multos graues, & bonos viros de aliquo crimine grauatur. At assertio nostra sumitur ex *c. vlt. de temp. ordin.* & eam tenent expressè Suarez *à num. 11.* Coninck *de Sacram. & censur. disput. 18. dub. 7. num. 57.* Filliucius *num. 204.* & alij apud Bonacinã *de censur. disput. 7. q. 3. p. 1. num. 5.* docentes, infamiam tàm iuris, quam facti nisi foueatur aliquo iure statuente quale crimen satis sit ad infamiam, non habere vllum

7 effectum moralem reddendi videlicet inhabilem ad ordines. Quod confirmatur, nam quemadmodum non incurritur irregularitas nisi expressa sit in iure; ità incurri non potest infamia inducens ir-

8 regularitatem, nisi expressa in iure habeatur. Vndè in materia irregularitatis pro regula habendum est, impedimẽtum illud, quod absq; dispensatione tollitur, & potest cessare facto, nõ esse propriè irregularitatem, vt defectus ætatis, tituli, literaturæ, &c.

9 Ex quo sequitur primò, illum appellari infamem infamia facti, cuius delictum est notorium, publicumque euidentia solummodo facti, & tale delictum connumeratur inter ea, quæ in iure

10 notantur infamia. Secundò, infamiam, seu sinistram opinionem inter homines ortam ex aliquo delicto, de quo in iure non statuitur,

tur, vt tale delictum sit ex ijs, quibus homines redduntur infames, non dici infamiam facti legalem, nec per eam induci irregularitatem propriè, simpliciter, & absolutè, strictèque, de qua hic est ser-
11 mo: quamuis tali opinione grauetur quidē persona, obscureturq; illius fama, possitq; reddi indignā dignitatum, officiorumq; quantum rei natura, vel conditio postulauerit; non tamen per modum pœnæ, vel legalis impedimenti, sed ex naturali tantum ratione; Et ideò talis infamia non dicitur legalis, sed humana, vt iure optimò docent Suarez *num.* 11. Garcia *de benefic. p. 7. c. 8. num. 64.* & Coninck *in loco citato.*

12 Tertiò principaliter notandum est, controuerti inter Doctores, an pœna infamiæ afficiatur is, cuius delictum per accidens est occultum, quando lex hanc pœnam per verba sufficienter significantia latam esse sententiam imponit. qualia sunt ipso iure, vel eo ipso, vel absq; alia declaratione. In qua controuersia tres reperiuntur opiniones. Prima negat, quẽ huius pœnę macula affici, nisi sententia accedat declaratoria. Ita Bursat. *cons. 14. num. 18. & num. 23. & seqq. lib.* 1. Azorius *p. 1. lib. 8. c. 13. q. 7. vers. sed verius,* Sanchez *in precept. decal. lib. 2. c. 26. n.* 1. & Farinacius *de heresi q. 188. n. 56.* Secunda sustinet incurri hanc pœnam ante Iudicis sententiã, modò delictum sit notorium. Ita Tabiena *tit. infamia n. 2.* Couarru. *lib. 3. variar. resol. c. 3. num. 2.* citans Salicetum: hanc etiam opinionem tuetur Auila *de censur. p. 7. disput. 4. dub. 5. in princ.* qui refert Henriquez. Tertia, quę mihi magis arridet, tuetur eò ipso ab ipsamet lege induci hanc pœnam ante sententiam, quamuis delictum sit occultum. Ita Bart *in l. cunctos popul. n. 11. & 12. in 6. opposit. C. de sum. Trinit.* Paulus de Castro *ibi num. 18. & in l. improbum fœnus, C. ex quibus causis infam. irrog. in fine,* Pegna *in direct. inquisit. p. 1. comment. 4. vers. ex his postea,* Greg. Lopez *in l. 4. tit. 6. partita 7. verbo vsurarios,* Garcia *de benefic. p. 7. c. 8. num.* 17. Filliucius *vbi supra num. 219.* & Suarez *n.* 16. qui subiungit, talem infamiam dici posse infamiam iuris, quatenus virtute solius legis incurritur: Et dici etiam potest infamia vi facti, quatenus nec sententiam, nec aliam publicationem requirit, vt incurratur.

13 His præmissis sit prima conclusio. Commaculatus publicè iuris infamia à Prælatis regularibus minimè dispensari potest; Nam etsi a damnato per Iudicem, vel per legem ciuilem valeat abolere

infa-

infamiam Iudex ipse, qui sententiam tulit, aut Princeps, vt ex Syluestr. colligitur *tit. infamia q.* 11. & Armil. *eodem tit. num.* 6. & docetur expressius a Sayro *de censur. lib.* 7. *c.* 11. *num.* 15. & Auila *de censur. p.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5. *col.* 5. citantibus Henriquez. Hoc tamen memoratis Prælatis non conceditur. In iuris verò canonici infamia solus Papa dispensat, cui etiam quamcunq; iuris infamiā tollere fas est. Ita Nauar. *c.* 27. *n.* 204. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 19. *p.* 3. *col.* 4. *vers. postremo*, Henriquez *lib.* 14. *c.* 5. §. 3. *de irregular.* Sayr. & Auila in locis citatis.

Probatur hæc conclusio rationibus in superiori dubio concl. 1. allatis; Nam quemadmodum præfati Prælati facultate carent dispensandi cum corpore vitiatis, quoties vitium est scandalosum: ita eadem ratione cum prædictis infamibus dispensare nequeunt.

14 Hinc meritò inferunt Rodriquez *tom.* 1. *q.* 24. *art.* 6. & Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 2. *q.* 8. *art.* 5. *concl.* 1. memoratos regularium Superiores nequaquam dispensare posse cum religioso conuicto, & iuridicè condemnato de crimine nefando; quia ipso iure est infamis, vt est text. *in l. cum vir, C. de adulter. & l.* 1. *C. de secun. nuptijs, & can. infames* 3. *q.* 7. Quod confirmatum est à Glossa *in d. can. infames*, ab Apostil. ad Decium *cons.* 90. *verbo vitio*, Graffio *de casib. resr. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 19. & ab alijs. Nec dispensare possunt cum eo, qui ratione simoniæ in Ordine, vel beneficio contractæ incurrit post Iudicis sententiam in pœnam infamiæ, sicut nec Episcopus potest cum dispensare, vt scripsit Panormit. *in c. de simoniacè num.* 6. *de simonia*, quem approbat Felin. *ibi*, & Azorius *p.* 3. *lib.* 12. *c.* 22. Immò hæc pœna infamiæ ad omne peccatum simoniæ extenditur, vt habetur expressè *in can. vlt.* 1. *q.* 3. & non nullis allegatis latè probat Suarez *tom.* 1 *de relig. lib.* 4 *de simonia c.* 56. *num.* 21. Idem astruendum est de alijs huiusmodi criminibus, quæ in iure notantur infamia.

16 Limitatur verò conclusio, vt solummodo locum habeat in infamia consurgente ex delictis, in quibus ij Prælati regulares dispensare nequeunt; Nam quemadmodum Episcopus dispensando super delicto, ad quod sua facultas se extendit, vt in adulterio, furto, sacrilegio, falso testimonio, vel alio huiusmodi mediocri crimine non grauiori adulterio, accessoriè tollit infamiam ex tali delicto ortam, veluti astruunt Nauar. *c.* 27. *num.* 204. *vers. dico septimo*,

Sayr.

Sayr. *de censur. lib. 7. c. 11. num 15.* Henriquez *lib. 14. c. 5. §. 3.* Auila *vbi supra;* Toletus *lib. 1. c. 57. num. 4. vers. dico quartò,* Reginald. *lib. 30. num. 190.* & alij. Sic Generalis, aut Prouincialis, cui licet, sicut & Episcopo, in ijs delictis dispensare, prout docent Rodriq. *tom. 1. q. 24. art. 17.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 31. art. 11.* Beia *p. 4. cas. 37. fin.* & Cruz *de statu relig. lib. 1. c. 6. dub. 15. concl. 6.* Aduertendum tamen non procedere hanc limitationem in veniente ad religionem agitato nominatim in foro contentioso super aliquo ex memoratis delictis; nam durante agitatione non potest dispensari in religione, donec à Iudice absoluatur, vt alias enodatum fuit.

16 Secunda conclusio. Commaculatus infamia iuris, cuius delictum, seu factum est occultum, potest dispensari à Prælatis regularibus. Probatur primò, quia sicut Episcopi vi Trident. *sess. 24. c. 6.* dispensandi facultate gaudent in delictis occultis excepto homicidio voluntario. Ita eadem facultate potiuntur Prælati regulares auctoritatem quasi Episcopalem habentes, vt alias dictum est. Probatur secundò, nam estò hæc infamia induci posset aliquando absq; delicto, valerent tamen præfati Prælati in ea dispēsare vigore priuilegiorum. Nam facultate gaudent dispensandi in irregularitatibus exceptis illis, quę ex bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione procedunt.

17 Limitatur verò hæc conclusio primò, vt locum non habeat in infamia ex hæresi consurgente, quia neq; in ea, neq; in alijs Bullæ Cœnę casibus memorati Prælati dispensare queunt, vt dubio quinto explicatum fuit. Secundò, vt delictum non sit deductum ad forum contentiosum per dicta *dub. 14. concl. 3.*

18 Tertia conclusio. Quamuis infamia facti pœnitentia aboleri queat, vt benè inquit Nauar. *c. 27. num. 204. vers. decimo septimo,* & communiter Doctores; quia omnis res per quascunq; causas componitur, per easdem dissoluitur *c. 1. de reg. iur. & c. testamentum, de testib.* & Glossa *c. 1. dist. 25. fin.* vel etiam per purgationem, vt benè declarat Toletus *lib. 1. c. 57. num. 4.* Attamen pro comperto habetur etiam in ea dispensari posse per Prælatum regularem. Quod patet, nam quemadmodū Episcopo fas est cum hac infamia commaculato dispēsare, vt docent Nauar. *modò citatus,* Auila *p. 7. disp. 4. dub. 5. concl. 4.* & Toletus *vbi supra vers. dico quartò;* Ita eadem facul-

facultate fruitur Prælatus regularis auctoritatem quasi Episcopalem habens. Ita Rodriquez *tom. 1. quæst. 24. art. 6.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. art. 5.* & Cruz *de statu relig. lib. 1. c. 6. dub. 17. concl. 2.*

19 Limitatur hæc conclusio quoad nouitium venientem ad religionem causa habitum religionis induendi, qui dispēsari nequit, sicuti dictum est in fine primæ conclusionis, quandó delictum, cuius infamia laborat, deductum est ad forum contentiosum, & in eodem foro à Iudice agitatur.

DVBIVM XXIII.

An integrum sit Prelatis Regularibus cum Nouitijs Clericis penitus illiteratis dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Qui scientię defectus irregularitatem inducat.*
2 *An cum prorsus illiterato possint dispensare Prælati Regulares.*
3 *An possit Summus Pontifex.*

1 RESPONDEO, præmittendum esse, non omnem scientiæ defectū sufficere ad inducendam irregularitatem; Exempli gratia ex defectu literaturæ, quam in singulis ordinibus Concilium Trident. *sess. 23. c. 4. 11. 13. 14.* decernit, non inducitur irregularitas, vt benè inquiunt Henriquez *lib. 14. de irregular. c. 8. §. 11. in com. lit. A.* Sayr. *de censur. lib. 6. c. 13. num. 8.* & Garcia *de benefic p. 7. c. 7. nu. 15.* quamuis contrariū asserere videatur Nauar. *c. 27. num. 205.* Sed tunc tantummodò defectus literaturæ iure naturali, & diuino irregularitatem inducit, quandò, qui ordinibus initiari petit, latine legere nescit, principiaq; saltem grammaticæ ignorat, sicuti *disp. 5. dub. 5.* enodatum est. Et iste dicitur prorsus illiteratus.

2 Hoc prænotato sit conclusio, Prælati regulares cum penitus illiteratis dispensare nequaquam possunt; Nam si iuxta tradita à Maiolo *lib. 1. c. 32. num. 13.* Auila, *de censur. p. 7. disp. 4. dub. 1. concl. 2.*

&

& Sayro *de censur. lib. 6. c. 13. n. 9.* allegante alios Doctores, Papa nequit directè cum eis dispensare, eo quòd videtur contra naturæ ius, vt quis ad munus assumatur, quod exercere ignorat. Ergo multo minus hęc dispensatio prefatis Prelatis conuenit.

Dixi *directè*, quia solus Papa dispensat indirectè in hoc impedimento, idest ad tempus, vt interim illiteratus discat. Ita Sayr. & est de mente Villadieg. *c. 16. vers. circa illum verò qui patitur*, & Auile *in loco citato concl. 2.* Et sic patet neque Episcopis, neque aliis Prelatis Papa inferioribus integrum esse in hac irregularitate dispensare.

DVBIVM XXIV.

An apud Prælatos Regulares resideat facultas dispensandi in irregularitate orta ex celebratione Nouitij Simoniacè ordinati.

RESPONDEO affirmatiuè, vt ex dictis *dub. 12.* liquidò constat.

DVBIVM XXV.

An Nouitij à Religione recedentes, in censuras, ac irregularitatem à quibus absoluti, dispensatique in eadem Religione fuerunt, reincidant.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè respōdetur ad titulum propositum, nisi Nouitij se præsentent ei, qui de iure eos in seculo absoluere poterat.*

2 *Vel nisi absoluantur vi nonnullorum priuilegiorum secundum eorum tenorem.*

3 *Contraria opinio Sorb. & Rodriq. destruitur ab Auctore. Priuilegia semper debent aliquid operari.*

Exponitur c. eos qui de sent. excom. in 6.
Quibus priuilegijs gaudeant nouitij.
An absolutio a censuris simpliciter danda, sit explicanda ad reincidentiam.
An liberetur à reincidentia, qui post absolutionem à reseruatis censuris ad effectum lucrandi Iubilaeum consequutum, non vult lucrari ipsum.
4 *An reincidant in censuras nouitij, qui absoluuntur, & postea à Religione recedunt, antequam habitum eiusdem Religionis induant.*
5 *Item an nouitij qui absoluuntur postquam certò constat de eorum futura egressione à Religione.*

1 RESPONDEO quadruplici conclusione. Prima. Nouitij censuris, ac irregularitatibus irretiti, quibus iure communi absolutio, dispensatioque impensa fuerit intra annum probationis religionem egredientes, tenentur se praesentare ei, qui aliàs de iure in seculo eos absoluere poterat: non vt absolutionis beneficium consequantur, cũ iam sint absoluti, sed ne reincidant; prout re ipsa in easdem sententias ratione inobedientiae relaberentur, nisi se praesentarent. Est de hoc text. expressus *c. eos qui, de sent. excom. in sexto*, & ità docent Angel. *tit. excom. 5. num. 46.* Syluest. *tit. absolutio 5. dub. 9.* Sayr. *de censur. lib. 3. c. 28. num. 14.* & communiter Doctores.

2 Secunda conclusio. Nouitij à praefatis nexibus absoluti vi duorum priuilegiorum, quae referuntur à Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 21.* in memoratos laqueos non reincidunt: Verũm confessarij, à quibus iuxta tenorem horum priuilegiorum absoluũtur, ab Ordinario approbati esse debent. Idem etiam dicendum censeo de absolutis ratione priuilegij Clementis Quarti relati in compend. *tit. dispensatio ordin. quoad fratres num. 4.* si post indutum probationis habitum à religione recedant; Quia hoc priuilegium nil aliud petit, nisi vt nouitij mox accepta absolutione Ordinẽ ingrediantur, quod etiam confirmatum est à Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. c. 24. num. 6.* Idem asserendum est de nouitijs vna vice tantum absolutis vi priuilegij Sixti Quarti relati in compend. *tit. absolutio extraordinaria quoad fratres num. 5.* dummodo propositum profitendi habeant, si religionem sibi accommodam inue-

de-

nerint; nam hoc priuilegium aliam conditionem non exigit. Præter hæc reperiuntur alia priuilegia, per quæ nouitij absque vlla conditione possunt absolui à censuris, & dispensari in irregularitatibus, vt est illud Eugenij Quarti, & Celestini Quinti, quod refertur in compend. Cisterciens. *verbo absolutio*, §. 1. vt testatur Suarez modò citatus. vbi datur facultas Generali reformatori regularis Obseruantiæ absoluendi Monachos, & Nouitios, & postea extenditur etiam ad dispensationem in irregularitatibus. Immò in vniuersum censeo, quoscunque nouitios vi priuilegiorum professis concessorum absolutos, à religione recedentes nequaquã in easdem pęnas, seu censuras relabi, dummodò ficto animo absolutionem non accepissent, idest cum proposito deserendi religionem. Notandumque ex memorato Clementis, ac Sixti priuilegio, & ex alijs ipsismet professis concessis non exigi, vt confessarij sint ab Ordinarijs approbati; satis enim est, si approbatio, licentiaque vnius Superioris maioris religionis intercedat. Fauet huic nostræ opinioni Bonacina *de legib. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 28.* qui non admittit nouitios egredientes reincidere in censuras, & putat hoc non esse vsu receptum.

Contra hanc nostram conclusionem est Sorbus *tit. nouitius*, §. *de nouitiorum absolutione, verf. deindè*, & Rodriquez *tom. 1. q. 24. art. 15.* asserentes, nouitios vi huiusmodi priuilegiorum absolutos recedentes ad seculum in eosdem laqueos relabi, ex eo, quod hæ concessiones videntur conditionem includere, si in religione perseuerauerint iuxta Syluest. doctrinam *vbi supra*. Nihilominus probabiliorem censeo conclusionem nostram.

3 Primò, quia si nouitij in censuras, & irregularitates reinciderẽt, præfata priuilegia nihil operarentur, cum in prima conclusione enucleatum sit, de iure communi absolutionis beneficio frui posse ad reincidentiam, si non profitentur: & tamen priuilegia semper debent aliquid operari iuxta *c. si Papa, de priuileg. in sexto*, etiam si strictè interpretanda sint, & Syluester loquitur de huiusmodi absolutione, non de ea, quæ vi priuilegiorum impensa est.

Secundò, quia *c. eos qui, de sent. excom. in sexto* exigens, vt absolutus ei se præsentet, qui alias eum absoluere poterat, loquitur de eo, qui ob impedimentum absoluitur. Hinc nouitij vigore iuris communis absoluti ad dictam præsentationem tenentur, si non

profitentur, quia ob impedimentum aliquod non ingrediuntur, vt benè notat Suarez in loco citato. At in casu nostro absolutionis beneficium vi priuilegiorum eis conferentium, & cum iuxta illorum tenorem absolui queant, vt meritò notat Azorius *par. 1. lib. 8. c. 13. q. 9. in fin.* liquidò patet, memoratæ præsentationi minimè esse obnoxios.

Tertiò, quia ipsi nouitij gaudentes dictum priuilegijs eisdem nouitijs concessis, sed etiam in dubijs professis factis, vt ex eo, quod est dubium, quin absoluantur, dispensationeque directè per facultatem simpliciter, & sine reincidentia concessam. Quare non est vnde resultet hoc præsentationis onus propter religionis egressum.

Quartò, quia absolutio, quæ simpliciter, & simpliciter datur, nunquam est explicanda ad reincidentiam, vt benè docet Suarez *tom. 5. disp. 7. sect. 1. num. 31.* nisi in casibus à iure expressis, vt in *d. c. eos qui, de sent. excommun. in 6.* vel nisi facultas absoluendi ita expressè concessa sit. Cum ergo in priuilegijs relatis eisdem nouitijs nominatim concessis non exprimatur hæc reincidentia, nisi in concessione Clementis Quarti, in qua etiam non exprimitur in omnibus casibus, sed in eo tantum modo euentu, in quo nouitius nondum religionis habitu indutus mox religionem non ingreditur, apertè constat, huiusmodi reincidentiam ad alios casus non expressos minimè esse extendendam. Quod confirmatur; nam absolutus tempore Iubilæi à casibus reseruatis, ac censuris habens animum omnia exequendi necessaria ad lucrandum Iubilæum, si postea cætera requisita non adimpleat, nihilominus extitit liber à reseruatione, necnon & à censuris, vt tuentur Corduba *in sum. q. 71.* Henriquez *lib. 7. de pænit. c. 16. num. 1.* Suarez *tom. 4. disp. 31. sect. 4. num. 5. & de censur. disp. 7. sect. 5. num. 31.* Vgolin. *de censur. tab. 1. c. 12. §. 4. num. 4.* Graff. *p. 1. decis. lib. 4. c. 13. num. 37.* & Emanuel Sà *verb. absolutio num. 18.* quia absolutè, & non conditionatè fuit absolutus. Et ita dicendum est de nouitijs vi priuilegiorum absolutis, quibus eadem militat ratio: & vbi eadem ratio viget, debet eadem vigere iuris dispositio, *l. illud, ff. ad l. Aquil. iuncta Glossa, l. non possunt, ff. de legibus, & c. translato, de constit. iuncta Glossa in verbo, quod de vno.*

4 Tertia conclusio. Nouitij religionem egredientes nondum habitu religionis induti relabuntur in præfatas censuras, si virtute

iis priuilegij Clementis Quarti absoluti fuerint. Secus verò si vi priuilegij Sixti Quarti, aliorumq; priuilegiorum, dummodo accesserint, acceperintq; bona fide absolutionē cum vero scilicet proposito habitum induendi, ac suo tempore professionem emittēdi. Quæ conclusio ex iam dictis liquidò patet.

Quarta conclusio. Nouitij post absolutionem cum animo perseuerandi acceptam; si superueniat casus recessionis, etiam causa iusta existente, licèt absolui possint vi priuilegiorum quousque sub Superiorum regularium obedientia viuunt, & permittitur eis probationis habitus, vt aliàs dubio secundo enodatum fuit: si tamen, si tunc aliquas inciderint censuras, minimè hæsitandum est, quin pro ijs saltem censuris ad præfatam præsentationem teneantur. Hinc si nondum probationis habitu vestiti sint, stabilemque animum deserendi religionem habeant, absolutionis beneficium inter nos consequi procul dubio nequeunt, nisi in eo casu, in quo generalis confessio iam cœpta esset, tunc enim iuxta dubio quarto expedita, consentaneum erit Prælato, seu Magistro, eam integrè audire, absoluereque eos à censuris, ac dispensare cum eis in irregularitatibus, perindè ac si essent in religione permansuri. Verum iuxta dicta in prima conclusione, illi, qui aliàs in sæculo eos absoluere poterat, se præsentare coguntur.

DVBIVM XXVI.

An Nouitij casibus Religionis reseruatis subijciantur.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua opinio.*
Quomodo Nouitij comprehendantur inter Religiosos quoad fauores; secus verò quoad alia munera.
2 *Affirmatiua opinio.*
3 *Quam iurisdictionem habeant Prælati Regulares in Nouitios.*
4 *Qui domicilium transfert, cuius Episcopi iurisdictioni subdatur.*
5 *An Nouitij eximantur omnino à iurisdictione sæcularium Pastorum.*
7 *An Nouitij sint absoluendi à reseruatis cum onere præsentationis.*

Re-

1 RESPONDEO duplicem esse sententiã. Prior est Graffij *in append. ad decision. lib. 1. c. 7. num. 69.* Azorij *p. 2. lib. 12. c. 2. q. 10.* Emanuel Sa *tit. casus num.* 8. Rodriquez *tom. 1. q. 21. art. 11.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 34. art. 10.* & Coriolani *de casib. reser. p. 1. sect. 3. art. 18. in 2. edit.* sustinentium partem negatiuam. Quorum opinio probatur primò, quia communis sententia Doctorum astruit, nouitios quantum ad fauores inter religiosos computari, secus verò quoad odia. Secundò, cum nouitij non sint professi, ad religionis onera non tenentur. Tertiò; quia subduntur Prælatis regularibus non tanquam professi, sed sicut diœcesani. Ergo veluti alij religiosi ligari nequeunt; vt reseruationi subijciantur.

2 Posterior opinio, quæ mihi probabilior videtur, contrarium tuetur. Ità Corduba *lib. 1. qq. Theolog. q. 30. f. 242.* Thesaurus *c. 2. f. 127.* & Tusa *in manuscripto c. 7.* Quinimmò Salas *1. 2. disp. 14. sect. 5. fin.* testatur, quamplures Doctores huic sententiæ consen-
3 tire. Probatur primò, nam Summus Pontifex in religionibus approbandis earundem religionum superioribus iurisdictionem obstringendi suis legibus nouitios confert. Permutat enim Papa Superiorum temporalium, atq; Ecclesiasticorum iurisdictionem, ad quam nouitij manentes in seculo tenebantur, in Superiorum regularium iurisdictionem, prout inquiũt præsertim Salas, & Vasquez
4 ab ipso relatus; Et ideò quemadmodum qui domicilium transfert, iurisdictioni Episcopi se subijcit, vbi mansionem eligit, vt habetur *c. fin. de parochijs, & c. fin. de foro compet.* Ità nouitii transeuntes ad religionem Prælatis regularibus se submittunt, & Generali, ac Prouinciali non solum tanquam Parocho, sed etiam sicut Episcopo subduntur. Immò ità mutant domicilium, vt ratione exemptionis religionis omninò fiant extra iurisdictionem secularium Pastorum; Et ideò vi prioris iurisdictionis non possunt illis Pastoribus secularibus confiteri, vt alias dictum est, & latè probatur à Suarez *tom. 4 de relig. tract. 8. c. 17. num. 14. & 15.*

5 Secundò, quia cum rationi consentaneum non sit, nouitios à quacunq; casuum reseruatione prorsus eximi, oportet vel vt casibus Episcopo, vel religionis Prælato reseruatis ligentur. Hinc Homobon. *de casib. reser. p. 1. c. 2. mihi f. 44.* putat, eosdem nouitios reseruatione ab Episcopo facta includi, ab eoq; absolui debere. At

cum

cum hoc religionis exemptioni repugnare videatur, quia instar professorum à iurisdictione tàm Ciuili, quàm Ecclesiastica, seu Episcopali eximuntur, vt meritò notant Nauar. *lib. 3. cons. 54. num. 4. de regular. in 1. edit. & in 2. lib. 2. cons. 6. n. 4. de foro compet.* Corduba *vbi supra opin. 1. in 4. probat. & in 2. opin. probat. 6.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. q. 11.* Molina *tom. 3. disp. 471. num. 2.* & Sanchez *in precept. decal. lib. 6. c. 10. num. 11.* dicendum est, eos casibus in religione reseruatis ligari. Et sic patet, nouitios non ratione professionis, sed vi subiectionis ad casuum reseruationem teneri, dum in religione perseuerare intendunt.

6 Ad primum respondetur, concedendo nouitios quoad ea dia nō computari inter religiosos: quod intelligendum est quoad præcepta, obligationesq; regulæ: secus verò quoad leges, præceptaque insurgentia ex iurisdictione, quam in eos Prælati regulares exercent, vt explicatum est.

Ad secundum, & tertium iam in solutione satisfactum est.

7 Hic tandem aduertendum, & alta mente reponendum est, Magistrum, vel alium Confessarium in sacra Religione nostra nequaquam posse absoluere nouitium, qui post indutum probationis habitum lethali culpa in religione reseruata se fœdauit, nisi eo modo, quo absoluere potest professum, idest cum obligatione se præsentandi ante P. Prouincialem. Quod quidem locum habet etiam si idem confessarius priorem opinionem amplectatur sustinentem non teneri nouitium casibus in religione reseruatis: Et est ratio, quia licèt nouitius iuxta hos DD. ex parte sua non sit impeditus, confessarius tamen iuxta Regulæ nostræ, & omnium Superiorum maiorum mentem non habet facultatem impendendi absolutionem in iis culpis reseruatis, nisi intercedat hæc præsentationis conditio. Sed an nouitius possit sibi eligere confessarium absq; Superioris religionis licentia, qui virtute Cruciatæ eum à reseruatis absoluat. Respondeo negatiuè, vt probaui dub. 3.

DVBIVM XXVII.

An Nouitij præcepto, censuraue Superioris Religionis deuinciri possint.

SVMMARIVM.

1 *Prima sententia negat.*
2 *Secunda concedit in duplici casu.*
3 *Tertia concedit generaliter, [illegible] concurrentibus.*

1 RESPONDEO triplicem esse sententiam. Prima sustinet nouitios præceptis Superiorum regularium ligari nequaquam posse. Ita Azor. 1. p. *lib. 12. cap. 4. q. 8.* & Sanchez *in præcept. decal. lib. 6. c. 1. num. 7.* referentes alios pro sua opinione: sed re vera Doctores ab illis citati de casu nostro minime loquuntur. Ast [illegible] enim, quod omnes fatentur, nouitios scilicet ad regulæ, seu statutorum præcepta nequaquam teneri [illegible].

2 Secunda sententia est Sanchez *num. 17.* tantummodo concedentis, Superiorem regularem facultate gaudere excommunicandi in duplici casu nouitios. Prior est, quando ipsemet Prælatus pœnam aliquam ratione delicti nouitio imponeret: tunc enim posset sub pœna latæ excommunicationis præcipere, vt pœnam illam subiret; quia potest obligare ad eam pœnam ratione iurisdictionis, quam in foro externo ad eam imponendam habet. Posterior casus est, quando Pontifex constitutione, aut præcepto aliquo interdiceret aliquid sub pœna excommunicationis; si enim nouitii id præceptum violarent, posset Superior religionis eos punire, fulminando sententiam illam excommunicationis à Pontifice transgressoribus comminatam: imo posset quoque infligere quancumque aliam pœnam à Pontifice statutam in transgressores; quia dum nouitii manere volunt in Religione, est legitimus Iudex ad imponendas pœnas eorum delictis condignas.

3 Tertia sententia, quæ mihi magis arridet, iure optimo tuetur, nouitios præceptis, censurisuè memorati Superioris regularis ligari

posse, dummodò in religione perseuerare velint, intendatque Superior suo præcepto, seu censura eos etiam comprehendere. Ita Salas 1.2. *disp.* 14. *sect.* 5. *fin.* & Vasquez ab eo relatus. Quæ quidem opinio probatur rationibus in superiori dubio allatis, intelligique debet tribus concurrentibus. Primum, non frui Prælatum potestate coercendi nouitios ad præcepta regulæ, seu statutorum obseruanda, ad quæ solummodo professi tenentur. Secundum, in illis duntaxat casibus posse Superiorem suo præcepto, seu censura obligare nouitium, in quibus neophitus eidem Prælato se submittit: Et quia ei sicut Episcopo subditur, minimè hæsitandum est pręcepto, censuraq; compelli posse ab eodem religionis Prælato ad omnia maximè necessaria pro bono regimine, vt ita dicam, politico tàm religionis, quàm ipsius nouitij obseruanda, prout nō obscurè colligitur ex Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 16. num. 18. ad finem, & expressius tom. 4. de relig. tract. 8 lib. 2. c. 8. num. 17.* Exempli gratia si Generalis, aut Prouincialis in alicuius Monasterij visitatione præciperet in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub pœna excommunicationis latę sententiæ, vt transgressiones graues contra Dei præcepta, regulam, vel alia huiusmodi Reipublicæ, aut Religionis grauia denunciarentur, nouitij vtique huic præcepto obedire tenerentur, dummodò eos comprehendere Superior intenderet. Tertium, in huiusmodi communibus præceptis, censurisuè pro bono regimine fulminatis neutiquam comprehendi nouitios, nisi Superior suam intentionem patefecerit expressè declarando etiam nouitios eisdem præceptis se subijcere velle.

DISPVTATIO DECIMA.

IN HAC DISPVTATIONE AGENDVM EST de votis Nouitiorum, & maximè quid circa eadem vota Superiores Religionum possint.

DVBIVM PRIMVM.

An qui votum strictioris Religionis emisit, laxiorem licitè ingredi valeat.

SVMMARIVM.

1 *Votum Religionis diuiditur in votũ ingressus solum, & in votum perseuerantiæ siue professionis.*

2 *In dubio, quodnam præsumatur fuisse votum, an ingressus, an perseuerantiæ.*

3 *An qui post votum strictioris Religionis emissum ingreditur laxiorem peccet mortaliter, & teneatur se transferre ad strictiorem, & num. 10.*

Maximè si professionem in ipsa laxiori emiserit.

Num in plus se habeat votum ingrediendi strictiorem Religionem, quàm votum perseuerandi in laxiori.

4 *An adimpleat votum Religionis, qui Religionem ingreditur collapsam quoad substantialia.*

Item qui ingreditur militarem.

5 *Qui possit dispensare in voto Religionis approbatæ.*

6 *Item qui in voto strictioris Religionis, vt possit fieri transitus ad laxiorem.*

7 *An hoc possint Prælati Regulares virtute suorum priuilegiorum.*

8 *Et cum quibus conditionibus.*

9 *An censeatur iusta causa ad dispensandum, quando vouens putat se ma-*

gis

gis professorum in laxiori, quàm in strictiori Religione. Item an sufficiat causa ad commune bonum Religionis spectans.

1 RESPONDEO, prænotandum esse, votum religionis, quoad rem nostram facit, esse in duplici differentia, vt benè docet D. Thomas *2.2.q.189.art.4.in corpore*. Vnum est tantum ingrediendi religionem, idest experiendi num religio sibi placeat; alterum verò in religione perseuerandi. Tunc votum est solummodo ingrediendi religionem, quando vouens speciali intentione non intendit se obligare ad perseuerandum in religione: è contrario verò tunc est perseuerandi, quādo eadem speciali intentione se obligauit ad perseuerandum, seu perpetuò manendum in religione: Ità colligitur non obscurè ex D. Thoma, & docetur expressius ab Azorio *p.1.l.11.c.22.q.7*. Emanuel Sà *tit. votū in princ. num.13*. Sanchez *in præcept. decal. lib.4.c.16.num.83*. & Suarez *tom.3. de relig. lib.4.c.4.num.10*. Hinc Nauar. *lib.3. cons.7. de voto in 2. edit.* rectè inquit, votum moriendi in religione esse manifestè vo-
2 tum perseuerandi. At si non constet de vouentis intentione, in dubio præsumitur vouisse ingressum, non perseuerantiam, seu professionem, vt iure optimo docent Sāchez *num.86*. & Bonacina *de legib. disp.4.q.2.p.5. §.6.num.23*. contra Nauar. *cons.26.num.2. de voto in 2.edit.* & alios.

3 Hoc prænotato sit prima conclusio. Qui post votum strictioris religionis emissum ingreditur religionem laxiorem reus est culpę, vt sumitur clarè ex *c. qui post votum, de regular. in sexto*, & ex D. Thoma *2.2.q.189. art.9. ad tertium*. Et hæc culpa meritò censetur lethalis à Nauar. *c.12.nu.48*. & Palacio *4.dist.38. disp.1. post 4. concl. f.829.col.1*. Et est ratio, quia non implet votum in materia graui; qualis est hæc; Et ideò tenetur iuxta Archid. *in d.c. qui post votum circa fin.* Ioan. Andr. Dominicum, Franchum *ibi in princ.* Nauar. *c.12.num.48. & lib.3. cons.26.num.1. de voto in 2.edit.* Azorium *p.1.*
4 *lib.11.c.22.q.12*. & alios ad religionem strictiorem se transferre, nisi in laxiori professionē emisisset; quia tunc primum votum simplex ingrediendi religionem tollitur per secundum professionis solemnis, vt habetur *in d.c. qui post votum.*

Limitatur conclusio primò quoad eum, qui solum votum habet ingrediendi religionem strictiorem; quia immunis est à peccato

ingrediens laxiorem animo perseuerandi in ea. Quod probatur, nam cuique integrum est ex se permutare votum suum in rem apertè meliorem, vt docent Caiet. *2. 2. q. 88. art. 12. paulo post princ.* Angelus *tit. votum 4. num. 2.* Abulensis *in c. 30. num. q. 110.* Nauar. *tract. num. 9.* Valentia *to. 3. disput. 6. q. 6. p. 7. col. 1.* Sorbus *tit. votum not. 21.* & quamplures alij relati, & approbati à Sayro *in clau. reg. lib. 6. c. 12. num. 5.* & Sanchez *in præcept. decal. lib. 4. c. 49. num. 2.* Cum ergo plus sit tuneri perseuerare in religione laxiori, quàm ingredi strictiorem ad experiendum cum libertate non permanendi, patet ingressum in religionem laxiorem hoc pacto factum esse à culpa immunem, vt benè docent Palud. *4. dist. 38. q. 3. art. 1. num. 51. & q. 4. art. 3. num. 32.* D. Anton. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 8.* Syluest. *tit. votum 4. quæst. 7. dist. 3.* & Sanchez *lib. 4. c. 16. num. 81.*

Hæc limitatio non admittitur à Suarez *c. 9. num. 7.* existimat enim non sufficere præfatam intentionem ad æquitatem; vt de nisi aliunde suppleatur, vel dispensetur, putat talem commutationem esse illicitam. Nihilominus ob rationem factam, & auctoritatem tantorum Doctorum censeo esse tutam, tutius tamen erit cum dispensatione, de qua mox dicam.

1. Secus verò dicendum est de eo, qui voto perseuerandi in religione est obligatus; quia ingrediens religionem laxiorem animo profitendi in ea non implet totum, quod promisit, sed in minus commutat; eo quòd in strictiori quoque religione tenebatur profiteri. Quare culpa se commaculat, & tenetur toto probationis tempore ingredi strictiorem religionem, vt dictum est in conclusione, & confirmatur à Paludano, & Diuo Antonino. Emissa verò professione in religione laxiori, licitè ibi remanere potest, immò talis professio non est reuocanda, vt habetur expressè *in d. c. qui post votum*, quamuis ob rationem factam in emittenda professione crimen lethale non effugisset, vt benè aduertit Sanchez *num. 21.*

11 Idem dicendum iuxta Sanchez *num. 22.* vt non satisfaciat voto: primò, qui ingreditur religionem laxiorem penè collapsam quoad substantialia, nisi spes esset proximæ reformationis. Secundò neque qui religionem militarem ingreditur; quia emittens votum religionis intendit promittere statum religionis, in quo

reli-

religiosi viuunt in communi in claustris alieni à tumultu, fastu, atque curis sæcularibus. Et ità etiam tuetur Cordubâ *in sum. q.* 143. Quamuis iuxta eundem Cordubam liber maneat à voto strictioris religionis si profiteatur in religione Equitum D. Ioannis, & constat ex *d. c. qui post votum*. Contra tamen hanc posteriorem limitationem sunt Arragon. 2. 2. *q. 88. art.* 11. *ad vlt. primæ opinionis*, Azorius *p. 1. lib.* 13. *c. 4. q. 4.* Rodriquez *p. 2. sum. c. 97. num. 8.* & Sayr. *in claui reg. lib. 6. c. 7. num.* 10. Hi enim existimant satisfieri posse voto religionis, si habitus Equitum dicti D. Ioannis assumatur; Quorum ratio est, quia hi Equites absque controuersia sunt veri religiosi, eo quod solemne votum castitatis sufficiens ad dirimendum matrimonium ratum emittunt. Nihilominus ob rationem allatam probabiliorem censeo priorem opinionem.

5 Secunda conclusio. Quamuis potestas dispensandi in voto religionis approbatæ resideat solummodò apud Pontificem: existente tamen iusta causa, de qua statim dicetur, Episcopus facul-
6 tate gaudet dispensandi cum eo, qui strictioris religionis voto est obstrictus, quatenus ad laxiorem transire valeat. Et est ratio, quia non dispensat in substantia voti, idest non absoluit eum à religione, sed dispensat solum in quadam religionis qualitate, seu circunstantia voti. Ità Palud. *4. dist. 38. q. 4. art. 4. concl. 1. num.* 43. D. Antoninus 2. *p. tit.* 11 *c. 2. §. 9. not. 4. vers. hoc autem videtur*, Syluest. *tit. votum 4. q. 3. dict. 6.* Soto *de iust. lib. 7. q. 4 art. 3. col. 5. vers. sequitur subindè*, Azorius *p. 1. lib.* 11. *c. 18. q. 8.* Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 18. num.* 124. Suarez *c. 8. num.* 2. & alij.

7 Tertia conclusio. Quamuis, quę dicta sunt in superioribus conclusionibus vera sint attento iure communi. Nihilominus virtute priuilegiorum, quæ referuntur à Sorbo *tit. nouitius, §. de nouitiorum absolutione, & tit. votum, vers. licet prioribus* auctoritate gaudent Prę lati regulares, & ij, quibus ipsi hanc facultatem commiserint, dispensandi in voto ingrediendi strictiorem religionem, vt suam ingredi valeant. Si verò dispensatus ante professionem recesserit, nulla est dispensatio, vt habetur expressè in præfatis priuilegijs. At quia Innocentius VIII. concessit Mendicantibus posse dispensare in uotis, in quibus possunt Episcopi, demptis peregrinationis uotis ultra duas dietas, ut refert Sanch. *c. 43. nu.* 4. & Martinus V.

maiorem fecit concessionem Benedictinis, vt scilicet possint etiam dispensare in votis Episcopo reseruatis, vt habetur in compend. priuileg. Societat. Iesu *tit. dispensare*, §.10. patet, omnes religiosos per communicationem huius priuilegij dispensare posse absolutè in memorata circunstantia voti absq; prædicta limitatione, ita vt egressi ante professionem non teneantur amplius ad prius votum, vt benè probat idem Sanch. *num. 7. & 21.* Et ideò magni æstimanda est hæc præcipuè posterior concessio.

8 Duo hic necessaria sunt. Prius, vt petens religionis ingressum aperiat Superiori religionis suũ votum, quatenus ab eo dispensari possit; quia quando dispensatio committitur Prælatis, requiritur eorum actus, & voluntas, quæ sine cognitione voti esse non possunt, vt benè aduertit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 8. num. 9.* Posterius, vt adsit iusta causa; nam si Pontifex facultate non gaudet dispensandi in votis absque hac causa; multò minus absque ea poterunt Religiosi; Vndè priuilegia hoc pacto concessa fuisse nemo dubitat.

9 Tunc adest iusta causa secundum Rodriquez *tom. 1. q. 21. art. 6.* & Mirandam *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 32. art. 5.* quando vouens putat se melius inseruiturum Deo in laxiori, quàm in strictiori religione; Et quamuis Sanchez *num. 20.* existimet hanc non esse sufficientẽ causam, vult enim esse debere exequutioni voti obstantem; attamen minimè dubito esse sufficientem, vt iure optimo docet etiam Suarez *num. 10.* Qui subiungit adesse quoq; iustam causam, etiamsi motiuum ingredientis non sit adeò spirituale, sed solum ex quadam humana fragilitate velit aliquid de rigore vitæ remittere mediante Pontificis priuilegio. Quod probat, nam hoc priuilegium non postulat specialem causam ex parte personæ particularis, sed ipsum fauorem religionis supponit, vt sufficientem causam. Ergò licitè potest quis vti illo priuilegio, vt sonat, neq; est cur illi imponamus hoc onus quærendi aliam causam. Vndè censet idem Suarez sufficere causam ad commune bonum, & fauorem religionis spectantem.

10 Ex dictis inferunt Rodriquez, & Miranda, eum lethaliter delinquere, qui voto strictioris religionis obligatus ingreditur laxiorem non virtute dispensationis, sed ex sua voluntate: Attamen retenta opinione superius relata, vt scilicet is possit ex se commutare

hoc

hoc votum in perseuerantiam religionis laxioris, dicendũ est, eum solum peccare, qui votum perseuerandi in religione strictiori habet, vt visum est.

DVBIVM II.

An Nouitius voto ingrediendi tantummodo Religionem obligatus ea libertate gaudeat recedendi à Religione, qua gaudet Nouitius tali voto minimè ligatus.

SVMMARIVM.

1 *An qui vouit ingressum Religionis, teneatur ad probandum bona fide, nũ sibi expediat profiteri.*
2 *Item an teneatur simpliciter, & absolutè profiteri.*
3 *Minori libertate potest è Religione egredi Nouitius voto eam ingrediendi ligatus, quàm alter à tali voto solutus.*
Quodnam peccatum committat vterq; si ob leuitatem animi egrediatur è Religione.
4 *Quæ causa sufficiat excusare recessum à Religione Nouitij, qui ad eam ingrediendam se voto obstrinxit.*
5 *Item quæ infirmitas.*
6 *Quæ necessitas parentum, vel Sororum.*
7 *An qui voto Religionis obstringitur, & iusto impedimento deserit eam, vel eijcitur, teneatur cessante impedimento ad eam redire.*
8 *An idem iuris sit, si eijciatur ob suam culpam.*
9 *Vel quia carebat aliqua conditione iuxta illius Religionis statuta.*

1 RESPONDEO præmittenda esse duo. Prius est, eum, qui votum ingrediendi religionem emisit, teneri nedum ad ingressum religionis, sed etiam ad probandum bona fide, idest non ficto animo, an sibi expediat profiteri nec ne. Ita D. Thom. *2.2. q. vlt. art. 4. ad tertium*, Caiet *ibi dub. 3.* D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 2. §. 4.* Soto *lib. 7. de iust. q. 2. art. 1. col. 2.* Syluest. *tit. religio 2. q. 19.* Nauar. *c. 12. num. 47. fin.* Azorius *p. 1. lib. 11. c. 22. q. 6.* & alij. Quod probatur

batur primò, nam uotum religionis non emittitur propter solum habitum nouitiorum suscipiendum, sed ad ipsum statum religionis experiendum. Secundò, quia eo ipso, quod actus promittitur, censentur etiam promissæ omnes circunstantiæ sine quibus ille nõ esset materia apta uoti. Ne ergo ingressus religionis sit materia uana, & inepta uoti, patet in ipso uoto contineri hanc circunstantiam experiendi religionem, ac profitendi, si uouens eam sibi commodam inuenerit.

2 Posterius. Quamuis uoto obligatus teneatur probare, an expediat ei religio: nihilominus post susceptum probationis habitũ non tenetur ratione talis uoti absolutè, & simpliciter in ea perseuerare, ut docent communiter DD. & præsertim D. Thom. & alij modò citati. Quare si tempore probationis rationabiliter, & ex sufficienti causa uideat sibi non expedire statum religionis, tutum est ei absque uiolatione uoti illum relinquere. Quod probatur, nam cum lex ecclesiastica concedat libertatem intra probationis annum, comprehenditur sub hac libertate respectu uouentis quæcunq; iusta, & rationabilis causa. Præterea quia intentio uouentis fuit, se obligare ad religionem, si eam sibi gratam, & accommodam inueniebat. Ergo si eam aliter experiatur, potest licitè ab ea recedere.

3 His prænotatis sit prima conclusio. Qui uoto ingrediendi religionem est ligatus, non potest deserere eandem religionem ea libertate, qua permittitur egressus nouitio tali uoto non ligato. Probatur; nam qui solutus est à uoto potest exire, saltem quò ad forum exterius absque ulla causa, etiam si gratus ei sit religionis status, ut fatentur communiter DD. qui ad summum, si ob leuitatem egrediatur, censent cũ macula ueniali se coinquinare. E contrario uerò hęc libertas non conceditur ei, qui uoti uinculo est obstrictus, nisi intercedat aliqua iusta, seu rationabilis causa; Nam cum ratione uoti teneatur bona fide, & non dolo experiri religionem, an sibi gratam inueniat, ut probatum est, constat egredi non posse absque iusta causa, & recedendo crimen lethale non effugere, tenerique ad religionem redire. Colligitur hæc conclusio non obscurè ex D. Thoma 2. 2. *q. vlt. art. 4. ad tertium*, sed eam expressius docent Caiet. *ibi dubio tertio*, Soto *de iust. lib. 7. q. 2 art. 1. col. 20.* [illegible] *tit. nouitius num. 10.* Arragon. *2. 2. q. 88. art. 3. circa solut. ad* *secun-*

secundũ f. 99 a. Tolet. *lib. 4. c. 17. n. 6. vers. rursus, & dixi n. 11.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6. p. 4. q. 4. vers. unde rectè*, Rodriq. *p. 2. summ. c. 97. n. 2.* Philiar. *p. 2 lib. 3. c. 20. ad fin.* Sorbus *tit. nouitius, quo ad emissionem professionis, vers. quintò notãdum*, Ledes. *p. 3. sum. tract. 1. b. c. 3. dub. 7. cas. 4.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dubit. 5. n. 47. vers. ad primam rationẽ*, Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 17. a. n. 90.* & Reginald. *lib. 18. n. 383.*

3 Obijcies, votum esse factum retẽto iuris fauore circa religionis probationem. Ergo, si solutus à voto potest exire ad libitum: ita etiã poterit exire ligatus voto. Respondeo, hunc vinculo voti obstrictum iuris fauore gaudere: sed quia votum continet conditionem omninò obligantem experiendi bona fide religionem, & perseuerandi in ea, si inueniatur grata, & accommoda; sequitur non posse gaudere huiusmodi fauore, nisi accedat causa iusta, quo etiã non fruitur solutus à voto iuxta Caietanum, & alios saltem quò ad forum conscientiæ nisi existente eadem iusta causa, eo quòd recta ratio suadet non recedẽdum esse ex animi leuitate à religionis statu; Vnde iure optimò concludit idem Caiet. vtrunq; peccare, si ex sola libertate retrocedant, qui ingressus est sine voto venialiter, qui verò ex voto mortaliter.

4 Secunda conclusio. Cum integrum sit habenti votum ingrediendi religionem ex iusta, vel rationabili causa religionis statum relinquere, ut probatum est; tunc nouitius dicitur habere causam sufficientem recedendi, quando experitur religionem sibi non esse accommodam, & gratam: ita DD. & precipuè Caiet. *vbi sup.* & Couar. *de pactis p. 1. §. 3. ad fin.* Ex Nauar. *c. 12. n. 47. ad fin.* & Armil. *tit. nouitius num. 10.* colligitur, ei non esse gratam religionem, cui vitæ ratio displicet. At melius hoc declarat idem Caiet. docẽs, non dici gratam; si nouitius experiatur religionẽ probationi parere sibi minorem fortitudinem, roburq; minus animi ad perseuerandum, & propterea timeat ne in processu temporis tepidus inueniatur, ac per hoc minus benè pro anima sua. Concordant cum Caietano Sanchez *num. 101.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 5.* qui inquit, eam esse sufficientem causam; si nouitius timeat periculum alicuius grauioris mali, & detrimenti spiritualis, vel de illo probabiliter dubitet propter graues tentationes, quas experitur, vel quia non sperat se posse cum gaudio, & tranquillitate animi in eo statu Deo deseruire. Quæ omnia supradicta intelligenda sunt

vt tentatio, tristitia, & displicentia cõsurgens, vel ex naturali causa, vel ex Dæmonum tentatione nequeat à nouitio tempore notabili puta mense superari. Ità colligitur ex Lessio *in citato num. 47. vers. 4.* & Sanchez *num. 100.*

Quinimmò iuxta Suarez, cum quo Rodriquez *p. 2. sum. c. 97. num. 2.* concordare videtur, dicitur iusta causa, si nouitius credat onera religionis ità superare vires suas, vt vel non possit illa sine multis dispensationibus sustinere, vel certè si omnibus illis se velit exponere, non sine tristitia, & perturbatione animi se esse victurum: vel deniq; si expertus sit labores, & difficultates esse lõgè maiores quam cogitarat, sibiq; proposuerat.

5 Ex hac conclusione infertur primò, infirmitatem esse sufficientem causam recedendi, vt docet D. Thom. *in citato art. 4. ad secundum*, & Nauar. *lib. 3. consil. 24. de voto in 2. edit.* Qui quidem Doctores non intendunt quancumq; infirmitatem esse causam iustam, sed solum eam, quæ ratione qualitatis, vel frequentiæ est talis, vt nouitius prudenter iudicet in posterum, vel se futurum religioni onerosum, vel victurum cum mala valetudine, vel ferre non posse religionis onera, vt benè aduertit Sanch. *num.* 101. Vndè non est necessarium esse infirmitatem perpetuam, vt voluit Rodriquez in loco proximè citatus.

6 Infertur secundò à Sãchez *num. 104.* iustam esse causam recedendi necessitatem parentum, aut sororum, quæ sit alicuius momenti, cui nouitius in seculo subuenire possit. Quam illationem non extendit ad Fratrum necessitatem, nisi sint tàm destituti alio remedio, vt intercedat iusta egressus causa. Ratio huius Doctoris est, quia nemo prudens notabit leuitatis hunc egressum. At supposito, hanc necessitatem parentum non attingere gradum illius, cui tenetur filius præcepto naturali subuenire, de qua aliàs visum fuit, non posse filium deserere parentes in ea constitutos, etiam si votum religionis habeat; dico probabilius esse non posse in casu nostro recedere à religione, nisi mediante dispensatione: fateor tamen existente necessitate alicuius momenti adesse sufficiẽtissimam dispensationis causam. Ratio huius nostræ limitationis est, quia circunstantia voti magis vrget, quàm præfata necessitas, quæ non est in præcepto. Præterea, quia licèt integrum sit obligato ratione voti exire à religione, si eam sibi accommodam non inueniat:

attamē causa, per quam redditur religio non accommoda, nequaquam debet pertinere ad nouitium indirectè, vt hęc, sed directè, vti ex conclusione iuxta Doctorum mentem apertè constat. Et hac ratione patet responsio ad rationem in contrarium.

7 Tertia conclusio. Ingressus semel religionem voto tantummodo ingrediendi promissam, si postea ante professionem egrediatur ex iusta causa, vel expellatur ob infirmitatem, vel aliud huiusmodi temporale impedimentum, non tenetur cessante impedimento redire ad eam, quia votum suum impleuit. Ità docent Caiet. *2. 2. q. vlt art. 4. dub. 3. & etiam in vers. & si adhuc ad finem*, Soto *lib. 7. q. 2. art. 1. col. 15. vers. dubium autem egregium*, Nauar. *c. 12. nu. 47. vers. quo circa*, Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dub. 5. num. 40. vers. quartò*, & expressius Toletus *lib. 4. c. 17. num. 6. vers. rursus, & c. 18. num. 3. in poster. edit.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 22. q. 6. ad finem*, Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 11.* Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 16. nu. 105.* Bonacina *de legib. disp. 4. q. 2. p. 5. §. 6. num. 22.* & alij, quidquid dicat Rodriq. *p. 2. sum. c. 97. num. 5.*

Limitatur conclusio primò; vt locum non habeat in eo, qui voto perseuerandi in religione est ligatus, de quo in dubio sequenti dicetur.

8 Limitatur secundò à Toleto, qui censet nō satisfecisse voto suo, qui è religione eijcitur ob suam culpam; Et ideò tenetur se emendare, vt iterum admittatur. Contra tamen hanc limitationem tenet Azorius *vbi supra q. 9.* volens eum suo voto satisfecisse, qui vi voti cogebatur tantummodo religionem ingredi, & experiri, an sibi placeret. At Sanchez *num. 108.* conciliat has opiniones: Prior habet locum, si nouitius mediocrem non adhibuit diligentiam ad se corrigendum, & accommodandum religionis instituto. Posterior verò si adhibita hac mediocri diligentia nouitius eiectus fuerit, quia statui religionis, vel ex infirmitate, vel prauis habitibus, aut indole non se accommodabat. Tandem Sayr *in claui reg. lib. 6. c. 9. n. 21.* & Suarez existimant, eum suo voto satisfecisse, si bona fide processerit, & directè, aut indirectè non procurauerit eiectionem, aliquid in eum finem faciendo, quamuis postea ex sua fragilitate, vel praua consuetudine ita se gesserit, vt meritò eiectus fuerit. Hæc posterior opinio mihi magis arridet.

9 Limitatur tertiò quoad eum, qui expulsus fuit, eo quòd aliqua

cõditione carebat iuxta illius religionis statuta: vt si inter nos Capuccinos habitum ante ætatem a nostris Constitutionibus præfixam suscepisset. Hic enim iuxta Nauar. *lib. 3 cons. 23 in 2 edit. de voto*, tenetur ætate legitima completa, vel eandem religionem, vel aliam iuxta sui voti obligationem iterum intrare. Secus verò existimat Sanch. *num. 107*. si nulla ei re vera defuit conditio in sui receptione, sed expulsus fuit, vel ob falsas testium depositiones, vel quia tale statutum edidit religio existente eo in probatione. Et est ratio, quia capax erat religionis, quam bona fide ingressus fuit. Ergo eiectus suo voto satisfecit.

DVBIVM III.

An voto perseuerandi, seu profitendi ligatus possit egredi è Religione interueniente iusta causa, per quam licitus est egressus ei, qui votum duntaxat ingrediendi Religionem habet.

SVMMARIVM.

1 *Quod votum Religionis obliget ad perseuerandum in Religione.*

2 *Votū quantumuis appareat absolutū, intelligēdum est iuxta formā iuris. In dubio præsumēdum est, votū obligare ad ingressum et nō ad perseuerantiā.*

3 *Votum perseuerandi iuxta nonnullos obligat eo modo, quo obligat votum ingrediendi.*

4 *Sed verius est maiorem inducere obligationem.*

5 *Ad quid teneatur habens votum perseuerandi.*

6 *Laborans perpetuo impedimento non tenetur ingredi.*
Potest auersionem à Religione manifestare.

7 *Laborans impedimento temporali, eo cessante, tenetur petere ingressum.*

8 *Quando licitus sit egressus ob difficultatem, quam experitur homo in obseruantijs regularibus.*

9 *Vel quando iudicat statum regularem futurum sibi esse occasionem ruinæ, vel non esse sibi medium ad maiorem perfectionem.*

10 *Episcopus dispensare potest in perseuerantia voti Religionis.*

1 RESPONDEO prænotandum esse, tunc solum uotū obligare ad perseuerandum, seu perpetuò manendum in religione, quando uouens speciali intentione intēdit se obligare ad hanc

perseuerantiam, ut astruunt DD. dubio primo citati. Quod ob[i]-dendum [illegible], quia hęc obligatio non est imponenda, nisi ubi euidenter constiterit de hac uouentis intentione. Ad hęc facit illud, quod fuse, doctè declarat Caiet. *in opuscul. tom. 1. tract. 31. resp. 7.* nempe aliud esse uouere religionē cum proposito perseuerandi, aliud uerò uouere ipsam perseuerantiam. Prior enim modus uouendi non obligat ad perseuerantiam, sed solum posterius. Hinc meritò late probat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 9. n. 8. & 9.* uotum hac, uel aliquo huiusmodi uerborum forma emissum, id est, uoueo ingredi religionem, & in ea perseuerare non esse interpretandum, ut uouens renunciet iuri suo, egrediendi scilicet à religione, si eam non sibi gratam experiatur, sed interpretandum esse, ut intēdat se obligare ad non dimittendum religionem sine iusta, & rationabili causa; quia

2 uotum ex communi DD. sententia quantumuis absolutum appareat, intelligendum est iuxta formam iuris, nisi aliud fuerit expressum. Et est memorię tenendum, quando non sumus in claris de intentione uouentis, pręsumēdum esse uotum obligare solum ad ingressum, & non ad perseuerantiam, ut aliàs dictum est.

3 At esto satis constet de expressa uouentis intētione, qua se obligauit ad hanc perseuerantiam, dico, duplicem esse circa hoc uotum sententiam. Prior est Soto *de iust. lib. 7. q. 2. art. 1. col. 20.* Arrag. *2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. solutionē,* & Ledes. *tom. 2. tract. 10. c. 3. dub. 7. conc. 4.* qui nihil interesse putant inter uotū perseuerandi, & uotū ingrediendi religionem, ac proindè existimant hoc uoto obstrictum non obligari ad amplius, quàm qui solū uouit ingredi. Ducuntur, nā sicut qui uouit ingredi religionem intēdit emittere hoc uotum secundum formam iuris, nempe obligando se ad religionē absolutè, sed sub conditione à iure concessa. Ità eodem prorsus modo quantumcunq; quis expressè intendat perseuerantiam, semper profitentē semper subintelligitur illa conditio, ut uotum emittat secundum formam iuris, experiendi scilicet religionē cum libertate exeundi, si eam sibi gratam, & accommodam non inuenerit. Ergo nullum discrimen est inter hęc uota. Hanc opinionem existimat Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 5. n. 40.* esse probabilem, & iuxta eam si nouitius tali uoto obstrictus religionem relinquat, à uoti obligatione remanet omninò liber, accedente tamen iusta, seu rationabili egressus causa in superiori dubio declarata.

Po-

4 Posterior opinio, quæ uerissima est, & communis inter DD. docet magis obligare uotum perseuerandi, quàm ingrediendi religionem; nam uotum perseuerandi habet materiam à uoto religionis distinctam, eo quòd uouens nedum ingressum, sed etiam perseuerantiam promisit; Et ideò promittendo perseuerantiam eo ipso renunciauit iuri concedenti egressum religionis anno probationis, cui renunciari potest, ut habetur in iure *c. ad Apostolicam, de regular.* Et quamuis hoc correptum sit per Tridentinum *sess. 25. c. 15. de regular.* id tamē habet solum locum, ne ualeat professio ante annum nouitiatus expletum. Vndè non abstulit facultatem cedendi suo iuri mediante uoto simplici, cuius cessionis uigore nouitius gaudere non ualeat libertate exeundi eo anno, sed profiteri debeat. Et ità colligitur expresè ex declaratione sacræ Congregationis, cui propositum fuit hoc dubium; an scilicet ex mente Tridentini *sess. 25. c. 15. de regular.* liber sit à uoto perseuerandi in religione, qui intra annum recedens reuertitur ad seculum. Quæ respondit, hoc decretum Concilij nihil disposuisse de uoto, cum professio non sit ualida ante expletum probationis annum. Tenent hanc opinionem D. Thom. *2. 2. q. vlt. art. 4. corpore*, Caiet. *ibi dub. 1.* Hostien. *in sum. tit. de voto num. 16. in fine* Sum. Astens. *2. p. lib. 6. tit. 47. art. 8. q. 3.* D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 2. §. 4.* Rosella *tit. religio 3. num. 5.* Angel. *tit. nouitius, nu. 12.* Armilla *num. 10.* Syluest. *religio 2. q. 19.* Nauar. *c. 12. num. 47. & lib. 3. cons. 7. 26. & 35. in 2. edit.* Azorius *p. 1. lib. 11. c. 22. q. 8.* Lopez *p. 1. instruct. c. 45.* Lessius *vbi supra*, Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 16. num. 81.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 4. per totum*, & alij. Ex rationibus habitis patet responsio ad contrariæ opinionis rationes.

5 Sit ergo conclusio, nempè ob rationes allatas, & propter auctoritatem tantorum Doctorum minimè licere ei, qui uotum perseuerandi emisit, egredi è religione, etiam si intercedat causa in superiori dubio declarata iusta, & sufficiens ad liberandum à uoto ingrediendi tantum religionem: quia ex dictis satis probatum est, hanc causam non esse sufficientem ad auferendam huius uoti obligationem. Et quia tenetur in religione profiteri, si exeat, cogitur iterum, & ad ingressum, & ad professionem.

6 Limitatur conclusio primò, ut locum non habeat in eo, qui ratione alicuius impedimenti perpetui non est receptus, uel à reli-

gione post susceptum probationis habitum expulsus; Nam in tali uoto subintelligitur omnino hæc conditio, si à religione accepretur. Quinimmò si aliquo laboret impedimento essentiali tenetur aperire illis, ad quos spectat receptio, vt uisum fuit *disput. 6. dub. 1.* Præterea iuxta Sanchez *num. 35.* & Suarez *num. 7. post medium* potest eisdem Patribus repræsentare causas suas, dispositionem, & auersionem à religione quam sentit post emissum uotum: dummodò bona fide hæc omnia explicet, quatenus melius, & prudentius de sua admissione deliberari possit, sitq; paratus superare pro uiribus auersionem, & amplecti religionem, si recipia-

7 tur. At si ob impedimentum duntaxat temporale non admittatur, eo cessante tenetur iterum petere ingressum; Et si causa impedimenti procedit ex parte ipsiusmet uouentis tenetur illam auferre, si potest; puta addiscere, si grammaticam benè non possideat.

8 Limitatur secundò, vt locum non habeat in eo, qui adeò grauem difficultatem in obseruantijs regularibus experitur, vt prudenter censeatur voti obligationem cessare ratione impossibilitatis, vel ineptitudinis eiusdem vouentis, vt benè notat Lessius *vers. quartò qui vouet circa finem*; quia tunc causam egressus sufficientem habet. Idem dicendum, si aliquam magni momenti difficultatem in religione inueniat, quam in emissione voti inuincibiliter ignorabat, vt aduertunt Sanchez *num.* 82. & Suarez statim citandus. Verùm cessante postea eo impedimento tenetur eandem religionem, vel aliam ingredi iuxta sui voti obligationē, vt benè subiungunt ijdem Doctores.

9 Limitatur tertiò quoad eum, qui post experientiam prudenter iudicat, se non posse moraliter seruare talem statum, quin sæpius grauiter delinquat. Ità Suarez *c. 4. num. 12.* Qui meritò subiungit, idem esse asseuerandum etiam si non iudicet statum illum futurum sibi esse occasionem ruinæ, si moraliter, & prudenter intelligat sibi non esse futurum medium ad maiorem perfectionem acquirendam, sed potius obstaculum, id enim satis est, vt non obligetur tali voto, quia votum quodlibet est de meliori bono.

10 At hic oritur difficultas, an Episcopus facultate gaudeat dispensandi in huius voti perseuerantia. Respondeo affirmatiuè, quia

non

non dispensat in uoto, sed in uoti circunstantia, ut in superiori dubio uisum est, & ita in proprijs terminis loquũtur Hostiensis *in sum. de voto num. 16. fin.* Sanchez *vbi supra c. 40. num. 75. & lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 18.* & Lessius *vbi supra.* Quare si nouitius dispensatus fuerit ante ingressum, superueniente postea in probatione causa iusta in superiori dubio declarata egredi licitè poterit. Si uerò ex dicta iusta causa dispensetur post egressum, non tenetur iterum ingredi religionem. At si absq; iusta causa recesserit, non poterit Episcopus cum eo dispensare, ne iterum ingrediatur, sed solum dispensare poterit in circunstantia perseuerantię, ut dictum est. Nota tandem, uigore priuilegij Benedictinis concessi, prout retuli *dub. 1.* posse per Prælatum dispensari nouitium in hac perseuerantia.

DVBIVM IV.

An Nouitius tempore probationis ad præcepta, obligationesque regulæ teneatur, ex eo, quod voto Religionis est obstrictus.

S V M M A R I V M.

1 *Responsio negatiua ad propositam quæstionem.*
An teneatur ad recitandas horas canonicas, qui vouit suscipere sacros Ordines.
2 *An teneatur ad præcepta regulæ obseruanda, qui se ad hoc speciali intentione in voto Religionis obligauit.*
3 *An qui infrà annum probationis tria Religiosorum vota emisit, teneatur postea ad eorum obseruantiam, si è Religione egrediatur, vel eÿciatur.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Qui uotum solum ingrediendi, aut perseuerandi in religione emisit, neque in seculo, neque in religione probationis tempore tenetur ad præcepta obligationesque regulæ obseruandas. Et est ratio, quia id uotum ad aliud non obligat, nisi ad ingrediendum, uel ad perseue-

randum

randum in religione. Et quemadmodum non tenetur ad horas canonicas recitandas qui uouit suscipere ordines sacros, nisi fuerit verè ordinatus.Ità pari ratione non tenetur ad præcepta, oneraque regulæ qui uouit suscipere religionis statum, nisi illum per solemnem professionem suscipiat. Ità Soto *de iust. lib. 7. q. 2. art. 1. col. 17.* Sayrus *in claui regia lib. 6. c. 9. num.* 23 *&* 24. Thesaurus *6. 2. f. 126.* & Suarez *tom. 3. disp. 69. sect. 2 dub. 1.*

2 Limitatur conclusio, vt locum non habeat in eo, qui speciali intentione se obligauit nedum ad ingressum religionis, sed etiam ad præcepta regulæ obseruanda; quia obligatio voti extenditur iuxta vouentis intentionem. Verùm si apertè non constet de tali intentione, dicendum est in dubio teneri tantum ad ingrediendum.

3 Hic est notandum, nouitios aliquando indiscreto feruore ductos emittere priuatim ex se tria vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Quæ quidem vota non constituunt verum religiosum, eo quòd nec ea publicè fiunt, nec à religioue admittuntur. Quare ijs vinculis non obstantibus gaudet religio sua libertate eos dimittendi, nisi sint idonei. In casu verò, quo vel ipsi discedunt, vel religio eos dimittit, si causa iusta, & rationabilis egressionis adest, liberi remanent ab ijs votis, vt aduertit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 2. c. 4. num.* 10. *ad finem*, nisi forsan in eis emittendis expressam habuissent intentionem se obligandi in vita puta ad castitatem.

DVBIVM V.

An Nouitius tempore probationis teneatur implere vota, quibus est astrictus.

SVMMARIVM.

1 *Votum aliud personale, aliud reale, & aliud mixtum.*

2 *Quæ vota personalia ante, vel post susceptionem habitus emissa, possint suspendi à Prælato Regulari, & quando non, num.* 4. *& num.* 6.

3 *Quam iurisdictionem habeat Prælatus Regularis in Nouitios.*

5 *An dentur aliqua vota personalia, quæ sint ipso iure suspensa probationis tempore.*

7 *An nouitius ad sæculum rediens teneatur seruare vota personalia, ut suspensa in Religione.*

8 *An vota realia suspendantur per Religionis ingressum.*

9 *An vota mixta.*

1 RESPONDEO, præmittendum esse, votum diuidi in personale, reale, & mixtum. Personale dicitur, vbi promittitur, quod personã solã attingit, vt ieiunare, orare, non ludere, vel quid simile. Reale appellatur, quo res aliqua externa promittitur, vt facere eleemosynam, vel quid simile. Mixtum dicitur, quo aliquid & personale, & reale promittitur, vt peregrinatio cum oblatione, seu eleemosyna.

2 His prænotatis sit prima conclusio. Vota personalia ante, vel post susceptum probationis habitum emissa, quæ opera religionis, vel ordinẽ illarum impediunt, vel nimium religionis onus aggrauant, suspendi possunt per Superiorem regularem quoad exequutionem pro illo probationis tempore. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. 7. num. 12. & c. 11. num. 8.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 40. dubit. 13. num. 80. & dubit. 16. num. 107.* & Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 33. num. 32.*

3 Probatur conclusio; nam cum nouitius sit tunc commissus regimini Prælati religionis, idem Prælatus habet in eum omnem iurisdictionem necessariam ad hunc finem, vt ipse nouitius probare valeat religionem, & religio eundem nouitium. Est quidem valdè necessarium hac facultate gaudere Prælatum moderandi scilicet alia opera, vel onera, quę impedire possunt exercitia religionis, vel illa reddere onerosa, ne hac occasione, vel difficiliora reddantur religionis exercitia, vel omittenda sint propter peculiaria

4 votorum opera. Et quia hæc ratio non militat in alijs votis personalibus, quæ religionis exercitia non impediunt, aut onus religionis non aggrauant, non potest Superior ea suspendere, ut votum simplex castitatis, aut aliud simile votum, puta seruandi præcepta diuina, vel ecclesiastica, vel ea, quæ in regula præscripta sunt. Quia verò Palud. 4 *dist. 38. q. 4. art. 3. concl* 3. *num. 33.* D. Anton *2. p. tit. 11. c. 2. § 8. not. 2.* Sylucst. *tit. votum 4. q. 7. dict. 3.*

Lo-

Lopez *p. 1. instruct. c. 48. in princ.* & Sayr. *in claui regia lib. 6. c. 10. num. 15.* dicunt, nouitium à voto personali excusari, videntur docere, omnia hæc vota tempore probationis suspendi, vt expressius inquit Sayr. nihilominus ob rationem allatam dicendum est, eos loqui de illis duntaxat votis, quæ impedire, vel aggrauare possunt religionis exercitia, vt dictum est.

5 Ampliatur conclusio primò; Præfata vota, si vnà cum religionis operibus obseruari nequeant, nedum possint à Superiore suspendi, vt dictum est, sed eo probationis tempore sunt ipso iure suspensa, & quasi sopita. Et est ratio; quia cum sint impeditiua maioris boni, quod est exequi religionis opera; constat ex se non obligare, vt benè docent Palud. D. Anton. Syluest. Lopez *modò citati* Azorius *p. 1. lib. 11. c. 17. q. vlt. & c. 19. q. 21.* Rodriquez *p. 2. sum. c. 91. num. vlt. & tom. 1. q. 25. art. vlt.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 14. num. 21.*

6 Ampliatur secundò. Licèt nequeat Superior suspendere memorata vota personalia, quæ regulæ exercitijs non obstant, vel nimium non aggrauant, vt visum est in conclusione: potest tamen aliquando contingere casus, vt hæc quoq; vota suspendi possint ab eodem Superiore. Exempli gratia, si nouitius astrictus esset uoto recitandi horas canonicas, vel quid simile exequendi præscriptum etiam à regula, & causa huius voti afficeretur tot scrupulis, vt ineptus ad religionis opera redderetur, tunc integrum esset Superiori suspendere tale votum, vt benè notat Sanchez *num. 33.*

7 Ex hac cõclusione infertur, si nouitius ad seculum redeat, teneri seruare præfata vota, si ad illud tempus relata sint: secus verò, si pro isto tempore tantum essent obseruanda; quia existente eo in probatione per præfatam suspensionẽ tollerentur. Ità Lopez, Lessius, & Suarez *in 2. & 3. tom. vbi supra.*

8 Secunda conclusio. Vota realia ob religionis ingressum non suspenduntur, sed ea soluere debet nouitius, vt tenent DD. præsertim Palud. D. Anton. Syluest. Lopez, Azorius, Lessius *in locis citatis*, & alij. Intelligi debet hæc conclusio, dummodo nouitius possit ea soluere, quia ob eius impotentiam suspenduntur, & possunt etiam commutari in religionis exercitia, vt dubio sequenti dicetur.

9 Tertia conclusio. Vota mixta suspenduntur quoad partem personalem: quo uerò ad partem realem adimpleri debent eo modo, quo dictum est in proxima conclusione.

DVBIVM VI.

An integrum sit Prælatis regularibus vota Nouitiorum irritare, dispensare, & commutare.

SVMMARIVM.

1 *An Prælati Regulares possint irritare vota Nouitiorum ante, vel post susceptionem habitus emissa.*

2 *An possint dispensare, & commutare hæc Nouitiorum vota de iure communi.*

Quam iurisdictionem habeat Prælatus Regularis in Nouitios.

An possit eis concedere litteras dimissorias ad Ordines.

An Nouitij fruantur priuilegijs Religionis.

3 *An Prælati Regulares possint dispensare, vel commutare vota Nouitiorũ ex priuilegio.*

4 *An dispensare, commutareque vota etiam pœnalia quoad pœnam pecuniariam.*

5 *An super quinque vota communi vsu Papæ reseruata.*

6 *An & quomodo vota personalia, quando probationis anno non suspenduntur, possint commutari à Superiore Regulari.*

7 *Item an & quomodo vota realia.*

8 *Quæ cautiones obseruandæ à Prælato Regulari commutante vota Nouitiorum.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima: Certum est, Prælatos regulares facultate minimè gaudere irritandi directè vota nouitiorum. Ità Nauar. *c.* 12 *num.* 65. & communiter DD. maximè recentiores; Et est ratio, quia deest in nouitio subiectio ratione voti obedientiæ, in qua fundatur hæc directa irritatio. Intelligitur conclusio de votis ante, vel post habitum probationis assumptum emissis.

Limi-

Limitatur conclusio, ut locum non habeat, si nouitius in emittendo voto expressa intentione se obligaret ad rem promissam hac conditione, si Prælatus, vel Magister suus id probauerit; quia tunc perspicuum est, tale votum à præfatis irritari posse.

2 Quoad dispensationem, & commutationem controuertitur inter Doctores, an Superiores regulares hac facultate fruantur. Azorius *p.1. lib.11.c.19.q.21.* Sayr. *in claui reg. lib.6. c.11. nu.92.* Suarez *tom.2. de relig. lib.6. de voto c.11. nu.9.* & alij sustinent partem negatiuam. Quę probatur primò, quia Pręlatus religionis non habet simpliciter iurisdictionem Episcopalem in nouitium, sed tantummodo regimen illius pro tali tempore, & ob talem finem. Secundò, si nouitius ordinari vellet, nequaquam liceret Pręlato religionis ei litteras dimissorias concedere. Tertiò, cum nondum sit professus, priuilegijs religionis non gaudet. Ergo Superior religionis non potest dispensare, neq; commutare vota nouitiorum. At contrarium censetur probabilius.

Sit ergo secunda conclusio, integrum esse Pręlato regulari dispensare in votis nouitiorum, Et idem dicendum est de commutatione; quia qui potest dispensare, potest etiam commutare. Ità Henriquez *lib. 7. de Indulg. c.22. num. 7.* Rodriquez *tom. 1 q.25. art.8. & p.2. sum. c.91 num. vlt.* Lessius *lib.2. c.40. dubit.13. n. 8c.* Sanchez *in præcept. decal. lib 4. c.39. num.17.* & Bonacina *de legib. disp 4. q.2. p.7. §.4. num.27.* Probatur primò, quia licèt ipse Prę-latus non habeat potestatem dominatiuam in nouitium, eo quòd ei non subest ratione voti obedientię, habet tamen in illum potestatem Ecclesiasticam, ut docet Nauar. *c.12. num.6; circa medium, & lib.2. cons.5. de foro compet.* Quod confirmatur à Salas 1. 2. *disp. 14. sect.5. fin.* allegante Vasquez, qui meritò inquiunt, à Pontifice permutari iurisdictionem Superiorum temporalium, & Ecclesiasticorum, qua obstringebantur nouitij manētes in sęculo, in Superiorum regularium iurisdictionem. Secundò, quia est probabilius, nouitios priuilegiis professis concessis frui, ut infrà probabitur. Ex ijs patet responsio ad primam, & tertiam rationem contrarię opinionis. Ad tertiam respondet Sanchez *num.21.* concedens non posse Pręlatum regularem concedere nouitijs litteras dimissorias, eo quod plus requiritur ad hanc potestatem, quam ad dispensandum.

2 Am-

3 Ampliatur conclusio primò: Prælatus regularis nedum potest iure communi dispensare, & commutare vota nouitiorum, verum etiam eandem facultatem habet virtute priuilegiorum; Quia nouitij non debent dijudicari inferioris conditionis, quàm sint seculares. Si ergo Mendicantes, & alij regulares facultate gaudent dispensandi, & commutandi vota secularium, multò magis eadem auctoritate potiuntur circa vota nouitiorum. Et ità docent Azorius, & Sayr. *vbi supra*.

4 Ampliatur secundò, vt ab eisdem Prælatis regularibus dispensari, commutariq; possint vota etiam pœnalia quoad pœnam pecuniariam. Exempli gratia, si nouitius vouisset, se non lusurum sub pœna elargiendi eleemosynam duorum aureorum, & sæpè violasset hanc obligationem, hęc pœna multorum aureorum, quorum est debitor idem nouitius, dispensari, commutariq; potest per Superiorem non solum ad tollendam obligationẽ futuram, sed etiam præteritam soluendi scilicet illam pecuniam, vt validissimis rationibus probant Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. 20. num. 19.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 15. num* 14. *& in præcept. decal. lib. 4. c. 52. à num. 10.* & Bonacina *de legib. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 18.* contra Nauar *lib 3. cons 32. de voto in 2. edit.* Graff. *p. 1. decis lib. 2. c. 28. n. 5.* & Sayr. *in claui regia lib. 6. c. 12. num. 20.*

5 Limitatur conclusio quoad dispensationem quinque votorum vniuersalis Ecclesiæ consuetudine Summo Pontifici reseruatam: idest quoad dispensationem uoti religionis, castitatis, peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum D. Petri, & D. Pauli, Hierosolymitanæ, quod uotum uocatur ultramarinum, & Compostellanæ ad inuisendum D. Iacobum. Ità Rosella *tit. votum 5. num. 2.* Syluest. *votum 4. q. 3. dict. 4.* Tabiena *tit. dispensatio num.* 11. Soto *de iust. lib. 7 q. 4. art. 3. col. 4.* Armilla *tit. dispensare num. 16. & 17.* Nauar. *c. 12. num. 75.* & communiter Doctores. In aliquibus tamen casibus hæc vota dispensari, commutariuè possunt à Superioribus Pontifice inferioribus, qui casus notantur à Sanchez *c. 40. à num.* 24. At quoad rem nostram facit, tempore probationis suspenduntur hæc uota, ut in superiori dubio dictũ fuit; & postea in solemne professionis uotum commutãtur, ut infra suo loco dicetur.

6 Ex dictis infertur, uota personalia, quæ eo probationis anno non

non suspenduntur, eo quòd religionis exercitia non impediunt, nec nimium aggrauant, commutari posse à Superiore, uel à nouitiorum Magistro in alia religionis opera. Et quia in religionibus, præcipuè in nostra exercendi sunt nouitij in quampluribus austeritatibus, & exercitijs, censeo ut plurimum melius esse fieri hanc commutationem, quàm adimpleri hæc uota, ne iugum religionis eisdem nouitijs, quam par sit, reddatur durius, & difficilius. Exempli gratia uotum recitandi die Sabbati Coronam gloriosissimę Virginis Mariæ commutari potest in Officium Clericorum, uel laicorum, quod eadem die nouitius soluere ex regula debet. Votum pariter ieiunandi die Sabbati, uel altero hebdomadæ die commutari potest in ieiunium die Veneris à regula præscriptum. Quinimmò ab eodem nouitio fieri potest hęc commutatio in rem apertè meliorem, & utranq; huius illationis partem docet Rodriquez *p.2.sum c.91.num.10* Miranda *in Manual. Prælat. tom.1. q.25. art.7. post medium*, Lessius *lib.2.c.40.dubit.13.num.80.& dubit.16.num.*
7 *107.& Sanchez c.33.num.41.* Et hoc intelligitur non solum de uotis personalibus, sed etiam realibus; quia cum per ea nullum ius sit acquisitum tertio possunt eodem modo, quo personalia commutari, & maximè à Prælato, ut notant Lessius, & Sanchez *c.33.n.41.* Excipiuntur quinque uota reseruata, de quibus dubio sequenti discutietur, an in rem apertè meliorem, & præsertim in uotum religionis commutari possint.

8 Hic notari oportet, hanc commutationem duplici modo fieri posse. Primò, si uotum habeat tractum temporis successiuum potest fieri commutatio in religionis opera pro tempore tãtùm, quo nouitius stat in probatione, ita ut si ei contingat casus recedendi, prior obligatio resurgat: Secundò fieri potest absolute in religionis exercitia; At cum hæc sint incerta, eo quòd nouitius gaudet libertate egrediendi, & quia etiam quamplura extra religionem difficilè exequi possunt, præscribenda sunt ei opera, quæ in casu egressus, in seculo impleri possint, & uoto ęquiualeant. Et notandum, nullam desiderari causam, si commutatio fiat in rem apertè meliorem: secus uerò si in rem inferiorem, & etiam ęqualem: sed tunc sufficit leuis causa in commutatione ęquali, maior uerò in inferiori.

Du-

DVBIVM VII.

An quinque vota reseruata commutari possint in rem manifestè meliorem.

SVMMARIVM.

1 *Responsio negatiua ad propositum dubium.*
2 *An vota reseruata possint commutari in votum Religionis.*
Exponitur c. scripturę de uoto.
Votum Religionis aliud simplex, aliud solemne.

1 RESPONDEO hac conclusione. Hęc quinque uota reseruata cõmutari non possunt sine auctoritate Pontificis in alia opera etiam manifestè meliora; Quia Pontifex reseruauit sibi hoc iudicium, an expediat commutatio; Et ideò tollitur inferioribus quęcũq; facultas ea commutandi, ut sustinent Sot. *lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. col. 4. vers. at verò quando*, Suarez *tom. 2. de relig lib. 6. de voto c. 21. n. 17.* Sanch. *in pracep. decal. lib. 4. c. 52. n. 4.* & Bonac. *de legib. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. n.* 14. contra Arragon. *2. 2. q. 88. art. 12. dub. 1.* Sayr. *in claui reg. lib. 6. c. 12. n. 14.* & alios. Vndè neq; etiam unum ex ijs uotis reseruatis potest in aliud euidenter melius permutari.

2 Obijcies, hanc conclusionem non habere locum saltem in uoto religionis, in quod omnia uota commutari possũt, eò uel maximè quia hęc commutatio non fit ab homine, sed ex ui iuris *c. scriptura, de voto*; Et ideò Caiet. *in sum. tit. votum c. vlt.* Nauar. *c. 12. n. 78.* Sayr. Arragon. *in locis citatis*, Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. c. 14. n. 22.* & alij docent quodcumq; aliud votum permutari posse in religionis uotum. Respondeo. Cum duplex sit uotum religionis, aliud simplex, aliud uerò solemne, prętatum *caput scripture* uidetur loqui nõ de uoto simplici, sed solemni: quod ex eo sumitur, quia ait, licitum esse quodcumq; temporale uotum in perpetuam religionis obseruantiam commutare. Cum ergo sola simplex promissio religionis non possit dici perpetua religionis obseruantia, patet, caput illud loqui de assumptione status religiosi per professionem: & ita docent Sanchez *num. 6.* Bonacina, & Suarez *tom 2. de relig. lib. 6. de voto c. 21. num. 18.* sibi contrarius.

DI-

DISPVTATIO VNDECIMA.

In hac disputatione agendum est de anno probationis Nouitiorum, ac proindè quāplures huius materię difficultates enucleandę sunt. Sed in primis operę pretium esse duxi, hic referre Decreta Sacræ Congregationis Concilij Tridentini iussu S. D. N. Vrbani VIII. edita, in quibus Constitutiones, & Decreta Clementis VIII. ad regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atq; institutionem spectantia innouantur. Quæ Constitutiones, & Decreta ab omnibus Regularibus obseruari exactè debent, prout districtè præcipit eadem Sacra Congregatio sub pœnis in ijsdem Constitutionibus contentis.

DECRETA SACRAE Congregationis Concilij S. D. N. VRBANI PAPAE VIII. IVSSV EDITA.

De Regularibus Apostatis, & Eiectis.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illorumq; scandala summouere, & succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, req; diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, infrascripta Decreta edidit.

Ac primò, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps nè serantur in vinea Domini, censuit, esse innouandas, & Sanctiss. mi authoritate innouat Constitutiones, & Decreta generalia sanct. mem. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atq; institutionem spectantia, districtèq; præcipit Generalibus, atq; alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque, vt obseruentur, efficiāt, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud, quo decernitur, nè in Conuentibus, seu Monasterijs ad Nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis Nouitij ad habitum vllatenùs recipi possint, nisi priùs à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expresè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem Decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout, authoritate Sanctissimi Domini Nostri, absoluit, atq; exemit.

Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumq; regularis rectà se trāsferat ad arctiorem. Quod, vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

Rursus statuit, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus cōsignari, secundum regularia instituta puniendi, vtq; ipsi quoquè Superiores teneantur eos perquirere, ad religionem educere, atq; efficere, vt apprehendantur; salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa *Decreto Concil. cap. 3. sess. 6.* Quòd si Apostatę huiusmodi citrà montes infra quatuor, vltrà montes verò infra octo menses à pręsentis Decreti publicatione inchoandos, sua spontè ad suam quisque Religionem redierit, tùm pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atq; impunitatem assequantur. Ita tamen, vt debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam

fate-

fateri, atq; emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.

Ad hæc, vt in posterùm è Religionibus nullus legitimè professus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm cõcurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Cõstitutionibus cuiusq; Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verùm etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindèq; vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne cõtagione pestifera plurimos perdat, tanquàm pecus morbida, ac membrum putre eijci tàndem possit, sed ab ipsomet Generali tantùm de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumq; non nisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Intereà tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrãdam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Sic verò eiecti, quandiù non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindèque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Cõgregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum suorum ferè in profandũ malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Iesus Christus

 in

in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedãt, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extrà Religionem degentes sint perpetuò suspẽsi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorũ facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremò censuit, esse innouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat *Constitutionem fel. rec. Gregorij Noni* relatam *in c. fin. extra de regul.* ac prætereà declarat, eam Constitutionem in ijs quoq; vendicare sibi locum, seruandamque esse, qui iustè, diffinitiuèque, ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodò tamẽ in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis Sacra Congregatio seriò onerauit.

Ne qua verò difficultas in suprascriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio Sanctissimo Domino nostro annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Cõmissarijs, Ministris, Pręsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque aliis Superioribus quorumcunq; Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbiq; locorum existentium iniungit, serióq; mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurẽt in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcũque Monachorũ, ac Regularium vbiq; locorum existentibus, efficiantque vt tàm Decreta supradicta fel. rec. Clementis VIII. quàm pręsentes Ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorũ aduersus ea, quæ superiùs suprascripta sunt, vel eorum aliquid, quo quo modo facere, vel moliri pręsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuę inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque huiusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sed Apostolicę reseruata, ijsdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate

testate penitùs interdicta, & nihilominùs sit irritũ, & inane quicquid secus à quoquam actũ extiterit. Non obstantibus Constitutionib. & Ordinationib. Apostolicis in fauorem quarũcunq; personarũ, atq; Ordinum tàm Mendicantiũ, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nũcupatis sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habens quibus quò ad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuri specialiter, & expresse Sanctitatis suæ authoritate derogat, cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ die 21. Septembris 1624.

C. Card. de Torres.

Locus ✠ sigilli.

Prosper Fagnanus Sacræ Congreg. Secr.

DE-

DECRETA GENERALIA

FEL. REC. CLEMENTIS PP. VIII.

Ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem, atq; institutionem spectantia alias facta, & publicata.

De Nouitijs ad habitum Regularem, & professionem non admittendis, nisi in Conuentibus designandis.

CLEMENS PAPA VIII.

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimum iuxta nostri muneris debitum laborare non desistimus, illud inprimis magnum impedimentum afferre quotidiano vsu compertum est, quòd in omnibus Conuentibus, ijs præsertim, qui maiori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes, passim recipiuntur. Vndè fit, vt quò magis Nos varijs Constitutionibus malè affectas radices amputare studemus: eò magis in dies deprauata, infructuosaque eiusmodi nouiter profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, præsenti Decreto statuimus, districtèq; præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, cæterisque Superioribus Conuentuum intra Italiæ, & Insularum adiacentium fines existentium quibuscunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in Conuentibus auctoritate nostra propediem in vnaquaque Prouincia designandis. Insuper sancimus, vt quò ad eiusmodi Conuentus, vt præfertur, per Nos deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Nouitiorum, siue ad habitum, siue ad professionem omninò abstineant. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad

alia

alia imposterum obtinenda, se nouerit incurrisse; ac alijs etiam poenis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegijs, Statutis, & consuetudinibus quibuscunque in contrarium minimè obstantibus. Dat. Romæ die 12. Martij 1596.

RENOVATIO,

& ampliatio eiusdem Decreti.

De Nouitijs ad habitum Regularem non recipiendis, nisi in Monasterijs, & locis designandis.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. cum iamdudū animaduerteret collapsæ Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimùm, iuxta sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quòd in omnibus Monasterijs, & Conuentibus, ijsque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis varijs Constitutionibus malè affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa noniter profitentium germina quotidie succrescant: cumq; ob Zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque Religionis institutum redigendi, districtè prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profitereturuè, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius regularis obseruantia, secundùm reformationem à Sanctitate Sua institutam introduci: Quia tamen, non obstante tali prohibitione, cognouit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate Sua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non perueneris, receptos, & admissos, præter mentis suæ sensum; Idcircò huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decre-

cretum Sanctitatis suæ irritum reddatur; Nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscunque cæterisque Superioribus Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum quocunque nomine appellentur intrà Italiam, & Insularum adiacẽtium fines existentium, quorumcunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia, necnon Capuccinorum Sancti Francisci, Reformatorum Sancti Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Foliensis, Cistercienfis Ordinis, ac Eremitarũ Eremi Camaldulensis, & Montis Coronę, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sãcti Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum infirmorum, respectiuè Ordinibus, Societatibus, seù Congregationibus nuncupatis quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.) Ne sub cuiusuis licentię, & facultatis impetratę, vel impetrandę obtentu, nisi per literas in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec etiam conuersos nisi in Conuentibus, monasterijs, & Domibus auctoritate eiusdẽ S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitati suę receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post pręsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò eijcere debeant.

Superiorem autem qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quę tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuę, & perpetuę inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorũ, qui contra huiusmodi Decreti admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & monasteria à se probata pro Nouitiorũ receptione, & educatione, hactenus permissione sua constituerint.

Cæteras verò licentias siue particulares, quę in hanc diem effectũ non sunt sortitę, reuocat, & annullat.

Vult

Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum ita prędictorũ singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, priuilegijs, statutis, & constitutionibus quibuscunque in contrarium minime obstantibus. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, die 20. mensis Iunij 1599.

DECRETA

PRO REFORMATIONE REGVLARIVM, Tàm Monachorum, quàm Mendicantium cuiuscunq; Ordinis, & Instituti.

CLEMENS PAPA VIII.

3 *NVllus omninò prætextu cuiuscunq; priuilegij, vel superioritatis etiã Generalatus, à seruitio Chori cẽseatur immunis nisi pro tẽpore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cũ Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs tãtum diebus, quibus eos legere, aut prędicare cõtigerit dispensare possint; Idem quoq; præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum regulæ, & constitutionum, alimenti etiã si opus fuerit subtractione.*

Lectio sacræ scripturæ, vel casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus in singulis Monasterijs, & Conuentibus habeatur, ad quã Fratres omnes conueniant, eaq; absoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

Quò Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs obseruentur; Præcipitur vt nullus ex Fratribus etiam si Superior sit, bona immobilia, vel immobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex cõcionibus, siue ex lectionibus, aut pro missis tàm in propria Ecclesia, quàm vbicunque celebrandis aliouè ipsorum iusto labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineo-

rum, aut piorum largitiones legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atq; cum cęteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4 Neque Superioribus, quicunque illi sint, vllo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsumfructum vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quę ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6 Qui in præmissorum aliquo deliquerit pœnas, nedum à Concilio Tridētino præscriptas, sed alias quoq; multò grauiores, Superiorum arbitrio imponendas incurrat.

7 Nulla quorumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quo minus culpę, & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint, etiamsi Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8 Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcunq; Superiorum, statuiq; paupertatis, quam professi sunt, conueniat: ita vt nihil superflui admittatur; nihil etiam, quod sit necessarium alicui denegetur.

9 Quęcunq; Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnisq; alia suppellex in aliquem commodum Conuentus locum deferātur, ibiq; ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuiq; opus fuerit, subministrari opportunè possint.

10 Omnes etiam Superiores, quicunq; illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemq; obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint vescantur, neq; singulare aliquid quo priuatim quisq; in cibum vtatur, vllo modo offerri possit: si quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

11 Superiores omnes etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro di-

stin-

stincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neq; in alios vsus, quam ratione officij sui necessarios quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conuentu commorari, eam pecunię quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad prescriptũ Regulę, & Constitutionum suppeditetur.

12 Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationem q; pecuniarum, & redditum sui Conuentus, etiã nomine Conuentus, per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdẽ Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumq; colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tanquam depositarius pecunias, ac cętera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

13 Cęterum hi tres tam impensi, quam accepti singulis mẽsibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus rerumq; vsu peritis, rationem reddant: Deinde ipsimet rursus, pręsentibus Priore, & peritis prędictis, Generali cùm aduenerint: deniq; ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omniũ, vniuersamq; suę administrationis tam publicę, quam priuatę rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicę Romani transmitti possit.

14 In vno quoq; Conuentu, Fratrum is tantum deinceps constituatur, & imposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, alijsue quibuscunq; obuentionibus in commune (vt prefertur) conferendis, commodè possit sustentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asseruentur.

15 Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hęc nostra Decreta declarare, interpretari aut relaxare vllo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus; decernentes irritum &c. Si quis autem contra presumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

16 *Nullus nisi actu legat, vel prædicet aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.*

17 *Si alicui ex necessaria causa Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine qui illi ministret cōcedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest sit laicus conuersus.*

18 *Vt omnis scandalorum & vagationis occasio tollatur Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuæ custodiendæ semper assistat, eamq; nemini Fratrum aperiat nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.*

19 *Nullus à Conuentu egredi audeat nisi ex causa, & cum socio licentiaq; singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat nisi causa probata, sociumq; exituro adiungat, nō petentis rogatu; sed arbitrio suo requiratum sæpius. Licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur.*

20 *Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.*

21 *Cum autem quis in Conuentum reuertitur Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actū sit diligenter perquirat.*

22 *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore duntaxat licentiam in scriptis impetrauerint.*

23 *Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturum etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos qui supradictos admiserint, & receperint sine vlla exceptione locum habeant.*

24 *Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.*

25 *In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat.*

26 *Nullus etiā Superior cellas siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusq; vnica cella eadem cum cæteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensa humilibus vniformiq; suppellectili (vt præseruetur) quemadmodum Religio-*

ſos decet contentus ſit. Poſsit tamē Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, ſi eorum muneris, & officij neceſsitatem id exigere cognouerit, alteram etiam cellam concedere.

27 *Cellæ ſiue ediculæ, quę extra dormitorium ſeparatim ſunt ad officinas, aut alias ad communem vſum, & commoditatem Conuentus redigantur.*

28 *Sigillatim ſuo quiſq; lecto cubet, neq; vllibi duo eodem lecto dormire poſsint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.*

29 *In priuatis cellis nulli camini permittantur: ſed omnes obſtruantur ſtatim, cardinibus etiam è parietibus conuulſis, vt res illa non ad tempus facta ſed perpetuò duratura videatur, cellis tamē Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.*

30 *Conuentus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, vt omninò is proſpectus impediatur.*

31 *Valetudinarium in ſingulis Conuentibus certo, ac ſalubriori loco conſtituatur, quod pro loci ſitu, ac Fratrum numero quoad fieri poterit, commodiſsimum eſſe poſsit, in quo Fratres omnes cum ægrotabunt curentur, nec inde niſi recuperata ſanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpoſiti ſunt omni ſedulitate, ac charitate operam ſuam præſtabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omninò deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat.*

32 *Ineatur ratio, qua ſublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuſcunq; conceſsis, degentes extra Conuentus clauſtra, ad ea quamprimum reuocentur, ne de cætero, niſi ex grauiſsima cauſa à Sede Apoſtolica probanda, huiuſmodi facultates concedi poſsint.*

33 *Nulli impoſterum ad habitum, aut profeſsionem admittantur, niſi in Conuentibus per Sedem Apoſtolicam in qualibet Prouincia deputandis.*

34 *Curent Superiores, vt conſtitutio interdicēs largitiones munerum, & præſcribens hoſpitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obſeruetur.*

35 *Vt omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caueāt omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præſertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicunq; ſecus fecerint præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra huiuſmodi ambi-*

ter institutas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunq; pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

35 In Superiorum, & Officialium omnibus electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque Electores secundum veritatem cuiusq; conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, inprimis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus & Prælaturas illi precipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, presertim quę pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouincię, saltē tres, qui admittendos ad prędicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curę sit examinare, & probare, tàm quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoscunq; Ordines, in quo seruetur Decretum Congregationis interpretum Sacri Concilij Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38 Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis quam in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiunijs, Capitulo culparum, alijsq; spiritualibus exercitijs prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur, intelligantq; super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ vt faciliorem exitum sortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, si in quolibet Conuentu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique obseruantia.

39 Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscuiusque Conuentus, in qua distinctè adnotetur quid singulis

horis

horis cuiuſq; diei quilibet Frater præſtare debeat, vt certo quoque ſigno præmonitus, maiore animi præparatione ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quæ Ordinis Conſtitutiones, his Decretis non aduerſantur, inuiolatè cuſtodiendæ erunt.

Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præſcripta non eſt, in arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationē facient, edantur) ab omnibus obſeruari poſſint, diſtrictè præcipimus Generalibus, ac omnibus alijs quibuſcunq; Superioribus ad quos hoc ſpectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum ſingulis facultate illas declarandi, & aduerſus eas vnquam diſpenſandi. Alioquin ſciant ſe in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipſo facto, & ſine vlla exceptione reſpectiuè incidiſſe.

Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obſeruatio, quoquomodo differri poſſit, aut impediri, volumus, vt poſt illorum publicationem in Conuentu, vel Monaſterio cuiuſlibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, alioſq; Ordinum Superiores, cæteroſque quoſcunque Fratres præſentes, ſtatim: reliquos verò abſentes citra montes, vnius menſis, vltra montes, trium menſium ſpatio ita arctent, ac ſi eorum ſingulis perſonaliter intimata fuiſſent.

Inſuper mandamus, quod Generales in ſingulis Conuentibus citra montes, vnius menſis, vltra verò montes, trium menſium curſu Decreta ſupradicta publicari faciant, ſub pœna priuationis Generalatus, alijſque arbitrio noſtro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 25. menſis Iunij 1599.

Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia duntaxat permiſſum eſt, Sanctitas ſua extendi ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipſe ex cauſa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiuſmodi facere valeat, declarauitq; pœnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati ſuæ reſeruatam eſſe, interdicta omninò eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. Martij 1601.

DECRETVM

FEL. REC. CLEMENTIS PAPÆ OCTAVI, Super casuum reseruatione ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.

SAnctissimus Dominus noster, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem: Ideò, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quę sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Nocturna, ac furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis quę sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciẽdum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quę sit peccatum mortalę.

Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusq; personę.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud pręterea peccatum graue pro Religionis conseruatione,

aut

aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum audire nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab ijs petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, ijque sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdã peccatis, etiam non reseruatis à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam generalis Decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut Regulis in generalibus, seu prouincialibus Capitulis editis, statutis, & constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & concessionibus quorumcunque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 26. mensis Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas sua deinceps declarauit, & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere.

FORMVLA CONCEDENDI FACVLTATEM pro Nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum reuocare maximè cuperet, regulares'q; omnes, etiam mores'q; suos ad rationem eius instituti, quod quisque professus esset, ita componere, vt qua ad votorum vim, habitum, victumq; communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissimè obseruarent generali Decreto, quod de mense Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorũ Superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut Nouitios reciperent, aut quenquam ad professionem ante admitterẽt, quàm à Sanctitate sua Monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent, in quibus obseruantia regularis vigeret. Nuper verò cum Sanctitas sua à locorum etiam Ordinarijs, quibus id muneris demandarat, certior facta, in infrascriptis Monasterijs, & Conuentibus Ordinis N. præfinitus in esse numerum duntaxat eorum, qui vel ipsius Monasterij censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commodè possunt, atq; in ijs omnia fideliter obseruari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta, nempè castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vnà cum cæteris decretis particularibus, vel instituti ipsius, vel Pontificis etiam ad victum, vestitumq; communem spectantibus (ipso Decreto vt supra edito, & promulgato, nequaquam obstante) potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis Nouitiatus in infrascriptis Monasterijs, & Conuẽtibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atq; ad professionem admittẽdi, modo tamen id ad præscriptum instructionis iussu suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea est suæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monasterijs, & Conuentibus, ad alendos Nouitios præfinitis, regularis obseruantia perpetuò retineatur mandat & præcipit, vt in ipsis præscriptus iam personarum numerus in posterũ seruetur, nullus'q; omninò Superior cuiusuis conditionis, personarum, & Nouitiorum numerum augere præsumat, ea pœna proposita, vt in omnibus priuatis officijs, vocis actiuæ, & passiuæ ius omne amittat. Voluit etiam Sanctitas sua huiusmodi facul-

tatem

sa item per Congregationem Reformationis Apostolicæ hoc Decreto Secretarij manu subscripto concedi non obstāte Decreto, vt supra promulgato. Dat. Romæ die ... Præscribitur verò numerus Sacerdotum ... Clericorum ... Nouitiorum ... Conuersorum autem ...

N. Visitationis, & Reformationis Apostolicæ Secr.

DECRETVM

SVPER FORMA RECIPIENDI NOVITIOS Regularium ad habitum, & professionem.

S*anctissimus in Cristo Pater, & Dominus Noster Dominus Clemens Diuina prouidētia Papa VIII. qui alias pro Regularis disciplinæ restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdā exceptis) prohibuit ne ad Regularem habitum nouitios in posterum reciperent, receptosúe ad professionē admitterent, quousq; in aliquibus cuiusuis Ordinis Monasterijs, seu Conuentibus (in quibus nouitiatus pro recipiendis, & educandis nouitijs designarentur, & approbarētur) ad eius quam professi sunt, Regulæ præscriptū, vitam, moresq; restituerent, & componerent; certior deinde factus quosdam omnium fere Ordinum Conuentus, seu* Monasteria *ad pristinam illam regularem viuendi formam, & disciplinam, quam diutius desiderauerat, fuisse redacta: in eisdē Monasterijs, & Conuentibus, vt nouitiatus erigi, nouitijq; recipi possent, (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, vt licentia a Congregatione Reformationis Apostolicæ prius obtēta esset) concessit, & ad illa designauit, & approbauit. Nunc volens, vt ea, quæ pro nouitiorum receptione, & institutione de mandato Sanctitatis suæ præscripta fuerunt, in posterum accuratius, & exactius obseruentur, vltra formam traditam in Cōstitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis suæ super receptione nouitiorū decreuit, ac præsentis Decreti virtute mandauit, ne in Conuentibus, seu* Mona*sterijs ad nouitios recipiendos, de Sāctitati suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbādis, nouitij ad habitum recipi vlla-*

vllatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa congregatione, vel à propriys locorum ordinariys, aut ab illis, in quorum diœcesi nouitiatus existũt, in quibus nouitij recipiẽdi fuerint, expresse, & nominatim nouitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam cõcedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas sua eosdem ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationẽ, scientiã, vitam, & mores, cæterasq; qualitates in ipsis nouitijs requisitas, obseruentur instit utiones pro illis recipiendis ab eadem Cõgregatione reformationis facta, & publicata, neq; aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant: Ordinariorũ ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbauerint, vel admitti permiserint, qui nõ sit idoneus, & iuxta Constitutiones, & institutiones prædictas approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcunq; ordinum, qui in admittendis ad habitum, & professionem nouitijs formam constitutionum, & institutionum prædictarum nõ seruauerint, aut nouitium aliquem quãtumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio conuentu, & loco, seu monasterio, præterquam in hactenus à sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis, & approbatis, seu imposterum designandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorũ singulis præscriptum, seu præscribẽdum receperint, vel admiserint seu alias præmissis quouis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens quicquid secus, vel alias quauis auctoritate à quouis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscunque &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die 19. Maij 1602. Pont. eiusdem S.D.N. anno vndecimo.

INSTITVTIONES SVPER RECEPTIONE, & educatione nouitiorum religiosorum Monasterijs, & Conuentibus designatis, vel designandis Clementis eiusdem iussu editæ.

CVm ad regularem disciplinam in singulis religiosorũ monasterijs propagãdam, nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria, & nihil ad grauẽ illam, ac laudatissimã priscorum Patrum viuendi rationem relaxãdam maiorem vim habuisse compertum sit, quàm vel nimiã in recipiendis nouitijs facilitatem supra numerũ quem capere, atq; alere monasteria

steria ipsa possent, vel negligentiã in probando et examinando eorũ spiritu, an verè esset ex Deo, atq; ex precipuo desiderio illi inseruieñi, vel deniq; incuriã in eis educandis, atq; instruendis. Idcirco, vt huic sinodi incommodo deinceps occurratur, precipitur omnibus, & singulis ad quos spectat, vt in recipiendis nouitijs, & in eorum institutione, atq; educatione, necnon in magistri, & aliorũ ministrorum electione, preter alia, quæ in sacris Canonibus, & Decretis presertim Cõcilij Tridentini, Pontificijs, & cuiuscunq; ordinis, aut instituti constitutionibus cõtinetur, tam in alias designatis, quàm nũc, et imposterũ ad hoc designandis monasterijs, et conuentibus; hec quę sequũtur, inuiolatè obseruari, et exequi perpetuò curẽt.

Primum, quòd attinet ad nouitiorum recipiẽdorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quę habenda erit de uniuscuiusq; natalibus, corporis habitudine, moribus, & vitæ anteactæ, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ętatis sue annum excedent, an criminosi, an ere alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam constitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum: illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, vt quibus in monasterijs, & cõuentibus, ex Apostolica facultate nouitiatus fuerint instituti, in ijs ad religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit: & conditiones sacris Canonibus Summorumq; Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, iuxta Decretum super forma recipiendi nouitios die 19. Maij 1602. editum.

Quisq; recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam mẽdicantium, in ea sit ætate constitutus, quam eius ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, & ordinationes requirunt; eam verò literarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiã præseferat, vt minores, & suis temporibus, maiores ordines, iuxta Decreta sacri Concilij Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitũ regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in conuersorum tantũm, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur. ipsi autem conuersi non recipiantur ante vigesimũ ætatis suæ annũ: & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.

Demũ Superiores diligenter exquirãt, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitę genus elegerint, quẽ sibi finem proposuerint, nũ Zelo melioris frugis, ac perfectioris vitę, et ut Deo liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducãtur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituãtur.

Pro-

Prouideant quoque, vt omnes, etiam conuersi recipiendi priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs quibus munus hoc incubit, de regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuq; regulari, & alijs eiusq; Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum conuersos ad professionem admittendos, verum, & oblatos, vt vocant recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem vnaquęque religio suas peculiares Constitutiones; specialiaq; instituta obseruare teneatur.

Statim atq; nouitii ad habitum recepti, & in locum nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionē totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quod verò ad loci qualitatem vniuscuiusque nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt professi segregatus sit, atq; distinctus, habeatq; tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erit numero nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, uel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.

In eo etiam præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciēdas, ac lectiones, instructionesq; Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, ad nouitios in spiritualibus, præsertim in cęremonijs, Ecclesiasticisq; functionibus exercendos.

Hortus quoq; peculiaris ad honestā recreationem benè conclusus, atq; munitus adsit, sin minus, hortum cęteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò nouitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum locis Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quispiam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conuentus, & Monasterii Officiali, vllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro, eiusq; socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentus Superiori, si quandocunq; ingrediendum sibi necessario existimauerit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Huius loci clausurę clauis apud Magistrum semper asseruetur, illique

soli

soli liceat ex graui tātum causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro presente, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum magistro socius si per nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad nouitiatus regimen spectant, dicto magistro immediatè subiectus existat, eliganturq; tam magister, quam socius per Prouinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca nouitiatus concedi cōtingat, tunc electionem magistri nouitiorum & socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem uel Prouincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur, idemq; seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrunque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam nouitiorū magister, quā socius ab iis omnibus officiis, oneribusq; vacationem habeant, quę nouitiorum curā, et regimen impedire valeant. Ipse magister Sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suę anno constitutus, & per decennium à professione emissa in religione perstiterit: Socius verò trigesimū annū excedat, sintq; ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitę etiam anteactę exemplo præstantes, orationis prętęrea & mortificationibus operibus addicti, prudentia charitateq; referti, nō sine affabilitate graues, Zelum Dei cum mansuetudine præseferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira presertim, & indignationis, quę in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum prębeant, vt ij, qui eorū curę subsunt, illos non tam metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.

Habere etiam magister plenam, & absolutam potestatē circa nouitiorum institutionem, ac nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentē, vt nouitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantq; pręcipuè diuinę, qua digni facti sunt, vocationis pręstantiam, & excellentiam, quę vera sit, atq; perfecta votorum solem-

solemnium, & quàm necessaria cuiusq; ordinis constitutionum obseruantia, modum in oratione, tùm vocali, tùm mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atq; procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mẽsibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumq; silentium.

Quilibet nouitius bis quotidie orationi mẽtali, & uocali incũbat unusquisq; secũdum propriam capacitatem, & ordinẽ sibi à magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisq; examinare cõtendat. Ipsi autem magistro soli nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis in anno eorundem nouitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisq; diuinis Officijs assistant.

Exercitationibus etiã corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quę in solitario loco, & commodo extra nouitiatum semel in hebdomada, uel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatq; sẽper magistro pręsente, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commorẽtur disiuncti, atq; eo tempore, cuiusq; in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

Non liceat eis durante nouitiatus, & probationis tempore, vnà cũ professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & proprijs cuiusq; necessitatibus, quæ accidere possunt, vnus ex nouitijs ipsis, ætate, moribusq; prouectior deputetur, qui absente socio, magistro permittente, omnia, prout opus fuerit agat, cui etiam ianuę custodia, & rerum leuioris momenti prouisio intra nouitiatum committi poterit.

Cùm autem, licèt Clericorum bene instituendorum cura debeat esse pręcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum

tum est; istorum etiam cum regulam profiteantur eandem, perfectā educationem tùm religioni decorem, & ornamentum, tùm alijs Christi fidelibus ædificationem exemplum, atq; vtilitatem afferre. Conuersus ipsis à Clericorum nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantū commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstātē Magistro nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum & Conuentuum iuxta cuiusq; Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantū circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, & cōmoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod vt commodius fiat ad Capitula, & spirituales conciones, quæ per Magistros nouitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis cōueniant, nisi tūc in suis officijs actualiter occupati fuerint.

Tēpore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solum religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ętatis suę annum, quo ad Clericos decimumsextum, quo verò ad Conuersos, vigesimumprimum excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Superior cuiuslibet cōuentus, in quo nouitiatus fuerit constitutus particularem librum habeat, in quo vniuscuiusq; nouitij professio registretur, illamq; nouitius professus propria manu, & duo testes qui præsentes fuerint subscribant.

Conuersus verò literarum ignarus, professus in eorundem testium qui se subscripserint, prę sentia propria manu signum Crucis apponat, asseruetur q; liber, & custodiatur in Archiuio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu conuentum pertinentes reponi consueuerunt.

Quia verò in quibusdā Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quòd licèt decretum sit, vt nouitijs educandis certa Monasteria, aut conuentus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est eos, quos prę narratis qualitatibus suffultos repererint, in suorū locorum filios iuxta cuiusq; Ordinis constitutiones adscribere, sicq; adscriptos, cū iuxta pręsentes constitutiones, & alias seruatis seruandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca nouitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, vbi tanquam dictorum conuentuum,

seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut premissum est exerceri debebunt.

Porro, ne loca vnius Monasterij, seu Conuentus ab alio preoccupentur, Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum praescribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionẽ (si opus fuerit) inire, ac singulis Conuentibus, & Monasterijs praescribere, quae magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitij iam in Professorum numerum (sicut praemittitur) recepti melius in bono spiritu, regularisque disciplinae obseruantia stabiliantur & confirmentur, mãdatur, vt statim post professionem emissam, si in Conuentibus, aut Monasterijs pro Nouitiatibus assignatis locus aderit secũdi Nouitiatus siue Professorij ab ea, quę Nouitiorum est, atq; antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat, sin minus in aliũ commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo construatur.

Ab hoc tamen illę Religiones excipiuntur, quę suarum constitutionum, seu institutorum vigore maioris temporis cursu nouos professos intra Nouitiatum detinere consueuerunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt predictis earum Constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si rationi, ac Religioni magis expedire dyudicauerint, quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam seruent antiquiores professi, ita quod in negotijs Monasteriorũ, aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neq; alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibiq; permaneant, quousq; ad aetatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt quinimmo, & debebunt literarum studijs operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum praeditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiẽdi Nouitios, nisi in locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero duntaxat in eorum singulis praescripto, vel praescribendo.

De

Denique si illi qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quouis modo contrafecerint, officiorum omnium, quę tunc obtinebunt, priuationem grauioresq; pro modo admissę culpę pœnas, se subituros certo sciant. Datum Romę apud Sanctum Petrum die 19. Martij 1603.

Ant. Seneca Reform. Apost. Sec.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimoquarto, Indictione septima, Pontificatus autem Sanctiss. D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius secundo, die verò vigesima sexta mensis Octobris, supradicta Decreta tàm Sacræ Congregationis Concilij, quàm san. mem. Clementis VIII. affixa, & publicata fuerunt ad Valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum; necnon in acie Campi Floræ, vt moris est per nos Camillum Fundatum, & Iulium Marzitellium Cursores Sanctissimi.

Brandimartes Latinus pro magistro DD. Curs.

DVBIVM PRIMVM.

An necessaria sit aliqua probatio, priusquam Nouitius ad religiosum habitum admittatur.

SVMMARIVM.

1 *An sint de iure probādi Nouitij antequam habitū regularem suscipiant.*
2 *An de honestate.*
3 *An de mente Institutorum Ordinum.*
4 *Quid circa hoc disponant statuta Capuccinorum.*

1 RESPONDEO, ex iuribus antiquis, & precipuè ex *can. vnico, dist. 53. & can. multos dist. 54.* apertè colligi, aliquam probationē nouitiorum fieri debere, priusquam probationis habitu induātur. Et quāuis hæc iura sint quoad hanc partem reuocata vel per consuetudinē in contrarium, vel per *c. sta-*
2 *tuimus, de regular.* vt notat Gloss. *in d. c. vnico:* Nihilominus optimū consilium est experiri nouitiū, priusquam ad probationis habitum admittatur, vt ex hoc experimento feratur iudicium, an sit ei con-
3 cedendus, vel negandus habitus. Hanc fuisse intentionem Institutorum religionum nemo dubitat, vt videri potest in regulis D. Paconij *reg. 26.* D. Basilij *in reg. versa à Ruffino interrog. 7.* & D. Benedicti *c. 58.* necnon in regula DD. Serapionis, Macarij, Panuphij, & alterius Macarij, quę refertur à Smaragdo *c. 58. in reg. D. Benedicti.* Ex quo concludo, cum ex iure cōmuni non sit necessarium hoc experimentū, à quolibet Superiore, vel Magistro quoad hoc diligenter obseruari debere, vel regulas, vel statuta suæ religionis; & vbi
4 hæc desunt, obseruanda est consuetudo. Statuta nostra decernunt *c. 2.* Superiores, vel Magistros experiri debere per aliquot dies in omnibus obseruantijs nostris nouitios tam seculares, quam regulares priusquam admittantur ad habitum nostrum.

DVBIVM II.

An præfixum sit, quantum durare debeat probationis tempus.

SVMMARIVM.

1 *Quod tempus probationis præscripserit ius antiquum.*
2 *Et quod præscripserit Tridentinum.*
3 *An dispositio Tridentini tollatur per contrariam consuetudinem.*
4 *An comprehendat etiam Religiones militares.*
An professos transeuntes de vna ad alteram Religionem.
5 *An abrogatum sit priuilegium Leonis X. in hac parte.*
6 *Commendatur dispositio Tridentini.*
7 *An nouitius possit renuntiare dispositioni Trid. de consensu Religionis.*

Re-

1 RESPONDEO vnica conclusione. Quamuis iuxta iura antiqua diuersa constituta fuissent tempora ad nouitiorum probationem, vt benè explicat Menoch. *de arbit. iudic lib. 2. cent. 1. cas. 56. per totum.* Nam aliquando fuit eis tempus vnius anni præfixum, vt habetur *in c. Consaldus 17. q. 2. & c. ad apostolicã, de regular. & c. 1, 2. & 3. eodem tit. in sexto.* Aliquando verò duorum annorum, vt habetur *in can. Monasterijs 19. q. 2.* Et in *can. si quis incognitus 17. q. 2.* præfixum fuit spatium trium annorum. Hinc Glossa *in d. c. ad*
2 *apostolicam, verbo anni*, dixit, hoc tempus esse arbitrarium. Nihilominus nunc standum est determinationi Concilij Tridentini *sess. 25. c. 15. de regular.* decernentis, eum, qui minore tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admitti non posse, & si ante hoc tempus admittatur, de-
3 terminat professionem esse nullam, nullamq; inducere obligationem. Et ideò est notandum, nullam esse habendam rationem contrariæ consuetudinis, eo quòd hoc decretum irritans tollit consuetudinem nedum præteritam, sed etiam in futurum *c. quod super his, in fine, de consanguin. & affin. c. super eo, in princ. de cognat. spirit.* Gemin. *in c. cum beneficium. num. 6.* Franch. *num. 4. de praben. in sexto*, Nauar. *in c. cum contingat, de rescript. secunda causa nullitatis num. 12. & de spolijs §. 14. num. 2. & 3.* Anton. Gabr. *lib. 6. conclus. commun. tit. de clausulis concl. 3. num. 40.* Gonzalez *in reg. 8. cancell. Gloss. 67. num. 50.* Marta *de clausul. p. 1. clausul. 191. num. 9 vbi varias Rotę decisiones cumulat*, Couarru. *4. p. 2. c. 6. §. 10. num. 18.* & alij, quos refert, & approbat Garcia *de benefic. p. 5. c. 4. num. 179.* qui etiam in addit. refert ita dictum fuisse à Rota in vna Virdun. Parochialis 23. Iunij 1586. coram Gypsio ab eodem Garcia relata *p. 4. c. 2. num. 50.* Et in vna Cochen. beneficij de Valdeiudios 14. Nouembris 1611. coram Card. Sacrato. Et ità etiam in proprijs terminis Sacra Cardinalium Congregatio die 14. Augusti 1594. respondit, nullam scilicet rationem habendum esse contrariæ consuetudinis etiam immemorabilis, quia sublata est per *c. 22. sess. 25.* eiusdem Tridentini. Ex quo liquidò patet, tempus probationis durare debere in omnibus Religionibus, & quoad omnes Nouitios, & Nouitias per annum integrum post susceptum probationis habitum.

4 Limitatur primò quoad Ordines Militares, nã dispositio præ-

fixa

fata Tridentini non habet locum in ijs Religionibus, prout resolutum fuit à Rota *decis. 121. num. 2. coram Card. Seraph.* quæ decisio refertur etiam *p. 1. diuer. decis. 591.* & postea tenuit Sacra Congregatio Concilij Tridentini allegans dictam decisionem, vt refert Gonzalez *in reg. 8. cancell. gloss. 8. num. 54.* Verum Flam. *de resign. lib. 6. quæst. 2. num. 117. cum sequentibus* inquit *num. 120.* Milites Hierosolymitanos comprehendi sub hoc Concilij Decreto ex nouo ipsorum statuto huic Decreto adherenti. Quod etiam declarauit Sacra Cardinalium Congregatio anno 1599. die 3. Iunij hisce verbis. *Congregatio Concilij censuit, Milites Hierosolymitanos hodie debere antequam professionem emittant per annum in probatione manere, postquam eorum Constitutiones quoad hoc ad Tridentini Concilij Decreta sunt relatę, & à Sede Apostolica confirmatę.*

5 Limitatur secundò à Sorbo *tit. nouitius, de nouitiorum professione, vers. sed an requiratur,* & Pacto *c. 2. art. 15. num. 65.* existimantibus non esse contra dispositionem prefati Decreti Tridentini priuilegium Leonis X. relatum in compen. priuileg. mendicant. *tit. nouitius num. 27.* quo conceditur Prælatis Ordinum Minorum posse cum consilio Fratrum discretorum admittere ad professionem anno probationis non expleto religiosos aliorum Ordinũ venientes ad hanc Minoricam religionem. Ducuntur, quia Tridentinum intelligi debet de sæcularibus, non autem de religiosis ad aliam religionem legitimè transeuntibus. Huius opinionis fuit etiam P. Bobadilla, vt refert Miranda statim citandus.

Hæc tamen limitatio pace horum Doctorum non est admittenda; quia cum Tridentinum non distinguat inter seculares, & religiosos, sed indistinctè requirat annum probationis expletum, nec nos distinguere debemus *l. non distinguimus, ff. de arbit. l. de pretio, ff. de pub. in rem act. l. si vero, §. de viro, ff. sol. matrim.* Et ita in proprijs terminis docent Nauar. *lib. 3. cons. 61. num. 4. & cons. 66. num. 4. de regular. in 2. edit.* Emanuel Sa *tit. religio num. 35.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 13. num. 101.* Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. 11.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 47.* & Miranda *in manual. Prælat. tom. 1. q. 22. art. 2. concl. 3.* qui in calce conclusionis iure optimo inquit, per dictum Decretum Concilij abrogatum fuisse præfatum Leonis X. priuilegium. Hinc Gregorius XIII. anno 1579. Constit. 56. decreuit fieri debere annum probationis à Patribus Obseruantibus

ad suos reformatos transeuntibus. Et Constitutiones nostræ *c.2. f.10.* idem definiunt de PP. Conuentualibus, & Obseruantibus ad religionem nostram venientibus.

6 Notanda sunt tandem duo. Primùm, conuenientissimum fuisse, & quàm maximè rationi congruum præfigere hunc probationis annum. Quod quidem tempus non solùm inductum est in fauorem conuersi, seu nouitij, sed etiam religionis; vt & ille asperitates religionis, & religio mores illius valeat experiri, vt habetur in iure *c. ad Apostolicam, de regul.* dictumq; fuit à Rota *decis. 175. num. 2. p. 1. in recent.* Hinc eadem Rota *decis. 121. num. 2. coram Seraph.* dixit, intentionem finalem huius Decreti Tridentini fuisse occurrere apostasiæ, in quam facilè dilabuntur ij, qui minus consultò ac de se nullo facto experimento Religionem profitentur, & allegat *d.c. ad Apostolicam, de regular. & c. non solum, eodem tit. in sexto.* Qua-

7 re non licet nouitio etiam ex consensu Prælati, & Conuentus renunciare huic anno integro probationis, vt benè notant Nauar. *lib. 3. cons. 33. in 2. edit. de regular.* Beia *p. 4. cas. vlt. vers. tertio,* & Stephan. Gratian. *tom. 5. discept. c. 850. num. 15.*

Secundum, grauissimè peccare, qui ficto animo ingreditur Religionem, cum animo non perseuerandi in ea; quia decipit Religionem in re graui. Ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 2. c. 5. num. 15. ad finem,* & Coninck. *de sacram. & censur. disp. 20. dub. 10. in fine.* Immò egrediens tenetur ad restituendas Religioni expensas. Est etiam satis probabile, vt inquit Suarez, si postea fictum animum mutet, non computari in tempore probationis illud tempus, in quo fictum habuit animum.

DVBIVM III.

An probationis annus necessariò esse debeat continuus.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè respondetur ad quæstionem de iure antiquo, & nouo.*
2 *Certum tempus à iure præscriptum debet esse continuum.*
3 *Difficilius est perseuerare per annum continuum, quàm per partes interpellatum.*

4 In-

4 *Intermissione temporis diuersificantur mores, & opera hominum.*
5 *An continuatio temporis probationis comprehendat necessariò professionis emissionem.*
6 *An annus probationis interrumpatur, ex eo, quod nouitius dimisso Religionis habitu è Monasterio egreditur.*
7 *Et maximè si regrediatur post paucos, vel vnum diem.*
8 *Quomodo consummanda sit dimissio habitus, ad effectum interrumpendi nouitiatum.*
9 *An interrumpatur nouitiatus, si Superior absque legitima causa eijciat à Religione nouitium.*
10 *Egressio nouitij è monasterio, accedente Superioris licentia, non interrumpit nouitiatum, & num. 12.*
11 *Etiam si licentia egressionis absque iusta causa sit concessa à Prelato.*
13 *Neq; interrumpitur nouitiatus, si ob malam valetudinem maneat nouitius extra monasterium.*
14 *A quo Superiore praestanda sit hec licentia.*
Consuetudo Capuccinorum circa hoc.
15 *An interrumpatur nouitiatus, ex indebita egressione nouitij è monasterio sine licentia, habitu tamen retento.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Ante Concilium Tridentinum erat controuersia inter Doctores, an continuatio anni esset de necessitate probationis. Glossa *in reg. eũ qui certus, de reg. iur. in sexto*, & Speculat. *tit. de statu monachor. §. 1. vers. 37. num. 43.* tenuerunt, non esse necessariam, sed sufficere, si quis per sex menses stetisset in monasterio, & egressus facto aliquo interuallo iterum ad religionem redijsset, & per alios sex menses stetisset in probatione; nam ij menses posteriores coniungebãtur cum prioribus, & constituebant annum integrum. Nihilominus probabilior erat opinio contraria quam sustinebãt DD. antiquiores statim citandi: Quae quidẽ opinio omninò nunc tenẽda est post Tridentini Decretum *sess. 25. c. 15. de regular.* Ex quo non obscurè colligitur, necessariam esse hanc continuationem, vbi ait, *nec qui minore tempore quàm per annũ post susceptum habitum probationis &c.* Et ità docet Panormit. *in c. ad apostolicam num. 9. de regular.* allegãs Ioan. de Lignan. *in Clem. eos, de regular.* & Bart. *in l. interdum, §. quoties, ff. de public. in vectig.* Ità etiam Anchar. *in d. c. ad apostolicam,*

An-

Pisanus ... vers. finito vero anno, Franch. in reg. cum qui, num. 3. de reg. iur. in sexto, qui citat Nicol. in c. ad apostolicam, de regular. Lap. alleg. 47. Archid. in c. non solum, de regular. & Angel. in l. quot in stipul. ff. de verb. oblig. Ità etiam docent Angelus tit. nouitius n. 15. Syluest tit. religio 5. q. 4. Nauar. lib. 3. cons. 17. 32. & 34. de regular. in 2. edit. Palacius 4. dist. 38. disp. 1. f. 824. Emanuel Sà tit. religio num. 9. Henriquez lib. 13. de excom. c. 40. num. 2. Azorius p. 1. lib. 12. c. 2. q. 8. Graff. p. 1. decis. lib. 3. c. 5. num. 15. Sorbus tit. nouitius, de nouitiorum professionis emissione, vers. secundo est, Lessius lib. 2. c. 41. dubit. 7. num. 59. Rodriquez tom. 3 q. 15. art. 8. Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. q. 22. art. 4. Suarez tom. 3. de relig. lib. 5 c. 15. num. 3. Naldus tit. nouitius num. 4. Rota Prouinciæ Marchiæ per Gratian. in addit. ad decis. 35. num. 3. Et ità censuit sacra Cardinalium Congregatio die 17. Nouemb. 1597.

2 Probatur primò, quia iura, quæ mentionem de certo tempore faciunt, intelligi debent de tempore continuo, nisi lex specialiter contrariũ statuat, vt notat Gloss. in rub. ff. de diuers. et temp. præscrip. quam sequũtur Panormit. Nauar. cons. 17. & alij. Ergo annus probationis præfixus à Trident. esse debet continuus.

Secundò cum nouitius experiri debeat anno probationis asperitates religionis, patet, hunc annum esse debere continuum; quia intermissum tempus minuit asperitatem eiusdem probationis; Nam difficilius est perseuerare per annum continuum, quàm per partes interpolatum.

4 Tertiò quia constantia, & perseuerãtia nouitij non satis probatur per annũ interpolatum, sicut per annũ continuum; eò vel maximè quia intermissione temporis diuersificãtur mores, & opera hominum l. si non sortẽ, §. libertus, ff. de conditione indebiti, & aliquando etiã in paruo tempore magna fieri potest rerũ mutatio. Ergo &c.

5 Ampliatur conclusio, vt hæc continuatio non solum esse debeat per annũ expletum, sed etiam vsq; ad professionẽ; Et ideò completo anno, si nouitius egrederetur monasteriũ, & postea iterum rediret, professionẽ emittere nõ posset virtute præfatę vnius anni probationis, sed iterũ inchoare deberet nouitiatũ, vt colligitur ex c. 15. Trid. citato, & etiã ex c. 16. & latè probatur à Suarez à n. 8. contra Frãch. Ang. & Syluest. qui censent nõ esse necessariã continuationem probationis cũ professione: Et etiã contra Rodriq. tom. 3. q. 15.

art. 10. vers. aduertendum denique, qui idem censet circa nouitias Monialium.

6 Secunda conclusio. Tunc interrumpitur annus probationis, quãdo nouitius dimisso religionis habitu egreditur monasterium animo deserendi religionem: ita vt si postea pœniteret, iterumque reciperetur, deberet ex integro à principio inchoare nouitiatum. Hæc conclusio constat ex dictis in superiori conclusione, & est secundum mentem præfatorum Doctorum. At quia Iulius Secundus Fratribus Minoribus cõcessit tempus prioris receptionis cum tempore posterioris computari posse, vel non iuxta discretionem Superiorum, vt habetur in compendio priuileg. *tit. nouitius num. 23.* censent Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. 8. & 10. vers. aduertendum tandem*, & Sorbus *vers. sed Iulius* has interruptas partes iuxta huius priuilegij tenorem simul coniungi posse. Nihilominus contrarium est omninò tenendum, quia vigore Tridentini *sess. 25. c. 22. de regular.* hoc priuilegium est abrogatum, vt benè notat Miranda *in citato art. 4. versus finem.* Et ita etiam declarauit sacra Cardinalium Congregatio.

7 Limitatur hæc conclusio primò à Lessio, qui existimat non interrumpi hũc probationis annum per interpollationem paucorum dierum. Ducitur, quia non minus nouitius experitur religionis austeritates, si postea totidem dies, quot intermisit, suppleat. Præterea, quia paucorum dierum intermissio non impedit moralem continuationem. Idem colligitur etiam ex Nauar. *consil. 32.* Sorbo *vers. secundò est* Lorich. *in suo thesauro, tit. regular. §. 9. vers. si autem sine licentia*, & Naldo *tit. nouitius num. 4.* qui cum dicant interrumpi nouitiatum per exitum nouitij à claustro per tres, aut quatuor dies sine licentia sui Superioris, videntur docere exitum vnius, vel duorum dierum non esse sufficientem ad hanc interruptionem inducendam.

Hæc limitatio quamuis sit probabilis: nihilominus magis mihi arridet opinio Suarez *num. 6.* qui censet, si quis, dimisso religionis habitu, à monasterio recedit, eo ipso interrumpi annum probationis, etiam si paulo post intra diem pœniteat; Et est ratio; quia eo ipso amisit statum religionis, vnde indiget noua receptione, & admissione, vt possit iterum esse nouitius. Sicut ergo hęc posterior receptio distincta est a prima: ita nouitiatus incipit esse distinctus:

8 No-

8 Notandum verò ad interruptionem nouitiatus desiderari dimissionem habitus consummatam. Quod quidem dico, quia si Superior nouitium habitu probationis interueniente legitima causa expoliaret animo eijciendi eum à religione & priusquam egrederetur monasterium, idem Superior mutaret sententiam, nouitioque iterum habitum concederet, non esset vtique interruptus nouitiatus, quia actus egressionis è monasterio non fuit consummatus. Idem censeo dicendum, si nouitius velit ex se exire, proprijsque vestibus se induat, accedente etiam assensu Prælati, & priusquam monasterium egrediatur, pœnitentia ductus petat iterum habitum, & ei restituatur à Superiore. Ità colligitur ex Nauar. *cons. 32.* qui docet nouitiatum non interruptum fuisse ex eo, quod quidam nouitius animo aufugiendi se abscondit in quadam camera, vbi repertus à Superiore, & blanditijs illectus permansit in monasterio: sed expressius docetur à Suarez *num. 7.*

9 Dixi, *si Superior interueniente legitima causa expoliaret nouitium animo eijciendi eum*, quia sine legitima causa eijci non potest nouitius, vt probabitur disputatione sequēti dubio secundo. Quare si Superior absque memorata legitima causa spoliaret, eijceretque à religione nouitium, idem nouitius ius haberet reclamandi contra eundem Superiorem, ac proindè ob eandem spoliationem, & eiectionem non interrumperetur nouitiatus, & maximè si nouitius ante actum expoliationis per expressam, & legitimam protestationem eidem Superiori intimasset recursum ad Superiorem maiorem; Nam talis recursus est species appellationis, & eisdem regulis constat, quibus & appellatio; Vnde pro quouis grauamine cōceditur, immò deuoluit, & suspendit inferioris iurisdictionem. Et quicquid ab isto inferiore fit in negotio præiudiciali reuocatur per viam attentatorum, vt fusius tradunt Doctores *in rub. extr. de appellat.* Hieronym. Magogni. *decis. Lucens. 23. per tot. & decis. 37. num. 1.* Borgni. *decis. 5. num. 27. p. 1.* Cephal. *cons. 480. num. 1. lib. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 70. à num. 21. vsque ad finem*; quos refert, & approbat Galuanus *cons. 12. num. 30.* qui in proprijs terminis loquitur de nouitio absque legitima causa à quodam Priore habitu religionis spoliato, qui eidem Priori recursum ad Superiorem maiorem ante expoliationem intimauit; Vnde concludit, quicquid à dicto Priore factum fuit post dictum recursum fuisse

Oo 2 nul-

nullius valoris, ac subindè nouitium fuisse restituendum in integrum.

10 Limitatur secundò, vt probationis tempus nō interrumpatur, quamuis nouitius extra monasterium maneat cum habitu, & sui superioris licentia; quia tunc habetur pro præsente in monasterio, ac si nunquam fuisset egressus. Colligitur hæc limitatio ab Abbate antiquo *in c. cum illorum, de sent. excom.* quem refert, & sequitur Panormitanus *in c. ex rescripto num. 5. de iureiurando*, dicens, religiosum manentem extra monasterium sub obedientia superioris, & cum eius licentia videri residere intra illud. Et in proprijs terminis loquentes de nouitijs eam docent Nauar. *cons. 32.* Graffius, Sorbus, & Rodriquez *in locis citatis*, Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. q. 8.* Miranda *tom. 1. q. 27. art. 5. in concl.* Lorich. *in suo thesauro tit. regular. §. 9. vers. quartò & si*, Zanardus *in direct. Theologorum p. 2. c. 26. num. 12. vers. nota autem*, & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c.*

11 *14. num. 13.* Intelligitur limitatio etiam si illicitè, & sine rationabili causa concessa fuisset nouitio licentia, vt benè probat Suarez *num. 14. post medium*, contra Nauarrum, & alios requirentes iustam causam; quia licèt superior præstans indebitè licentiam peccet; ob talem tamen culpam non interrumpitur nouitiatus.

12 Ex hac limitatione infertur primò, non interrumpi tempus probationis, si nouitius habitu religionis indutus monasterium ex sui superioris licentia exeat causa peregrinandi ad stationes, vel ad alia loca pia, vel visendi parentes, aut cognatos ægrotantes, vel mendicandi, vel recreandi, aut alia huiusmodi causa, vt benè notant Nauar. *cons. 32. num. 3.* Graff. *p. 1. lib. 3. c. 5. num. 18.* Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. 8.* & alij.

13 Infertur secundò non interrumpi dictum tempus probationis, si nouitius ex licentia superioris ob malam valetudinem maneat extra monasterium. Ita supponunt Doctores in limitatione citati, & resolutum fuit expressius à Rota Prouinciæ Marchiæ per Gratianum *in addit. ad decis. 35. num. 2.* vbi citatur Gonzalez Mendez Vasconcell. *lib. 2. var. iur. argum. c. 15.* & idem docent Suarez, Zanardus in loco citato, & præfatus Stephanus Gratian. *tom. 1. discept. forens. c. 166. n. 14.* Et ita inuenio declarasse sacram Congregationem Cardinalium his verbis, *Hoc anno probationis durante,*

rante, si nouitia, curandę ualetudinis causa de licentia Superiorum à monasterio exierit, & postea reuertatur, eodem tempore professionem emittet perindè ac si nunquam egressa fuisset.

14 Hic duo sunt notanda. Prius. Hæc licentia præstari debet à superiore iuxta statuta, vel consuetudinem vniuscuiusque religionis. Posterius. In Religione nostra non est in vsu concedere nouitijs hanc licentiam manendi extra monasterium etiam malæ valetudinis causa.

15 Limitatur tertiò, vt non interrumpatur nouitiatus, quamuis nouitius retento habitu perterritus seueritate, vel iracundia, aut minis, seu odio Superioris, aut Magistri monasterium abditè exeat, causa se celandi, dummodo animum habeat redeundi. Et est ratio, quia nouitius in hoc casu religionem nequaquam deserit, sed se se occultat, quoad superioris iracundia, seu seueritas, aut odium cesset. Quod confirmatur; nam talis nouitius dici non potest fugitiuus à Religione, vt benè colligitur ex iuris Interpretibus *in l. quid sit fugitiuus*, §. *item apud Viuianum*, & §. *idem interrogatus*, & *in l. bouem*, §. *qui ad amicum*. *ff. de ædil. edic.* qui concludunt neminem appellari posse fugitiuum, nisi prauo animo se perpetuò celandi, & amplius non reuertendi aufugerit. Et ità in proprijs terminis tradit Galuanus *cons. 12. num. 8.* Idem dicendum iuxta Suarez *vbi supra*, si nouitius retento habitu exeat indebitè, & sine licentia clausurã, dummodò ad monasterium redire intendat, licèt causa huius egressionis culpa se commaculet, & iuxta quãtitatem & qualitatem eius puniri, vel expelli debeat. Probatur, quia sicuti idem annus probationis non interrumpitur per aliam grauem culpam à nouitio perpetratam: ità nec per hanc, nisi habitus dimittatur. Præterea sicuti professus exiens eodẽ modo monasterium non dijudicatur propriè apostata, etiam si egressio graui culpa non vacet, vt docent Syluest. *tit. apostasia num. 9.* Nauar. *lib. 5. cons. 1. n. 7. & 8. de apostatis in 2. edit.* Medina *2. 2. q. 12. art. 1. vers. tertia conclusio*, Farinac. de hæresi *q. 183. num. 83.* Galuan. *num. 9.* Duardus *in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 17. num. 17.* & alij quamplures. Ità nouitius non est propriè à religione, seu à nouitiatu segregatus, nisi animum deserendi religionem habeat.

Hęc autem limitatio intelligi debet, vt exitus extra monasteriũ nõ sit talibus circunstãtijs factus, quod probabiliter presumi possit,

nullius valoris, ac subindè nouitium fuisse restituendum in integrum.

10 Limitatur secundò, vt probationis tempus nō interrumpatur, quamuis nouitius extra monasterium maneat cum habitu, & sui superioris licentia; quia tunc habetur pro præsente in monasterio, ac si nunquam fuisset egressus. Colligitur hæc limitatio ab Abbate antiquo *in c. cum illorum, de sent. excom.* quem refert, & sequitur Panormitanus *in c. ex rescripto num. 5. de iureiurando*, dicens, religiosum manentem extra monasterium sub obedientia superioris, & cum eius licentia videri residere intra illud. Et in proprijs terminis loquentes de nouitijs eam docent Nauar. *cons. 32.* Graffius, Sorbus, & Rodriquez *in locis citatis*, Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. q. 8.* Miranda *tom. 1. q. 27. art. 5. in concl.* Lorich. *in suo thesauro tit. regular.* §. *9. vers. quartò & si*, Zanardus *in direct. Theologorum p. 2. c. 26. num. 12. vers. nota autem*, & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 14. num. 13.*

11 Intelligitur limitatio etiam si illicitè, & sine rationabili causa concessa fuisset nouitio licentia, vt benè probat Suarez *num. 14. post medium*, contra Nauarrum, & alios requirentes iustam causam; quia licèt superior præstans indebitè licentiam peccet; ob talem tamen culpam non interrumpitur nouitiatus.

12 Ex hac limitatione infertur primò, non interrumpi tempus probationis, si nouitius habitu religionis indutus monasterium ex sui superioris licentia exeat causa peregrinandi ad stationes, vel ad alia loca pia, vel visendi parentes, aut cognatos ægrotantes, vel mendicandi, vel recreandi, aut alia huiusmodi causa, vt benè notant Nauar. *cons. 32. num. 3.* Graff. *p. 1. lib. 3. c. 5. num. 18.* Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. 8.* & alij.

13 Infertur secundò non interrumpi dictum tempus probationis, si nouitius ex licentia superioris ob malam valetudinem maneat extra monasterium. Ità supponunt Doctores in limitatione citati, & resolutum fuit expressius à Rota Prouinciæ Marchiæ per Gratianum *in addit. ad decis. 35. num. 2.* vbi citatur Gonzalez Mendez Vasconcell. *lib. 2. var. iur. argum. c. 16.* & idem docent Suarez, Zanardus in loco citato, & præfatus Stephanus Gratian. *tom. 1. discept. forens. c. 166. n. 14.* Et ità inuenio declarasse sacram Congregationem Cardinalium his verbis. *Hoc anno probationis durante,*

rante, si nouitia, curandæ valetudinis causa de licentia Superiorum à monasterio exierit, & postea reuertatur, eodem tempore professionem emittet perindè ac si nunquam egressa fuisset.

14 Hic duo sunt notanda. Prius. Hæc licentia præstari debet à superiore iuxta statuta, vel consuetudinem vniuscuiusque religionis. Posterius. In Religione nostra non est in vsu concedere nouitijs hanc licentiam manendi extra monasterium etiam malæ valetudinis causa.

15 Limitatur tertiò, vt non interrumpatur nouitiatus, quamuis nouitius retento habitu perterritus seueritate, vel iracundia, aut minis, seu odio Superioris, aut Magistri monasterium abditè exeat, causa se celandi, dummodo animum habeat redeundi. Et est ratio, quia nouitius in hoc casu religionem nequaquam deserit, sed se se occultat, quoad superioris iracundia, seu seueritas, aut odium cesset. Quod confirmatur; nam talis nouitius dici non potest fugitiuus à Religione, vt benè colligitur ex iuris Interpretibus *in l. quid sit fugitiuus, §. item apud Vitianum, & §. idem interrogatus, & in l. bouem, §. qui ad amicum. ff. de ædil. edic.* qui concludunt neminem appellari posse fugitiuum, nisi prauo animo se perpetuò celandi, & amplius non reuertendi aufugerit. Et ità in proprijs terminis tradit Galuanus *cons. 12. num. 8.* Idem dicendum iuxta Suarez *vbi supra*, si nouitius retento habitu exeat indebitè, & sine licentia clausurã, dummodò ad monasterium redire intendat, licèt causa huius egressionis culpa se commaculet, & iuxta quãtitatem & qualitatem eius puniri, vel expelli debeat. Probatur, quia sicuti idem annus probationis non interrumpitur per aliam grauem culpam à nouitio perpetratam: ità nec per hanc, nisi habitus dimittatur. Præterea sicuti professus exiens eodẽ modo monasterium non dijudicatur propriè apostata, etiam si egressio graui culpa non vacet, vt docent Syluest. *tit. apostasia num. 9.* Nauar. *lib. 5. cons. 1. n. 7. & 8. de apostatis in 2. edit.* Medina *2. 2. q. 12. art. 1. vers. tertia conclusio*, Farinac. de hæresi *q. 183. num. 83.* Galuan. *num. 9.* Duardus *in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 17. num. 17.* & alij quamplures. Ità nouitius non est propriè à religione, seu à nouitiatu segregatus, nisi animum deserendi religionem habeat.

Hec autem limitatio intelligi debet, vt exitus extra monasteriũ nõ sit talibus circunstãtijs factus, quod probabiliter presumi pos-

sit, nouitium animo deserendi religionem egressum fuisse; Nam in hoc euentu nouitiatus interrumperetur, quamuis egressio facta fuisset animo redeundi ad monasterium. Quod probatur, nam quemadmodum professus tali modo egrediens, tunc præsumitur apostata; etiam si exijsset animo non deserendi religionem, quando ob egressionis circunstantias rationabiliter præsumitur exijsse animo deserendi religionem: Ità concurrentibus ijs circunstantijs minimè hæsitandum est interrumpi hoc probationis tempus: Quod maximè locum haberet, si nouitius sine iusta causa exiret, atque statim non rediret, quia tunc hæc esset vehemens præsumptio, eum deseruisse religionem.

DVBIVM IV.

An annus probationis de momento ad momentum compleri debeat priusquam professio emittatur.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua opinio.*
In fauorabilibus dies cepta habetur pro perfecta, & num. 3.
An lex curet de modico spatio aliquarum horarum, & num. 3.
Moraliter potest dici perfectum, quod parum distat à perfectione, & num. 3.
2 *Affirmatiua opinio.*
Vbicunque lex requirit certum tempus incipiens ab aliqua die determinata, computari debet de momento ad momentum.
Ætati est fauendum.
Non potest dici annus completus, nisi constet ex omnibus suis momentis.
3 *An emissio professionis sit censenda materia fauorabilis, an verò odiosa.*
4 *An professio sit emittenda post completum 16. annum de momento ad momentum.*
5 *Quomodo complendus sit annus probationis, si fuerit annus bissextilis.*

1 RESPONDEO, duplicem esse sententiam. Prior sustinet non esse necessarium, vt vltima dies anni sit completa, sed sufficere ad valorem professionis, vt nouitius manè diei, in qua

post

post meridiem impletur probationis annus professionem emittat. Ità Henriquez *lib. 13. de excom. c. 40. num. 2.* Rodriquez *tom. 3. q. 15. num. 4.* & Steph. Gratian. *tom. 3. discept. forens. c. 413. à nu. 16.* Ducuntur, quia in fauorabilibus dies cæpta habetur pro perfecta, vt ex multis probant ijdem Gratianus, & Rodriquez. Quare licèt Trident. *sess. 25. c. 15. de regular.* requirat annum probationis expletum priusquam emittatur professio, sufficit tamen in fauorabilibus ingressus vltimi diei anni, vt dictum est, quamuis non completi, eò vel maxime quia de modico spatio aliquarum horarum non curat lex tanquam de paucissimo momento, vt inquit Baldus *in c. cum in cunctis num. 3. de elect.* Et quamuis idem Baldus loquatur de punctis horarum, non de horis: attamen idem est in modico spatio horarum respectu totius diei, prout est de punctis respectu horæ, Tiraquel. *de iudic in reb. exig. ferend. col. 19. ad med. vers. sexagesimo nono bis proximum est, per tex. in l. si fundũ, vers. planè, de fund. dotal.* Bald. *in c. vlt. col. 2. vers. modo quæro, de præscript.* & Fenut. *de moment. tempor. c. 33. in fine.* Præterea quia moraliter potest dici perfectum, quod parum distat à perfectione, vt quampluribus allegatis in casu simili probat Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 16. num. 4.*

2 At posterior opinio, quam sequi debemus, sustinet, annum de momento ad momentum esse necessariò complendum. Primò, quia Tridentinum *loco citato* ponit initium cõputationis anni probationis, idest à die assumptionis habitus, & vbicunque lex requirit certum tempus incipiens ab aliqua die determinata, computari debet de momento ad momentum, vt habetur expressè *l. 3. §. minorem, ff. de minoribus*, vbi decernitur, ætatem minoris esse incipiendam de momento, ad momentum, & Gloss. *ibi verbo momentum* dicit, hunc esse ætatis fauorem, cui ætati est fauendum. Et ità docet Anton. Hom. *in l. 72. Tauri num. 25.* qui alios refert, vt testatur Sãchez *l. 2 disp. 24. num. 16.*

Secundò, quia Concilium Tridẽtinum loquitur per dictionem *per annum*, quæ adiecta implemento temporis significat perfectionem, vt inquit Socinus *in l. non putabam in princ. ff. de condit. & demonstrat.* Et non potest dici annus completus nisi constet ex omnibus suis momentis, vt benè notat Bald. *in c. cum vigesimum in fine de offic. deleg.*

3 Ter-

Tertiò, quia cum in professione nouitius se obliget, & obligatio significet odium, apertè cōstat, hunc casum non esse circa materiam fauorabilem, vt voluit prior opinio, sed circa odiosam; Et ideò rationes dictæ prioris opinionis procedunt in ijs duntaxat, quæ fauorem respiciunt, puta in vsucapionibus, in testamentis, in libertatibus, in honoribus consequendis *l. & ideò, de vsuc. l. de ætate, de testam. l. ad Rempublicam, ff. de munic.* At quando agitur de re odiosa, vel præiudiciali puta *in l. Aelia Sentia. in l. Iulia, de adult.* in præscriptionibus, in deneganda restitutione, computatio fit de momento ad momentum, nec sufficit ceptum esse diem vltimum, nisi exactus sit *l. 3. citata, §. minorem, ff. de minor. & l. in omnibus, de actio. & obligat.* Alciatus *in l. anniculus, ff de verbor. signif.* Cuiac. *in d. §. minorem, & in l. 5. ff. qui testa. fac. poss.* Tenent hanc opinionem B. F. Hugo *c. 2. col. 4. vers. finito anno probationis*, Pisanus *c. 2. col. 5. vers. finito verò anno probationis*, Grafhus *tom. 1. lib. 3. cons. 6. num. 2. de regular.* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 7. num. 59.* Politius *c. 2. num. 76.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 24. nu. 22. vers. cæterum credo*, Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 15. num. 1.* Sorbus *tit. nouitius, de nouitiorum professionis emissione, vers. sexto notandum*, Zanardus *in direct. Theologor. p. 2. c. 26. num. 12. vers. nota autem*, Crousers *lect. 3. § monitos etiam, in c. 2. f. 88.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 22. art. 3.* Thesaur. *c. 2. f. 111.* Pactus *c. 2. art. 15. nu. 68.* & ita colligitur ex-
4 pressè ex Rota *p. 1. decis. 175. n. 7. in recent.* quæ cū resoluat nullam esse professionem emissam ante completum de momento ad momētum sextumdecimū annum, idem iudiciū ferret in casu nostro, quia rationes quę militant pro vno, militant etiā pro altero casu.

5 Notandum tandem, si nouitius compleat probationis annū die 24. Februarij anno bissextili, non dici expletum hunc annum nisi secunda die, quæ etiam appellatur 24 idest 25. die. Quare emittere non potest professionem nisi eadem die 25. in pūcto dici 24. Februarij præcedentis anni, in quo suscepit habitum. Et est ratio, quia vtraq; dies pro vna habetur in iure *l. 3. §. minorem, ff. de minor. l. cum bis sextus, ff. de verbor. signif. & c. quæsiuit, eod. tit.* Et ideo dies secundus est complementum anni probationis. Ita Molina *tom. 2. disp. 573. §. atq; vt à minori ætate*, Sanch. *vbi sup. vers. similiter credo*, Rodriq. *in art. 4. citato, & etiam art. 5.* Lessius *vbi sup. vers. hinc sequitur* Graff. & Miranda, quicquid dicat Thesaurus *vbi supra*.

Tu-

DVBIVM V.

An annus probationis prolongari possit.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*
2 *Potest prorogari nouitiatus ex iusta causa.*
A iure antiquo non est recedendum, nisi vbi per nouum expressè corrigitur.
Quæ iusta causa censeatur prorogandi nouitiatum.
3 *Exponitur Tridentinum sessione 25. c. 16. de regular.*
Quorum nouitiorum non possit prorogari nouitiatus.

1 RESPONDEO rationẽ huius dubij consurgere primò ex eo, quod disponit Trident. *sess. 25. c. 16. de regular. vt* scilicet *finito tempore nouitiatus superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eijciant.* Secundò ex *c. 2.* regulæ nostræ, vbi est obligatorium recipi ad obedientiam nouitios expleto probationis anno.

2 Hoc præmisso sit conclusio. Completo probationis anno prolongari potest nouitiatus interueniente aliqua iusta, seu rationabili causa ad differendam professionem; vt si nouitius nondum expleuerit tempus sexdecim annorum, quod omninò requirit Concilium Trident. priusquam ad professionem admittatur: vel si non benè didicerit, quæ necessario discenda sunt: vel si non sufficienter satisfecerit in probatione; vel si quid obstiterit ad rectam suorum bonorum dispositionem, vel si quid simile intercesserit. Ratio huius conclusionis est, quia à iure antiquo non est recedendum, vt benè inquit Nauar. statim citandus, nisi quatenus per nouũ expressè receditur ab eo. Cum ergo ante Tridentinum hoc liceret, & esset in vsu, & consuetudine, sequitur, & nunc licere.

3 Quod confirmatur, nã dispositio Trident. & regulę nostrę intelligitur de illis duntaxat nouitijs, quos superiores elapso probationis anno habiles inuenerint: nõ verò de illis, qui tunc ob aliquã ex narratis causis inhabiles cẽsuerint, & probabilis spes habetur, eos

moderato temporis interuallo habiles euasuros. Ità docent Nauarrus *lib. 3. cons. 30. de regular. in 2. edit.* Graffius *p. 1. decis. lib. 3. c. 5. num. 16.* Emanuel Sà *tit. religio num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dubit. 7. num. 59.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 13. num. 8.* & alij, & præsertim Corduba *c. 2. q. 11. p. 2.* Sorbus *tit. nouitius nouitiorum professionis emissione, vers. sexto notandum*, & Politius *c. 2. num. 76.* qui loquuntur de obligatione regulæ nostræ. Nonnulli inquiunt desiderari in hac prorogatione nouitij assensum, quem supponunt cæteri Doctores, eo quod totò probationis tempore nouitius libertate perseuerandi, vel recedendi gaudere debet. Præfata conclusio corroboratur declaratione sacræ Congregationis Cardinalium, quæ declarando hæc Concilij verba *Superiores nouitios &c.* dixit: *Hæc verba respiciunt tantum ad habiles, non autem ad inhabiles. Et ità ex licentia Sanctissimi Domini Nostri explicante hunc textum Illustrissimo Cardinali Carauellanensi, censuit Congregatio sub die 19. Iulij 1570. quod dictum tempus nouitiatus est arbitrarium.*

4 Ex hac conclusione infertur primò, differri non posse professionem illorum nouitiorũ, quos superiores expleto probationis anno habiles inuenerint, quia omninò admitti debent ad professionem vi tàm iuris communis, quàm Tridētini, vt iure optimo probat Galuan. *cons. 12. à n. 1 vsq; ad 23.* Et ità intelligunt Nauar. & alij DD. modò citati. Immò in nostra Minorum religione admitti debent etiam ui regulę, vt visum est. Secundò, nouitios esse eijciendos, quorum non habetur spes probabilis euasuros esse idoneos interuallo moderati temporis ad arbitrium superioris, puta trium, vel quatuor, vel ad summum sex mensium. Et vt plurimum hæc spes haberi non potest de nouitijs callidis, inobedientibus, pertinacibus, vel alijs huiusmodi vitijs irretitis.

Notandum tandem, præfatam prorogationem viuæ vocis oraculo concessam fuisse religioni nostræ existente iusta, vel rationabili causa, vt referunt Sorbus, & Politius.

DVBIVM VI.

Quas pœnas incurrant Religiosi recipientes nouitium ad professionem ante completum tempus à iure statutum.

SVMMARIVM.

1 *Pœnæ inflictæ Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, qui ante annum probationis elapsum, quempiam ad professionem admittunt.*
2 *An dictæ pœnæ extendantur ad alios Ordines Mendicantes.*
3 *An vltra dictas pœnas incurratur peccatum mortale.*
Quæ requirantur ad incurrendas dictas pœnas.
An eas incurrant solum Prælati, an etiam singuli religiosi, qui suffragati fuerunt in tali admissione.
4 *An dictæ pœnæ extendantur ad Religiones non Mendicantes.*
5 *Quod peccatum sit recipere ad professionem nouitium ante 16. annum completum.*
6 *An dictæ pœnæ, maximè suspensionis modò sublatæ sint post Tridentinum.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Religiosis Ordinum Prædicatorum, & Minorum districtius inhibetur in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis, ne ante annum probationis elapsum quempiam ad professionem admittant. Quod si fortè aliquem non expleto hoc anno recipere præsumant, ipso facto suspenduntur à receptione quorumlibet ad professionem suæ religionis, & puniri debent pœnis, quæ Fratribus eiusdem Ordinis pro culpis grauioribus infligi consueuerunt. Ità habetur expressè in iure *c. non solum, de regular. in sexto*, & confirmatum est à quampluribus Doctoribus, quos cumulat, & sequitur Sayrus *de*
2 *censur. lib. 5. c. 7. n. 14.* Extenditur hæc inhibitio ad omnes Mendicantes, prout patet *c. constitutionem, de regular. in sexto.*
3 Circa hanc inhibitionem notandum est primò, à transgredientibus eam lethaliter delinqui, vt inquiunt communiter Docto-

res. Secundò, præfatam suspensionem non incurri, nisi intercedat dolus in admittendo ad professionem quempiam ante expletum probationis annum iuxta tradita *disp. 7. dub. 5.* quia hæc pœna non imponitur, nisi præsumentibus facere contra huius canonis tenorem. Cui pœnę subijciuntur nedū Prælatus recipiens ad professionem, sed etiam singuli religiosi, qui in tali receptione suffragium dederūt, vt resolutum fuit à Rota *decis. 108. lib. 1. penès Puteum, & notatur* à Suarez *tom. 5. disp. 31. sect. 6. num. 6.* Tertiò, non incurri ab eis excommunicationem, eo quòd non imponitur ipso facto incurrenda. Quartò, non incurri à memoratis irregularitatē, si non obstante hac suspensione admitterent aliquem ad professionem; quia irregularitas solum incurritur, quando suspensus ab ordinis actu illum exercet, admissio autem ad professionē non est actus ordinis. Ità Dominicus *in d. c. non solum, num. 10.* Rosella *tit. nouitius num. 6.* Angelus *n. 4.* Tabiena *n. 5.* Syluest. *religio 3. q. 17.* & alij.

4 Hæc conclusio locum non habet in religionibus non mendicantibus, vt visum est. Verumtamen recipientes in eis religionibus nouitium ad professionem ante expletum probationis annum labe lethali se commaculant, quia contra Tridentini *sess. 25. c. 15. de regular.* præceptū faciunt, vt inquit Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 7. n. 59. vers. sextò*, & animaduersione debita sunt corrigendi, vt deciditur *c. ad apostolicam, §. prohibendum est, de regular.* idest arbitrio Iudicis,

5 vt inquit ibi Glossa. Idem dicendum est de recipientibus ad professionem nouitium ante sextumdecimum annum completum, quia est contra id, quod decernitur in eodem Tridentino in loco citato.

6 Nota tandem. Quamuis probabile sit, præfatam suspensionem habere locum etiam post Decretum Concilij Trident. allegatum, in quo expresè decernitur professionem ante tempus ibi præfixum emissam vim obliāgdi non habere: quę tamen professio olim obligabat in genere religioni, vt habetur *in citato c. non solum*. Nihilominus probabilius censetur nunc post Tridentinum hanc suspensionem ablatam esse, vt benè probat Sanchez *in precept. decal. lib. 5. c. 4. num. 10.* Cui opinioni fauent nonnulli Doctores ab eodem Sanchez relati *lib. 3. de matrim. disp. 2. à n. 5.* cum eo latè

7 probantes, pœnas olim matrimonio clandestino inflictas, dū illud erat validum, cessasse post Tridētinum, eo quòd id matrimonium

clan-

clandestinum irritum reddidit. At estò dicta suspensio sit in suo robore, dico nihilominus tales religiosos suspensos posse absolui, atque rehabilitari uigore priuilegiorum à suis Superioribus, ut dictum fuit à Rota *decis.95.coram Puteo lib.1.*

DVBIVM VII.

An de substantia nouitiatus sit, nouitium tempore probationis deferre peculiarem suæ Religionis habitum.

SVMMARIVM.

1 *Duplex opinio circa titulum. At secunda est tenenda.*
2 *Exponuntur* can.legem,dist.53.can.multos,dist.54. & can.vlt. 17. quæst. 2.
3 *An delatio habitus nouitiorum ab habitu professorum distincti sit de essentia nouitiatus.*
Exponitur c.statuimus de regular.
4 *An Minores adstringantur ex præcepto Regulæ induere nouitios secũdum eiusdem Regulæ dispositionem.*
Quæ forma habitus præscribatur nouitijs in Regula Minorum.
5 *Quando talis dispositio Regulæ possit dispensari à Prælatis Religionis.*
An talis dispensatio facta sine causa vitiet nouitiatum.
Quæ protestatio facienda nouitio habitum professorum deferenti, ne tacita professio inducatur.

1 RESPONDEO triplici conclusione. Prima. Quamuis Panormitanus *in c. super eo, num. 7. & c. porrectum num. 7. de regular.* & alij doceant, satis esse nouitium in habitu seculari probari, quod suaderi potest per ea, quæ habentur in iure *can. legem dist. 53. can. multos, dist. 54. & can. vlt. 17. quæst. 2.* Nihilominus omninò tenendum est, de substantia nouitiatus esse, nouitium tempore probationis habitum suæ religionis induere. Primò, quia inter austeritates, & difficultates, quas experiri debet Nouitius, vna est delatio habitus suæ Religionis. Secundò,

dò, quia hoc uidetur decidi expresè à Trident. *sess. 25. c. 15. de regular.* dum decernit, annum nouitiatus numerandum esse à die susceptionis habitus. Tertiò, quia ità obtinuit consuetudo in qualibet religione. Et ità docent Glossa *in d. can. legem, verbo in suo, in can. final. verbo habitus 17. q. 2. & in c. super eo in fine, de regular.* Ioan. And. *in d. c. super eo ad finem, & ibi* Antonius, Hostien. *in sum. tit. de regular. num. 8. ad finem,* Præpositus *in can. legem, dist. 53. num. 7.* Angel. *tit. nouitius num. 16.* Tabiena *num. 11.* Syluest. *religio 5. q. 5.* Rodriq. *tom. 3. q. 15. art. 9* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. q. 9.* & Miranda *in Manual. Prælat. tom 1. q. 22. art. 6.*

2 Ad iura in contrarium adducta respondetur primò, ea vsu contrario esse aboleta. Secundò, cum dicunt nouitium probandum esse in veste laicali, pro hac veste intelligenda est vestis, idest habitus nouitiorũ, quę vestis differt ab ea, quę datur professis: Ità Glos. *in c super eo, verb. in eadem veste, de regular.*

3 Intelligitur conclusio, vt de essentia nouitiatus sit, eundẽ nouitium probandũ esse in habitu propriæ religionis; Vndè licèt nouitius deferre debeat habitum, quo regula, vel statutum, aut consuetudo cuiuscunq; religionis vult vti: nõ est tamen de substãtia anni probationis nouitium induere habitum nouitiorũ ab habitu professorum distinctum, vt ex Doctoribus modò citatis apertè colligitur, & latè probatur à Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 14. num. 10.* Nam ad substantiam probationis sufficit, nouitium habitu seculari spoliari, vestirique habitu, vel nouitiorum, vel professorum illius religionis, quã ipse ingreditur: Quidquid dicat Thesaur. *c. 2. f. 106.* volens debere nouitium iure communi deferre habitum à professis distinctum, qui citat *c. statuimus, de regular.* Sed ibi nihil ad rem nostram dicitur, sed decernitur, vt in religionibus, vbi non distinguitur habitus nouitiorum ab habitu professorum, benedicantur tempore professionis vestes, quæ profitentibus conceduntur.

4 Secunda conclusio. Quia text. regulæ Minorum *cap. 2.* vult, Ministros concedere debere nouitijs pannos probationis; Hinc est, vt habetur in Clem. exiui, § *item quia prçter ea, in fine, de verbor. signif.* præceptorium esse eisdem Ministris induere nouitios indumentis à regula præscriptis, duabus videlicet tunicis sine caputio, cingulo, brachis, & caparone vsq; ad cingulum. Quod confirmatum

tum est à Cord. *c. 2. q. 10. p. 1.* Politic. *c. 2. n. 68.* Thesauro *c. 2. f. 106.* & alijs. Illud verò notandum, has duas tunicas à regula non præscribi, vt ambas nouitij toto probationis tempore deferre teneantur; quia tempore æstiuo duabus se induere tunicis nimium durum esset: sed præscribuntur, vt vestimentū necessarium, ita vt non valeāt nouitij plures tunicas habere, quamuis accedente graui necessitate dispēsari possint à superiore instar professorum ad plures pannos, aut tunicas habendas.

5 Limitatur hęc conclusio, vt Ministri possint aliquando dispensare nouitios quoad caparonem. Quod Expositores colligunt ex ijs regulę verbis: *nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur*, & ità declaratur in Clem. exiui *in loco citato*. Non est tamen tutum Ministris dispensare super hoc ad libitum, & secundum propriam voluntatem, vt benè notat B. F. Hugo *c. 2. col. 3. fin.* sed vt dicit regulę textus *secundum Deum*, idest interueniente aliqua graui causa, vt benè docent idem B. F. Hugo, Pisanus *c. 2. col. 4.* Corduba *c. 2. q. 10. p. 2. vers. secundò notandum*, Politius *num. 69.* Thesaur. *c. 2. f. 107.* & communiter Expositores. Quinimmo D. Bonauent. *hic* inquit, istud nouitiatus insigne paucissimis esse concedendum, quia crescente hominum uanitate, non est mirum, si humilitas minuatur. At estò concedatur nouitio habitus professorum absq; causa, & cum culpa: dico tamen non esse de essentia nouitiatus deferre habitum peculiarem nouitiorum, sed sufficere delationem habitus professorum, ut uisum est in prima conclusione.

6 Hic notandum, Ministris tantùm concedi ex regula hanc dispensationem; Et ideò iuxta Cordubam *vers. vbi notandum primò*, Politium *num. 68.* Thesaur *f. 107. ad fin.* & Crousers *lect. 3. vers. ex hac occasione, in c. 2. f. 87.* si alicui facultas recipiendi nouitios concedatur, non ob id censetur concessa ei auctoritas dispensandi circa caparonem, nisi hoc ei specialiter exprimatur; quia in generali concessione non ueniunt ea, quę non esset quis uerisimiliter in specie concessurus *c. in generali, de reg. iur. in sexto*, pręsertim in materia odiosa, quę militat contra ius, qualis uidetur hęc in proposito. Nihil minus iure optimo idem Corduba, & Politius subiungunt, standum esse consuetudini, quę est optima interpres cuiuscunque dispositionis Rota *dec. f. 507 n. 2. & decis. 1410. n. 5. coram Seraph.*

& in

& in pluribus alijs decisionibus in p. 1. & 2. recent.

9 Tertia conclusio. Quia etiam post Concilium Tridentinum induci potest professio tacita ob delationem habitus professorum elapso probationis anno, vt infrà fusius declarabitur, si casus contingeret concedendi alicui nouitio habitum professorum, deberet ille vtiq; expresse protestari, nolle ob talis habitus susceptionem ad aliquam religionem obligari. Si verò id facere nollet, a Ministro tunc coram testibus fiat ei protestatio, quod ex tali habitus professorum concessione nullum ei ius acquiritur in Ordine, donec expressè ad solemnem professionem admittatur, quamuis etiā annus probationis transierit: De hac protestatione dicetur fusius *disput. 13. dub. 8.*

DVBIVM VIII.

An nouitius promoueri ad Ordines possit.

SVMMARIVM.

1 *An nouitius possit promoueri ad Ordines. Duplex opinio.* *Exponitur* can. Monasterijs 19. q. 3.

2 *Quis Episcopus habeat concedere literas dimissorias nouitio, vt legitimè ordinetur.*

3 *An possit eas concedere Prælatus Regularis.* *An Abbates, qui possunt conferre ordines minores suis subditis Regularibus, possint quoque nouitijs.*

1 RESPONDEO duplicem esse sententiam. Prior negatiuam partem tenet, dicens nouitium neque ad primam tonsuram promoueri posse. Quod probat ex *can. Monasterijs 19. q. 3.* vbi interdicitur monasterijs eos tonsurare, quos ad conuersionem susceperint, priusquam biennium in conuersione compleant. Ità Rosel. *tit. nouitius num. 31.* Angel. *num. 20.* Tabien. *quæst. vlt.* Armil. *num.* 18. Syluest. *tit. religio 5. q. 10.* & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 2. quæst. 13.*

Posterior sententia, quam probabiliorem censeo, tuetur partem affirmatiuam, quia nullo iure interdictum est nouitio ordinari pos-

se, & tex. à priori opinione allegatus nõ loquitur de ordinibus suscipiendis, sed de receptione ad habitũ religionis, ad quam voluit ibi D. Greg. præcedere bienniũ probationis. Ità Henriq. *lib. 14. de irregular. c. 9. n. 2. & in cõment. lit. F. & lib. 7. de indulg. c. 22. n vlt. in comment. lit. L. & lib. 10. de sacram. ordin. c. 23. n. 3. & in comment. lit. G.* Suarez *tom. 5. disp. 50. sect. 5. n. 13. & in tom. 3. de relig. lib. 5. c. 16. n. 17.* Rodriq *tom. 1. q. 13. art. 4. in fine,* & Sanchez *in præcept. decal. lib. 6. c. 10. n. 19.*

2 Sed à quo Prælato dependeat, seu habere debeat nouitius facultatẽ, & literas dimissorias, quatenus legitimè ordinetur, Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. num. 94. de regular.* allegato Lapo, Anchar. Franch. & Tiraquel. putat hoc spectare ad Episcopum, in cuius diœcesi est nouitius in probatione, idem docet Sanchez *num. 21.* Henriquez verò *lib. 10. de sacram. ordin. c. 23. num. 3. in comment. lit. F.* & Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. c. 12. num. 9. & in tom. 3. vbi supra*, censent probabilius esse id pertinere ad Episcopum, in cuius diœcesi domicilium habebat, quando ingressus est religionem. Verùm vtraque opinio est valdè probabilis, vt est videre apud hos Doctores.

3 Ex quo sequitur, nouitium non indigere licentia superioris religionis, quia ei non se subiecit quoad hoc. At si ad ordines accederet absq; præfati superioris religionis assensu, sufficiens indiciũ præberet, se velle religionem deserere: aut forsan sufficientem præstaret causam expellendi eum à religione; quia talis actio esset grauis deordinatio contra disciplinam regularem, nec careret culpa graui, non verò mortali.

Dixi *non indigere licentia superioris ad hoc*, quia cum idem superior tempore probationis iurisdictionem non habeat quasi Episcopalem absolutam in nouitium, sed magis limitatam ad finem tantùm probationis, spectat ad Episcopum conferre ei literas dimissorias, vt visum est. Si verò Religio gauderet priuilegio mittendi suos subditos ad quoscunque Episcopos causa suscipiendi ordines, est probabile, integrum esse superiori religionis conferre nouitio hanc licentiam, literasq; dimissorias, vt à quocunq; Episcopo ordines susciperet. Ita Suarez, & Sanchez: Et est ratio, quia satis probabile est nouitios frui priuilegijs professis concessis, vt infra dicetur.

4 At quæritur, an Abbates, qui facultate gaudent conferendi suis subditis ordines minores, possint illos conferre nouitijs. Partem affirmatiuam sumitur ex Glossa *in c. Abbates, verbo conuolauerint, de priuileg. in sexto*, eamq; sustinet Suarez *tom. 4 de relig. tract. 8. lib. 2. c. 29. num 12.* per tex. *d. c. Abbates, & c. cū contingat, de ætat. & qualit.* & refert tenere expressè hanc opinionem Rebuffum *in practica p. 1. c. de clericis num. 18.* Nihilominus probabilius censeo tali facultate non gaudere. Ita tenuerunt ante Concilium Trident. Ioan. And. Gemin. & Lap. *in d. c. Abbates*, quos refert, & approbat Sayr. *de censur. lib. 4. c. 13. num. 5.* qui scripsit post Tridentinum. Huius opinionis sunt etiam alij, & præsertim Rodriq. *tom. 3. q. 23. art. 2. in fine.* Ratio est, quia à Trident. *sess. 23. c. 10. de reformat.* decernitur non licere in posterum his Abbatibus conferre tonsuram, vel Minores cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit. Cum ergo nouitius non possit strictè appellari regularis, & cum pendente probationis anno non habeatur quoad ordines suscipiendos pro subdito Prælati religionis, constat tutum non esse Abbatibus hos ordines conferre nouitijs. Non obstat Priuilegium Iulij II. relatum à Suarez, cuius vigore poterant olim Abbates perpetui Cisterciens. clericali charactere insignire etiam nouitios, quia cum nouitij nō sint in hoc subditi superiori religionis, vt supponimus, tale priuilegium à Trident. est sublatum.

DVBIVM IX.

An nouitius eligi possit ad dignitatem, seu Prælaturam intra, vel extra Religionem.

S V M M A R I V M.

1 *Nouitius non potest eligi in Prælatum regularem.*
Non debet admitti in Abbatem, qui prius monasticam regulam non didicerit.

2 *An nouitius possit eligi in Episcopum.*
Est capax aliarum dignitatum inferiorum.

Re-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Cautum est in iure *c. nullus de electione in sexto*, eligi non posse nouitium ad vllam Abbatiam, seu Prælaturam in sua, vel in alia religione: Et si eligatur, electio est eo ipso nulla, quia non est expressè professus, nec debet admitti in Abbatem, qui prius monasticam regulam non didicerit *c. officij, & c. cum in magistrum, de elect.* Rota *decis. 261. lib. 2. in prima edit. coram Puteo, & decis. 647. coram Seraph.* Immò *in d. c. nullus* excluduntur etiam à prælaturis, qui solum sunt tacitè professi, quia is, qui in Prelatum eligitur, debet esse omni exceptione maior; Et ideò eius professio debet esse extra omnẽ ambiguitatem, & controuersiam. Hæc conclusio est communiter confirmata à Doctoribus.

2 Secunda conclusio. Quoad dignitates extra religionem statuitur *in d. c. nullus*, nouitium eligi posse ad dignitatem Episcopalem; Quò verò ad alias dignitates inferiores, & beneficia, licèt controuertatur inter Doctores, an hæc licitè conferri possint nouitijs: nihilominus verior censetur pars affirmatiua. Quæ probatur, nam cum nouitius verè, & realiter nondum mutauerit statum, sed sit tantùm in probatione *c. ad apostolicam, de regular.* Gloss. *in c. 1. verbo dedicanda, de relig. domib.* & DD. *in c. 1. de regular. in sexto*, pendeatque ab eius libera, & absoluta voluntate redire ad seculum, *c. statutum de regular.* patet interim capacem esse iuris etiam secularis, si illud ipse acceptare velit. Eò vel maximè, quia cum operam rei licitę, immò admodum piæ dederit, non debet fieri deterioris conditionis: Et cum æquiparetur existenti apud hostes, vt dicit Anchar. *in c. beneficium in princ. de regular. in sexto*, interim omnia in suspenso manere debeat, & expectandus est futurus euentus, an ille profiteatur, aut è religione egrediatur. Ità tenent Lap. *in d. c. beneficium n. 4.* Franch. *ibi num. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. quæst. 1.* Garcia *de benefic. p. 7. c. 10. num. 5.* Sanch. *in præcept. decal. lib. 7. c. 4. nu. 22.* & Giouagnonius *lib. 1. respons. 88. n. 21.*

DVBIVM X.

An Nouitij gaudeant priuilegijs Religioni concessis.

SVMMARIVM.

1 *Opinio negatiua circa titulum.*
Nouitij neque verè, neque effectu dicuntur Religiosi.
Quare percutientes nouitios sint excommunicati.

2 *Affirmatiua opinio.*
Nouitij largo modo dicuntur Religiosi.

3 *An ingrediens professionem alicuius generis personarum, gaudeat priuilegijs concessis personis illius professionis.*

4 *Præpositus Generalis Societatis Iesu ex speciali indulto communicat nouitijs priuilegia suæ Religionis.*

1 RESPONDEO duplicem esse sententiam. Prior negat. Ducitur, quia nouitij neque verè, neque effectu religiosi dici possunt. Nam non dicitur quis ingressus religionem ante professionem, Bart. *in authent. si qua mulier, col. fin. C. de sacrosan. Eccl.* Decius *in c. in præsentia, num. 20. de probat.* Et habitus non facit monachũ, sed professio, & vita regularis, *c. ex parte, de regul. c. quia ingredientibus*, vbi Ioan. de Imola, *de testam.* Bero *in d. c. in præsentia num. 56.* Et quis non appellatur monachus, nec efficitur de corpore monasterij ante professionem *c. porrectum, de regular.* Bart. & alij *in d. auth. si qua mulier,* Iason *col. fin.* Barbat. *in d. c. in præsentia, num. 16.* Felin. *in c. nuper nobis, num. 5. de testib.* Socin. iun. *cons. 48. num. 21. lib. 4.* Rimin. iun. *cons. 85. à num. 32. lib. 1.* Neque etiam efficitur religiosus, sed ante professionem remanet laicus, *c. religioso, de sent. excom. in sexto, c. non solum, c. constitutionem, de regular. in sexto,* Bero *in d. c. in præsentia, num. 552.* Honded. *cons. 94. a num. 3. vol. 1.* & Rota Florent *per Magen. decis. 141. nu. cum seqq.* Præterea quamuis nouitij gaudeant instar professorum immunitatis ecclesiasticæ priuilegio, ita vt ipsorũ percussores sint excommunicati, vt habetur *in c. religioso, de sent. excom. in sexto:* id tamen specialiter indultum est eis, & forte ob reuerentiam habitus, quem gestãt. Et sic ex eo ius cõmune colligitur in contrarium *arg. ex l. ius singulare, & l. quod vero, ff. de legib.* Et ità tenet Mand. *de priuil. ad instar gl. 57. n. 34.*

n.34. relatus in tract.18.f.132.n.32.& Rodriq.*tom.3.q.51 art.vlt.*

2 Posterior sententia, quæ mihi magis arridet, sustinet, nouitios priuilegijs religioni, seu religiosis cōcessis gaudere; Ratio est, quia & si non sint verè, neq; effectu religiosi, in fauorabilibus tamē habentur tanquam religiosi, & professi, & largo modo nouitius dicitur religiosus, & monachus, vt benè notat Rebuf. *in praxi benefic. tit. dispens. cum regul.n.23.* qui testatur, Cancellariam Apostolicam vocare nouitium monachum. Quod cōfirmatur, nam vt quis iudicetur tāquam de perpetuo, idest professo in religione, sufficit, vt in loco possit morā trahere, vt notant DD. *in c. fin. de rescript. in sexto,* & ità in specie dixerūt de nouitio Franch. *in c. cum nullus in fine*, ibi Anchar. *in fine, de tempor. ordin. in sexto*, & Rota Prouinciæ Marchiæ per Gratian. *decis.35.n.10. & 11.* Si ergo nouitij habentur tanquā professi, frui etiam debent priuilegijs professis concessis. Et ità colligitur nō obscurè ex Gemin. & Steph. Costa *in d.c. religioso* dicen-

3 tibus, quod ingrediens professionem alicuius generis personarum gaudet priuilegijs cōcessis personis illius professionis, licèt non firmato proposito sit effectus illius. Quod expressius docent Molina *tom.1. disp.139 col.3. vers. præter hos*, Henriq. *lib.7. de indulgen. c.22. n.7.* Azor. *p.1. lib.12. c.2. q.1* c. *ad fin.* Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 39. n.17. & lib.6. c.10. in fin.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c.16. n.17. in fine*, & Sayr. *lib.7. de censur. c.13. num.6.*

4 Corrobatur hęc opinio priuilegio speciali Societati Iesu cōcesso, cuius vigore Reuerendiss. illius Religionis Generalis omnia suę Societatis priuilegia nouitijs cōmunicare valet, vt ex compēd. priuileg. eiusdem Societatis *tit. communicatio n.5.* patet. Vnde ratione communicationis huius priuilegij integrū est Generalibus Religionum suis nouitijs priuilegia religionis communicare.

DVBIVM XI.

An Nouitius in aliquod delictum incidens à Prælato regulari puniri possit.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quæstionis.*

2 *An nouitius delinquens puniri debeat à Prælato Ecclesiastico.*

An

An à Prælato regulari.

3 *An ab eo torqueri possit.*

3 *An conueniri debeat coram eodem Prælato regulari in causis ciuilibus.*

5 *An puniri possit in Religione pœna perpetui carceris.*

6 *An egrediens à Religione puniri possit à Iudice seculari.*

7 *An consentiens puniri in Religione pœna perpetui carceris videatur tacitè profiteri.*

1 RESPONDEO præmittendum esse, dubium nostrum intelligi debere non solum, quando nouitius contra regulam, aut statuta religionis delinquit, sed etiam si alia perpetret delicta, quamuis capitali pœna sint digna, vt homicidium.

2 Hoc præmisso sit conclusio, nouitium delinquentem ante professionem conueniendum, puniendumq; esse à Iudice Ecclesiastico. Ità Glossa *in c. beneficium, verbo conferendum, de regular. in sexto*, & ibi Ioan. And. Gemin. *nu. 7.* Franch. *num. 4.* Iason *in authent. si qua mulier circa finem, C. de Sacros. Eccl.* Marsil. *sig. 534 ad finem*, Caball. *resolut. crim. casu 108. num. 20.* Rota Prouinciæ Marchiæ per Gratian. *in addit. decis. 35. num. 1.* Quod latè probat Farinacius *de delictis, & pœnis, q. 8. num. 46. de inquisitione ampliat. 16.* Quinimmò dùm idem nouitius in religione permanere vult, conueniri, puniriq; non potest nisi à Prælato regulari; quia nouitij in probatione existentes nedum eximuntur instar professorum à ciuili potestate, sed etiam ab Episcopali, vt docent Nauar. *lib. 2. cons. 5. & 6. nu. 4. de foro compet. in 2. edit.* Corduba *lib. 1. qq. Theolog. q. 30. opin. 1, in 4. probat. vers. sed neq; ista ratio, & in 2. opin. probat. 6.* Azorius *p. 1, lib. 12. c. 2. q. 11.* Rodriquez *tom. 2. q. 2. art. 10.* Sanchez *in præcep. decal. lib. 6. c. 10. num. 11.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 16. num. 8.* Zenard. *in direct. Theolog. p. 2. c. 26.* & Lorich *in suo thesauro, tit. regular. §. 9.* Hi ferè omnes DD. docent, Prælatum regularem punire posse nouitium ob delictum ab eo perpetratum pœna capitali dignum, vt homicidium.

3 Adijcio, si tortura sit necessaria ad comprobandum delictum, tutum esse Prælato regulari torquere nouitium instar professorum, vt benè notant Nauar. *in d. cons. 5.* Sanchez *num. 12.* Rodriquez *vers. quantum*, Suarez *num. 18. ad finem*, & Lorich. *vers. sexto nouitius.*

Am-

4 Ampliatur conclusio, vt etiam procedat in causis ciuilibus; Et ideò si à nouitio debitum ciuile exigatur, non est exigendum coram Iudice Ecclesiastico, puta Episcopo, sed corā religionis Prælato, vt docent Glossa *in authent. causa, quæ fit cum Monacho, verbo, apud Episc C. de Episc. & cler.* Azorius, & Sanchez.

5 Limitatur conclusio à Sylueſt. *religio 5. quæſt. 7.* Rosella *nouitius num. 12.* Tabiena *num. 14.* & Armilla *num. 18.* docentibus puniri non posse nouitium à Prælato regulari, quando imponenda est ei perpetui carceris pœna, sed solum quando est ad tempus imponenda. At hæc limitatio non admittitur, eo quòd magis placet, quod allegato Lapo, docent Anchar. *in c. 2. de regular in sexto,* Gemin. *ibi num. 12.* & Franch. *num. 8.* vt scilicet puniri possit pœna perpetui carceris à Prælato regulari, supposita permanendi in religione nouitij voluntate. Idem sustinet Lælius Zecchius *de resp. Eccl. tit. de regular. c. 3. num. 10.* quem refert, & approbat Sanchez *num. 13.* Adijciens, si determinat nouitius in religione permanere, iudicioq; Prelati regularis se submittat, pœnitentiamque acceptet non interponendo iustam appellationem, perquam sententia suspendatur, eandem postea pœnam effugere nequaquam posse, quamuis nunquam cogi possit ad professionem emittendam.

Immò Suarez vult cogi posse nouitium ad luendam pœnam delicto suo condignam, etiam si re integra, idest ante cæptum iudicium discedere vellet à religione: Et subiungit hoc non esse contra iura *c. statuimus, & c. non solum de regular. in sexto,* quæ præcipiunt liberè dimitti nouitium volentem discedere, quia loquuntur per se, seu re integra, seu in ordine ad statum, non verò impediunt istam delicti punitionem, ratione cuius nouitius specialiter subditus est Prælato suo. Et quamuis hæc opinio probabilitate non careat, censeo tamen à communi non esse recedendum, quæ docet, puniri non posse nouitium in religione, nisi ipse voluntariè

6 iudicio Prælati se submittat, vt visum est. Quare si è Monasterio discedat recusans iudicio Prælati se subijcere, puniri potest à Iudice seculari, quamuis delictum perpetratum fuerit in religione, quia in eo casu non habetur pro religioso. Ità allegato Stephan. Lamberteng. *in tract. de contract. eorum Glossa 2. num. 27. ad finem,* docet Farinac. *in loco citato.* Quod intelligendum est, dummodò nouitius nullo ordine insignitus sit.

Est

7 Est tandem notandum, Lapum, Ancharanum, Geminianum, & Franchum docere, si præfatus nouitius sponte consentiat puniri à Prælato regulari pœna perpetui carceris, videri tacitè profiteri, si post annum triduo perseueret, nisi contrarium protestetur: facit, quod notatur *in c. beneficium de regular. in sexto, & in Clem. 2 eodem tit.* De hac protestatione dicetur infrà *disp. 13. dub. 8. concl. 4.*

DVBIVM XII.

Coram quo Iudice conueniri, puniriq; possit Nouitius ob delictum ab eo ante Religionis ingressum commissum.

SVMMARIVM.

1 *Quid decreuerit Sixtus Quintus quoad non admittendos in religionem criminosos.*

2 *Nunc ingressus, & professio non seruata forma Constitutionum Sixti V. est valida.*

3 *An ingrediens religionē puniri possit à Iudice seculari de delicto ante religionis ingressum commisso, & num. 12.*

4 *Quādo ingressus in religionem factus sit nec ne cum fraude, & num. 11.*

5 *An prædicta locum habeant in nouitium, num. 6. & 7.*
Tertiarij an gaudeant eo fori priuilegio, quo gaudent professi, & Nouitij.

6 *Nouitij sunt pars communitatis religionis.*
Actus inchoatus habetur pro perfecto.

7 *An nouitij cum fraude ingressi puniri possint à Iudice seculari, & num. 9. & 12.*

8 *An habens votum religionis teneatur ingredi eam post commissum delictum.*

9 *An puniri possint à Iudice seculari nouitij, qui post errata non admodum grauia cum fraude ingrediuntur religionem.*

10 *An crimina in seculo commissa, per religionis ingressum extinguantur.*

11 *Post Constitutiones Sixti V. cessarunt difficultates, quæ antea erant, an ingressus criminosi in religionem factus esset nec ne cum fraude.*

Du-

1 RESPONDEO premittendum esse, Sixtum V. in Constitutione incipiente, *Cum de omnibus* irritare, & annullare susceptionem habitus, idest ingressum in religionem, & etiam professionem eorum, qui post perpetratum delictum ingrediuntur religionem. Immò idē Pontifex iubet hos habitu spoliari, à religioneq; expelli, & attēta ingressus, & professionis nullitate subiungit, licere quibuscūq; Iudicibus, & Curiis etiam secularibus, ad quos spectat, contra eos procedere. Idem Pontifex per aliam suam incipientem ad *Romanum spectat Pontificem* declarauit præfatam Constitutionem quoad hos criminosos his verbis. *Contra criminosos verò, quorum professio eadem Constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea Iudicibus, & Curijs secularibus, procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cum actis publicis constiterit, ipsis Iudices, & Curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, vel*
2 *inquisitionem instituisse*. Quia verò hæ Sixti Quinti Constitutiones reductæ fuerunt quoad hanc partem ad terminos iuris à Clemente Octauo, qui tam susceptionem habitus, quàm professionem non seruata harum Constitutionum forma emissam suo valore non carere declarauit, vt dictum fuit *disput. 7. dub. 4. num. 1.* nunc pro resolutione propositi dubii recurrendum est ad ius commune.

3 Hoc præmisso sit prima conclusio. Qui ingreditur religionem post commissum delictum conueniri, punirique nequit à Iudice seculari, si sine fraude hunc religionis statum suscepit. secus verò si cum fraude, quatenus secularem iurisdictionem, atque pœnas à Iudicibus secularibus imponi solitas euitaret, quia in hoc casu puniri potest à dicto Iudice seculari ad summum in pecunia, & bonis prout statim in tertia conclusione dicetur. Sumitur vtraque pars huius conclusionis ex *l. hos accusare, §. hoc autem beneficio, ff. de accusat. l. si quis Decurio, C. ad leg. Cornel. de fal. lib. 1. C. qui milit. non possunt lib. 12. l. si maritus, §. legis, ff. de adulter. & ex l. fin. ff. de re milit.* Eamque comprobant plures DD. & præcipuè Syluestr. *tit. Iudex 1. num. 6.* & Couarr. *in qq. pract. c. 32. num. 4. & seqq.* qui loquuntur de eo, qui post delictum assumit clericalē statum: Et in propriis terminis loquentes de criminoso religionem ingrediente eam tenent Ioan. Andr. quem refert, & approbat Ma-

 rian.

Socin. *in c. proposuisti num. 53. de foro compet.* & quamplures alij allegati, & approbati à Farinac. *tom. 1. praxi crim. q. 8. de inquisitione*.

4 In casu nostro tunc quis cum fraude religionē ingreditur, quando post delicti diffamationem, seu accusationem, aut inquisitionem, & multò magis post citationem, & condemnationem delicti se transfert ad religionem, *l. fin. ff. de bon. eorum, qui sibi mort. con sc. l. fin. de re milit.* Ità Bart. & alij *in l. si quis postea ff. de iudic. & in l. si adulter, §. si hoc tempore ff. de adult.* Dynus relatus, & approbatus à Marian. Socin. *vbi sup.* Ità etiam Clarus *in pract. crim. q. 36. vers. sed hoc proposito* Couarru. *in loco citato, vers. fraus verò*, & quam plures alij relati, & approbati à Farinac. *num.* 110. Quia verò Sixtus Quintus in Constitutionibus superius relatis decernit admittendum non esse ad religionis statum, qui facinora exorbitantia, ac turpia, vt furtum, latrocinium, rapinam, homicidium, vel aliud huiusmodi delictum perpetrauerit, si de tali delicto ipse reus, vel accusatus, vel inquisitus fuerit; vt dictum fuit *eisd. 2. dub. 12. nu. 3.* videtur idem Pontifex se concordare cum ijs iuribus, & Doctoribus; Idcircò standum est huic Pontificiæ dispositioni, ac subindè concludi debet, tunc adesse fraudem, quando criminosus ad religionem transijt contra præfatarum Constitutionum tenorem, quibus voluit Sixtus V. prouidere, ne huiusmodi facinorosi, causa declinandæ iurisdictionis secularis, se transferrent in fraudem ad religiosorum claustra.

5 Præfata cōclusio videtur limitari quoad priorem partem à Marian. Socin. *num. 52. in fine, & num. 53.* & etiam à Bois. *in d. c. proposuisti, num. 144. & seqq.* quem refert, & sequitur Farinac. *num.* 106. eum scilicet tātummodo, qui post commissum delictum ingressus est sine fraude religionem, & emisit professionem, puniri non posse à Iudice seculari: Secus verò si voto professionis non sit ligatus. Nihilominus idem Marian. Socinus *in seq. num. 54.* optimè se explicat, & benè declarat, eos præfato fori beneficio minimè gaudere, qui assumunt quendam viuendi modum, in quo professio non emittitur, vt sunt illi, qui efficiuntur becheti, aut assumunt habitum tertij Ordinis Seraphici Patris Francisci, vel alium huiusmodi statum, aut regulam: quia vt notant idem Socin. Panormitan. *in rub. de regular. num. 4.* Rota *decis.* 121. *num. 6. coram*

Car-

Cardinal. Seraph. & alij talis regula, vel habitus non facit eos religiosos, eo vel maximè quia proprium, & vxores, & filios habent.

6 Nouitij igitur conueniri, puniriq; non possunt à Iudice seculari, vt dictum est in conclusione. Quod confirmari potest primò, quia cum admissi sint ad religionem, pars eius communitatis sunt quamuis imperfecta; quæ verè ecclesiastica est. Secundò, quia licèt nouitij non sint professi, ingressus tamen illorum factus est in ordine ad professionem: Et iste actus inchoatus habetur pro opere perfecto, & consummato, etiam si non perueniret ad effectum casu fortuito, aut aliquo impedimento *l. cum quidam, & l. & si non sūt. §. infectis. ff. de aur. & argen. legato*, & ita in specie de nouitio monasterium ingresso concludit Anchar. *cons. 69. num. 8.* quem refert, & sequitur Mandos. *de priuileg. ad instar. glossa 10. n. 24.* vt testatur, & tenet Rota Prouinciæ Marchię per Gratian. *decis. 35 nu. 10. & 11.* Hinc nouitij exempti sunt instar professorum à iurisdictione Iudicum extra religionem, vt in superiori dubio probatū fuit. Hæc omnia confirmata sunt à Llamas, Sanchez, & Suarez, quos sequuti *disp. 2. dub. 12. num. 3.* Hi enim DD. docentes huiusmodi criminosos recipi posse in religionem, dūmodò accusatio, seu inquisitio contra eos non præcedat receptionem, apertè tenent, pu-
7 niri nequaquam posse à Iudice seculari, dum manent in probatione. Quod expressius docet idem Sanchez alibi *in precept. decal. lib. 4. c. 16. num. 41.* dicens, habentem votum ingrediendi religionem, si in aliquod crimen corruat, teneri citissimè ingredi religionem, ne mediante accusatione fiat ad eam inhabilis.

8 Ex dictis infertur, à Iudicibus secularibus puniri non posse eos, qui post errata, seu mala pœna digna, inferiora tamen furto, latrocinio, rapina, homicidio, seu alio huiusmodi exorbitanti delicto, ad religionem se conferunt, etiam cum fraude, postquam scilicet eis constat de accusatione, seu inquisitione contra eos in particulari facta de ijs malis; Ratio est, nam cum ij iuxta prælatas Sixti Quinti Constitutiones licitè recipi possint in religionem, vt tenent quamplures DD. prout testatur Llamas *in instruct. confess. in append. §. 15. & 16.* Et colligitur expressè ex dictis Constitutionibus; consequenter puniri nequeunt à Iudice seculari; quia ex ingressu licito oritur facultas fruendi fori priuilegio. Præterea per *tex. in*

auth. de monachis in princ. tradit Specul. *in tit. de reo, ver. nunquid post conuersionem*, quem refert, & approbat Marian. Socin. *in c. ignarus Episcopus, num. 139. post medium, col. 2. de libelli oblat.* omnia crimina ante statum religionis susceptum commissa videntur per eundem religionis ingressum extingui. Et idem Socin. loquitur in terminis nostris, quod scilicet causa criminalis orta ex crimine ante religionis ingressum commisso extinguitur virtute illius ingressus.

10 Secunda conclusio. Modò per præfatas Sixti Quinti Constitutiones cessant nonnullæ difficultates, quæ a Doctoribus quoad hanc fraudis materiam excitantur, vt videri potest apud Syluest. Couarruuias *in locis citatis*, & latius apud Farinac. *num. 110. ad finem, num. 111. & 112.* Quarum prima est, an adsit fraus, si ingressus religionis factus sit ignorante ingrediente esse contra eum inchoatam informationem. Secunda, an præsumatur fraus, quando nulla præcedente accusatione, seu inquisitione, aut diffamatione delicti criminosus efficiatur religiosus, maximeque statim, & immediatè post commissum delictum. Postrema, an excludatur fraus, si quis ex voto post delictum ingrediatur religionem, & præsertim quando mediante suo iuramento asserit, ratione voti antea ab eo emissi ad religionem se contulisse. Hæ inquam difficultates modò cessant, quia iuxta id, quod in citata Sixti V. Constitutione decernitur, semper præsumitur adesse fraudem, si criminosus statu religionis suscipiat post delicti inquisitionem, vel accusationem contra eum factam: secus verò si talis inquisitio, vel accusatio minime ingressum præcedat. Quod est iuxta doctrinam Anan. *in c. 1. n. 7. de obl. ad ratiocin.* Panormit. *ibi n. 5. col. 3. & 4. in princ.* Marian. Socin. *in d. c. proposuisti n. 53. de foro compet.* qui allegat Lynum, & ità etiam sentiunt alij, quos refert, & approbat Farinac. *n. 111. post medium.*

11 Tertia conclusio. In eo casu, in quo ingressus in religionem factus fuit cum fraude, licèt talis criminosus iuxta Sixti V. Constitutionem *Cum de omnibus* habitu religionis spoliari, puniriq; debeat à Iudice seculari, ac si religionē ingressus non esset: Attamen quia hanc Cōstitutionem in hac parte moderatus fuit Clemens Octauus, vt visum est, ingressus religionis dicitur validus ad hoc, vt nouitius priuilegio fori gaudeat instar clerici, qui statum clericalem

cum

cum fraude assumpsit; Et ideò quemadmodum hic clericus puniri nequit à Iudice seculari corporaliter, sed solum in pecunia, & bonis, ita vt idem Iudex secularis sit Iudex tantum causæ, non autem personæ, vt docet post Ioan. And. *in c.1. nu.19. in fine*, ibi Anan. Fanormit. *num.5. ante finem col.4. de obl ad ratiocin.* Socin. *num.53. ad finem*, & Couarru. *vers. tertia cóclusio*, Farinac. *num.107.* qui allegat alios DD. & hanc esse communem opinionem testantur Bossius *in tit. de pœnis num.38.* Steph. Aufrer. *in Clem.1. de offic. ordinar reg.1. fallent. 11. n.19.* & Clarus *in pract. crim. q.36. vers. sæpe numero contingit.* Ità eodem prorsus modo nouitius in hoc euentu ad summũ puniri potest à Iudice seculari in pecunia, & bonis, non autẽ in corpore. Dixi *ad summũ*, quia est etiam satis probabile nequaquã posse puniri nouitium in pecunia, & bonis à Iudice seculari etiã si cum fraude veniat ad religionem, prout latè doctèque probat Marta *de iurisdict. p.4. centur 2. cas.121. à n.22. vsq; ad finẽ*, qui in ingredien-te religionem non admittit præfatam distinctionem, an scilicet sit cum fraude ingressus, nec ne, sed sustinet cognosci, iudicariq; debere in omni euentu per Iudicem Ecclesiasticum.

DVBIVM XIII.

An Nouitius pacem facere possit de iniuria sibi, vel suis illata.

SVMMARIVM.

1 *An nouitius accusare, transigere, & pacem facere valeat.*
2 *An idem possit post professionem.*
An Monasterium.
3 *Religiosus æquiparatur mortuo, & seruo.*
4 *An admittatur ad accusandum pro offensa sibi, vel suis illata.*
5 *An de licentia Abbatis, & pro re ad monasterium spectante.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Nouitius ante emissam professionem potest accusare, transigere, & pacem facere tam de iniuria, & offensa sibi illata, quam etiam suis. Et

Et est ratio, quia ante professionem nouitius non solum non desinit esse de populo, sed nec religiosus, nec monachus propriè dicitur *c. ad apostolicam, & c. 1. vbi Gloss. communiter recepta de relig. dom. can. si seruus sciente*, & ibi Domin. *dist. 54 can. 1. 17. q. 2.* Bart. *in auth. si qua mulier col. fin. C. de sacros. Eccl.* Et ità in proprijs terminis tenent Placha *in epit. delict. c. 42. num. 21.* Clarus *in pract. crim. q. 58. vers. vlterius quaero*. Ghisiler. *in tract. de iudic. regular. c. 161 nu. 38.* & Farinac. *de accusat. q. 13. num. 23.* qui alios refert.

2 Dixi *ante emissam professionem*, quia de iniuria, & offensa facta nouitio ante religionis ingressum, puta ob occisionem patris, vel propter quid simile, idem nouitius, immò & monasterium post

3 emissam professionem facere nequeunt praefatam pacem. Non potest monasterium, eo quòd iniuria eidem monasterio illata non non fuit. Non potest religiosus, quia emissa professione habetur pro mortuo *can. placuit. 16. q. 1. c. in praesentia cum ibi notatis, de prob.* Panormit. Felin. & alij *in c. dilecta, de rescript.* Et ita in proprijs terminis docet Farinac. *in d. q. 13. num. 26. vers. vnum tamen.* Quinimmò quia religiosus aequiparatur mortuo, vt dictum est, & etiā seruo *l. Deo nobis*, §. *1. C. de Episc. & cler.* esse non potest in iudicio *auth. causa, quae fit cum monacho, C. de Episc. & cler.* sicuti in eodem

4 iudicio esse nequit seruus *l. quod attinet, ff. de reg. iur. l. seruus, C. de iud.* Quapropter monachus non admittitur ad accusandum pro offensa sibi facta, nec pro iniuria suis illata, vt benè docent Placha *in d. c. 42. num. 17.* Ghisiler. *in loco citato,* Decian. *in tract. crim. p. 1. lib. 3. c. 8. num. 15. & 16.* & Farinac. *in d. q. 13. num. 24.* Vndè si nouitius tempore probationis non faciat praefatam pacem, vt dictum est in conclusione, hoc ius remanet penès filios interfecti iuxta Boss. *in tit. de pace num. 15.* & Farinac. *num. 26. vers. vnum tamen*, qui etiam concludunt, non existentibus interfecti filijs, ius faciendi pacem transferri in monasterium, etiam si iniuria facta fuisset ante religionis ingressum, vt dictum est.

5 Quamuis dixerim, monachum non admitti ad accusandum; hoc tamen limitari debet primò, quia in crimine haeresis quilibet admittitur ad accusandum, etiam si sit à iure prohibitus, vt quampluribus allegatis iure optimò notat Farinac. *de accusat. q. 12. num. 59 & de haeresi q. 183. num. 23.* Secundò, quia monachus accusare potest suum Abbatem *c. ex parte, de accusat.* Et licet Archid. *in can.*

cum

cum pastoris 11. q. 7. & Felin. *in d. c. ex parte num. 2.* teneant, non debere admitti nisi petita venia, & licentia ab eodem Abbate, sicut seruatur in filio erga patrem: magis tamen arridet non desiderari in hoc casu hanc licentiam, quia eam habet à Pontifice, vt habetur *in d. c. ex parte*, & ità allegato Innocentio docet Panormit. *in d. c. ex parte num. 6.* Tertiò quia monachus accusare potest quoq; alios, etiam extraneos, duobus tamen concurrentibus, cum scilicet interest monasterij, & Abbatis licentia habetur. Ità non obscurè sumitur ex *can. monachi il 2. 16. q. 1.* & expressè notatur a Glossa *in d. c. ex parte, verbo licet*; Panormit. *ibi num. 6.* & Felin. *num. 2.* Hinc Decian. *vbi supra*, & Farinac. *q. 13. num. 24. de accusat.* inquiunt, monachum accusare posse pro beneficio Ecclesiæ, & de consensu sui Abbatis.

DVBIVM XIV.

An nouitius ad obseruantias regulares teneatur.

SVMMARIVM.

1 *An nouitius teneatur ad obseruantias regulares vi voti obedientiæ.*
2 *Quam iurisdictionem habeat Prælatus Religionis in nouitium.*
3 *An nouitius teneatur ratione scandali ad obseruantias regulares.*
4 *An ex lege iustitiæ.*

1 RESPONDEO primò, planè constare nouitium simpliciter non obligari ad obseruantias regulares, vt fatentur communiter Doctores, quia eas professus non est, nec se ipsum religioni perfectè tradidit. Dixi *simpliciter*, quia cum intendat perseuerare in probatione, debet se subijcere aliquo modo disciplinæ religiosæ, quatenus à Prælatis dirigi, gubernariq; possit. Quinimmò
2 durante probationis statu Prælatus religionis respectu nouitij sustinet curam proprii Parochi, & Episcopi. Et licèt ratione voti obedientiæ nequeat nouitio aliquid præcipere: potest tamen illi mandare, etiam sub censuris, si necesse sit, quæ Parochus, & Episcopus præcipere possunt, quia tale præceptum fundatur in iurisdictione ecclesiastica per Summum Pontificem ei concessa, vt di-

ctum

ctum fuit *disp.9.dub.24.& 25.* & confirmatum est à Suarez *tom.4.de relig.l.b.5.c.16.num.18.ad finem.*

3 Secundò, nouitium debere regulares obseruantias obseruare, nedum vt religionis austeritates experiatur, sed etiam ne alijs religiosis scandalum, vel prauum exemplum præbeat. Et ex hac parte obligari poterit aliquando, vel statum religiosum relinquere, vel saltem in rebus publicis, & communibus regulam obseruare.

4 Tertiò: licèt nouitius non teneatur ex voto ad vsum paupertatis: cogitur tamen ex lege iustitiæ bona religionis, vel Ecclesiæ Romanæ, aut dantium non vsurpare, eo quòd sua nō sunt: immò ampliorem earum vsum accipere non debet, quàm ei à religione concedatur. Quare sicut professus lædere suā conscientiam potest, vel vtendo rebus superfluis, vel res contra voluntatem superioris donando, seu dispensando, aut distrahendo, vel sibi vsurpando: Ità eodem modo potest nouitius se labe peccati coinquinare non ratione voti paupertatis, sed legis iustitię, vt dictum est.

DVBIVM XV.

Quam intelligentiam de regula habere debeant Nouitij, quatenus ad professionem licitè admitti possint.

SVMMARIVM.

1 *Intelligentia regulæ triplici modo consideratur.*
2 *Quam regulæ intelligētiam habere debeant nouitij, vt admitti possint ad professionem & num.4.*
3 *Quid teneantur fideles scire, & credere de rebus fidei.*
5 *An sufficiat nouitio scire memoriter regulæ præcepta, & ea non intelligere.*
6 *Quam diligentiam adhibere debeant Magistri in proponendis regulæ obligationibus nouitijs.*
Nouitijs proponenda sunt dura, & aspera.
7 *In quibus experiri debeat Magister nouitios.*

Re-

1 RESPONDEO, intelligentiam regulæ tripliciter considerari posse. Primò, secundū suam substantiam, idest secundum significationem generalem, & simplicem verborum cuiuscūq; voti, seu obligationis, aut præcepti in regula contenti. Secundò, secundum Pontificum declarationem. Tertiò, secundum difficultates, & subtilitates, quæ circa regulæ obseruantias excitantur.

2 Hoc præmisso sit conclusio. Nouitij ad professionem admitti non possunt, nisi de regula, quam profiteri volunt, intelligentiā primo modo declaratam saltem habeant. Probatur primò, quia iuxta D. Thom. *1. 2. q. 76. art. 2.* communiter receptum quisq; tenetur addiscere, nosceq; pertinentia ad suum statum, idest leges vniuersales status, seu officij, quod assumere intendit, vt benè declarant Vasq. *1. 2. disp. 123. c. 2. n. 5.* Azor. *p. 1. lib. 1. c. 16. q. 5. & 6.* & Sanch. *in præcep. decal. lib. 1. c. 16. n. 35.* Cū ergo nouitius assumere intendat religionis statum, patet teneri ad præfatam regulæ intelligentiam
3 habendam priusquā professionem emittat. Secundò, sicuti fideles tenentur credere, atq; scire articulos fidei secundum suam substantiam, cū primum rationis vsum assequuntur, & fuerint sufficienter instructi in fide, vt docet Nauar. *c. 11. n. 22.* Azor. *p. 1. lib. 8. c. 7. q. 2.* Filliuc. *tract. 22. c. 2. n. 12.* & alij, quos refert, & approbat Sanchez *in præcep. decal. lib. 2. c. 3. n. 12.* Ita nouitij, qui admittendi sunt ad professionem, scire omninò debent substantiam obligationum regulæ: Et tunc dicuntur habere sufficientem obligationum regulæ intelligentiam quoad earum substantiam, quando sciunt, se mediante professionis voto obligari ad obedientiam, paupertatem, & castitatem, & etiam ad alia præcepta in regula contenta. Nec te-
4 nentur has obligationes scire ordine, & verbis, quibus in regulis, seu statutis, aut constitutionibus proponuntur; Satis enim dijudicatur, si sensum earum sciant: Immò sufficit, si de eis interrogati rectè respondeant. Ita in simili loquentes de intelligentia, quam tenentur habere fideles de rebus fidei, docent Angelus, *tit. scientia num. 1*, Syluest. *num. 1. vers. secundum est*, Tabiena *num. 14.* Azor. *p. 1, lib. 8. c. 7. q. 4. & 5.* Valent. *2. 2. disp. 1. q. 2. p. 1. in fine, & p. 5. post 2. assertionem, vers. maneat itaque*, Filliuc. *vbi sup. num. 37.* & alij relati, & approbati a Sanchez *num. 16.*

5 Ex dictis infertur non sufficere, vt nouitius sciat tantùm memoriter præcepta regulæ, eaq; non intelligat, quia scire, & non intelli-

telligere, nescire est: sed necesse est, vt proprium verborum sensum vtcunque, & crasso modo percipiat.

6 At notandum, quamuis in rigore nouitij non teneantur maiorem regulæ intelligentiam, quàm declaratam habere. Nihilominus minimè hæsitandum esse debere Magistros sæpè proponere eis regulæ obligationes, & earum austeritates, ac subindè grauia incommoda, laborumque perpessiones, quæ pro pura regulæ obseruantia sustineri solent, quatenus genus aliquod ignorantię, seu deceptionis postea allegare nequeant. Hinc D. Benedictus c. 58. *sua regula* ait. *Prædicentur ei* (idest nouitio) *dura, & aspera, per quæ itur ad Deum, & si promiserit de stabilitatis suæ perseuerantia prælecta ei regula, dicatur ei. Ecce lex sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredere; si verò non potes, liber discede.* Smaragdus in Expositione huius loci refert idem de D. Augustino, & Isidoro. Et sine dubio hanc adhibere diligentiam est per se valdè conueniens, vt clariori luce procedatur. Idcirco iure optimo scripsit Præposit. *in cau placuit, dist. 38.* Nouitium allegare nequaquam posse ignorantiam, quando regulę, & constitutiones illi fuerunt specificè declaratę.

7 Statui tandem, sermonem non habere de munere Magistrorum in nouitijs experiendis, quia de eo passim loquuntur vitę spiritualis magistri. Illud tamen non me piget raptim, & breuiter notare, eosdem videlicet magistros teneri experiri nouitios quoad cõstantiam in vocatione, quoad capacitatem ad spiritualia exercitia, & etiam ad corporales labores iuxta varietatem personarum decenti modò, & vnicuique accommodato, & etiam iuxta statum vel clericorum, vel laicorum, quem assumpserunt. Experiendi quoque sunt, an habeant, magnum humilitatis fundamentum, quod est maximè necessarium in omni religione, & pręcipuè in hac nostra Fratrum Minorum. Et tandem, an austeritates, mortificationes, laborum perpessiones, obedientiam, carnis mortificationem, aliasque huiusmodi disciplinę religiosę obseruantias, antiquorum Patrum ritibus, Institutorumque regularum menti valdè consentaneas ęquo animo amplectantur.

DISPVTATIO DVODECIMA.

IN HAC DISPVTATIONE DISCVTIENDA SVNT, quæ ad incorporandum Religioni Nouitios censentur necessaria.

DVBIVM PRIMVM.

Penès quem sit facultas admittendi Nouitios ad professionem.

SVMMARIVM.

1 *Ad professionem necessariò cõcurrunt vnus se obligans, & alter obligans religionem.*
2 *Recipere ad professionem non est actus iurisdictionis, sed superioritatis.*
3 *Professio admissa per excommunicatum denunciatum est valida.*
4 *Contractus ab eodem excommunicato celebratus valet.*
5 *Professio admissa per suspensum est valida.*
Parochus interdictus, validè assistit matrimonio.
6 *Per professionem contrahitur matrimonium spirituale.*
Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale valet.
7 *Summus Pontifex admittere potest quemcunq; voluerit ad professionem in quamcunq; religionem.*
8 *Ad quos spectet recipere ad professionem de iure municipali.*
9 *Ad quos de iure communi.*
An Abbas teneatur sequi consilium Conuentus in Nouitiorum professione.
10 *Resoluitur pro parte affirmatiua.*
11 *Contradicente Prælato Cõuentus admittere non potest ad professionem, nec è contra.*
12 *Vltra Abbatem debet consentire maior pars Conuentus.*
13 *Ad quos spectet admittere ad professionem in Religione Minorum.*

14 *An Frater laicus in Prælatum electus, ad professionem recipere possit.*
15 *An facultas admittendi ad professionem possit coarctari.*
16 *An delegari.*
17 *An Guardiani recipere possint ad professionem.*
18 *An possint saltem ex tacito consensu Prouincialis.*
Scientia, & patiētia in ijs, quæ sunt modicè præiudicij operatur consensū.
An patientia, & scientia Parochi videntis alienum Sacerdotem interesse matrimonio inducat tacitam licentiam.
19 *An sit valida licentia Parochi, fictè concessa Sacerdoti assistendi matrimonio.*
20 *An & quando teneat professio recepta sub spe ratihabitionis futuræ.*
21 *Quando ratihabitio retrotrahatur.*

1 RESPONDEO pro enodatione huius dubij duo prænotanda esse. Prius de necessitate professionis esse, vt ex parte religionis aliquis acceptet traditionem faciendam à nouitio, qui profiteri intendit. Et est ratio, quia professio essentialiter requirit traditionem personæ, quæ quidem traditio cum consummari non possit nisi acceptetur à religione per aliquem facultate gaudentem incorporandi professum religioni; patet, hanc conditionem esse ad valorem professionis omninò necessariam. Et ità sumitur ex *c. porrectum, & c. ad apostolicam, de regular* & confirmatū est à Gloss. *in d. c. porrectum, verbo non faciat habitus*, & *ibi n. 4.* ab Innocent. Ioan. Andr. *n. 4.* Anchar. *n. 2.* Panormit. *in d. c. porrectum n. 10. & in c. ad apostolicā,* Lap. *allegat. 4. n. 7.* Syluest. *religio 3. q. 18. dict. 2.* & ab alijs. Quare nulla professio constare potest, nisi duæ personæ concurrant, quarum altera se obliget religioni, altera verò religionem obliget, vt benè notant Anchar. *n. 3.* & Nauar. *lib. 3. cons. 40. à num. 2. in 2. edit. de regular. & comment. 4. de regular. num. 74. vers. aduertendum tertiò in fine:* quia receptio includit reciprocam obligationem ex parte religionis, & religiosi instar aliarum obligationum, quæ indigēt duplici persona potestatem obligandi habente.

2 Posterius notandum. Cum recipere ad professionem non sit propriè actus iurisdictionis, sed superioritatis, vt docent Dominicus *in capite constitutionum, §. in alijs num. 6.* Franch. *num. 7. de regular. in sexto,* Rotella *tit. nouitius num. 21. in fine,* Tabiena *eodem*

3 *tit. num.8. in fine,* & Sanchez *lib.5. in pracepta decal.c.4. num.78.* Hinc meritò infert idem Sanchez, si superior, qui hac facultate gaudet incorporandi Religioni, sit excommunicatus denunciatus, aut notorius clerici percussor, professionemque alicuius acceptet, aut alteri admittendam committat, talem professionem suo valore minimè carere; quia hic non est actus iurisdictionis, sicuti nec illa commissio, sed sunt actus superioritatis, vt dictum est. Licet per excommunicationem actus iurisdictionis suspendantur,
4 per eã tamen non cessant actus superioritatis. Ergo valida est professio; Quod confirmatur, nam si idem superior nomine conuentus contractum celebraret, vel alteri celebrandum committeret, minimè hæsitandum esset, talem contractum valere, quia iuxta veriorem, & probabiliorem opinionem contractus celebrati ab excommunicato valent, vt quampluribus allegatis probat Sayr. *de*
5 *censur. lib.2.c.13.n* 10. Ità valet pręfata professio. Et ob eandem rationem, quia scilicet recipere ad professionem non est actus iurisdictionis, sed superioritatis idem Sanchez *num.79.* docet, contra Lap. & Frãch. ab eo allegatos, professionẽ admissam à superiore à iure, vel ab homine suspenso ab admissione professionis esse validam, etiam si esset denunciatus, lethaliterque peccaret. Quæ quidem assertio confirmatur; nam sicuti Parochus, cui interdicta est matrimonij administratio, validè assistit matrimonio, vt probat idem Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 21. num. 11. & 12.* allegans pręcipuè auctoritatem Rotę *tom. 1. decis. 429. & 570. in nouissimis,* & declarationem sacrę Cõgregationis Cardinalium, qui responderunt valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interueniat. Ità eodem prorsus modo dicendum est professionem à Pręlato suspenso admissã
6 suo valore non carere, quia per eam matrimonium spirituale contrahitur *c. inter corporalia,* & ibi Panormit. *n.10. de translat. Episc.* Rebuff. *cons.69. num.9.* Bero *cons.28. à num.3. lib.1.* Purpurat. *cons. 188. num.2 & 3. lib.1.* & Giouagnon. *resp.50. num.34. lib.1.* Et argumentum de matrim. carnali ad spirituale valet *c. inter corporalia, c. vlt. de translat. Episc. c. cum inter canonicos, de elect. c. quoniã frequenter, §. porrò, vt lite non contest.* Bart. *in l. si quis ita, §. is cui, ff. de leg. 2.* Paris. *cons.37. n.10. lib.4.* quos refert, & sequitur Tusar. *de sal. Stit. q.429. n.22.* Ità etiam docent Euerard *in loco à matrim. carnali ad*

spirituale num. 45. & seqq. & Ant. Cerrus apud Giouagnon. *respons. 11. num. 30. lib. 1.*

7 His præmissis sit prima conclusio. Indubitatum est, Summum Pontificem gaudere facultate admittendi ad professionem quemcunq; voluerit in qualibet religione sine illius consensu, aut consilio, vt benè notat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 11. num. 3.* Et est ratio, quia habet in religionibus superiorem potestatem. Si enim spectat ad eum Religiones omnes, & Ordines in Dei Ecclesia approbare, confirmare, vel infirmare *c. fin. de relig. dom. & c. vnico, eodem tit. in sexto,* Syluest. *tit. religio* 1. *num. 6.* Azor. *p. 1. lib. 11. c. 23. q. 5.* & alij, multò magis ad eum spectat modum recipiendi in dictis religionibus statuere, aut mutare.

8 Secunda cōclusio. In illis religionibus, in quibus per regulam, vel statutum, aut per consuetudinem præscriptam, vel per priuilegium decernitur, aut statuitur penes quē, vel quos resideat facultas incorporandi nouitios religioni, dicendum est, apud eum, vel eos hanc auctoritatem reperiri, vt fatentur communiter Doctores. Et ideò Glossa *in c. fin. verbo pertineat, de regular. in sexto,* Panormit. *in c. ad apostolicam num. 11. ad finem, de regular.* Felin. *in c. quoniam num. 2. de simon.* Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. de regular. num. 56.* & Rota *in vna Nullius iurisdictionis 20. Ianuar. 1620. corā R. P. D. Caualerio,* docent, creationē monachorum spectare ad solum Abbatem, quando Religio habet ad hoc talem consuetudinē, aut priuilegium. Vbi verò non adest hæc consuetudo, aut priuilegium, seu regula, aut statutum recurrendum est ad ius commune.

9 Tertia cōclusio. Iure communi penēs Abbatem adhibito conuentus consilio residet facultas incorporandi religioni nouitios. Hæc conclusio est communiter recepta; sed vertitur in dubium, an teneatur Abbas sequi conuentus consilium. Nonnulli negant. Quod probant primò, quia nullo iure cauetur teneri Abbatem in casu nostro ad hoc consilium sequendum. Secūdò, quia licèt Abbas teneatur audire conuentus consilium, eo quod regula religionum decernit, eum minimè expedire posse, quę præcipua sunt, sine conuentus consilio: attamen non tenetur hoc cōsilium sequi, quia vbi consilium solùm, & non consensus aliorum desideratur, satis dici dicatur, petere consilium, sed non est necessarium illud sequi.

Ita

Ità tenent Panormit. *in c. ad apostolicam num 11. & 14. de regular. & in c. ea noscitur num. 4. de his, quæ fiunt à Prælat.* Felinus *in c. quoniam num. 3. de simonia*, Angel. *professio num. 1.* Rosella *nouitius num. 20.* Syluest. *religio 3. q. 13. & q. 18. dict. 4.* Tabiena *nouitius num. 9.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. q. 3.* & alij, qui concludunt suo valore carere eam professionem, quàm recipit Abbas non adhibito præfato consilio: & è contrario validam esse, si audito conuentus consilio illud non sequitur.

10 At verius est. Abbatem teneri ad præfatum consilium, seu consensum maioris partis conuentus sequendum. Ità sustinent Anchar. *c. fin. notab. 2. de regular. in sexto*, Archid. *in can. congregatio 16. q. 7. num. 2.* Armilla *tit. nouitius num. 12. ad finem*, Nauar. *lib. 1. consil. 9. à num. 19. de constit. in 2. edit.* Rodriquez *tom. 3. q. 17. art. 7.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 24. art. 4.* Lessius *lib. 2. c. 41 dub. 7. num 60. vers. quintò* Lorich. *in suo thesauro, tit. regular. §. 13. vers. tertiò*, & Sanchez *lib. 5. c. 4. in præcep. decal. num. 65. in fine*, qui citat Spinum *in specul. testam gloss. 12. principali num. 2. & 3.* Quod probatur, nam quamuis regulariter obligatus ad cõsilium petendum non teneatur illud sequi: fallit tamen si id ab alio tanquam à collega, & participe officij petendum sit, vt docent quamplures Doctores, quos retuli *disp. 7. dub. 2. concl. 2.* Cum ergo teneatur Abbas requirere suorum Monachorum consilium, qui tanquam participes huius receptionis censentur, patet, teneri Abbatem sequi hoc consilium, ac proindè esse inualidam professionem receptam absq; maioris partis conuentus consensu; Et ideò testantur Nauarrus, Rodriquez, & Sanchez sic habere consuetudinem omnium religionum.

11 Ex hac conclusione infertur, contradicente Prælato non posse, totum conuentum aliquem ad professionem admittere: nec Prælatum repugnante maiori conuentus parte. Ità Panormit. *in c. cum Ecclesia num. 11. de elect.* & Socinus *consil. 40. num. 2. vol. 1.* loquentes de simili casu: Et expressius docent Nauar. *lib. 1. consil. 9. n. 13.*
12 *de constit.* & Rodriquez *in loco citato*. Et notandum non satis dijudicari assensum Prælati, & dimidię partis conuentus, sed necessariò consentire debere maiorem conuentus partem vltra Abbatem. Ità Franch. *in c. fin. num. 2 de regular. in sexto*, & Nauar. *lib. 3. consil. 57. num. 3. in 2. edit. de regular.* Quod limito, nisi ratione regulę,

vel statutorum, aut consuetudinis in aliqua religione aliter obseruaretur.

13 Quarta conclusio. In religionibus Minorum totum ius admittendi nouitios ad professionem est primariò, & originaliter apud Generalem, & secundariò apud Prouinciales. Ità apertè sumitur ex *c.2*. reg. vbi quidquid decernitur in ordine ad receptionem, & professionem Fratrum, totum committitur, & spectat ad Prouinciales, & primùm ad Generalem. Et ità etiam sumitur ex *c. exijt*, §. *verum quia expressè*, *vers. sed quoniam, de verbor. signific. in sexto*, vbi habetur licere non solum Generali, sed etiam Prouincialibus personas fugientes à seculo in Fratres recipere. Et quamuis hęc Pontificis declaratio videatur loqui præcisè de receptione ad habitū; attamen idem definire de receptione ad professionem minimè hæsito; Quia cum receptio ad probationem sit actio minor, quàm receptio ad professionem, planè constat, si ad præfatos Ministros solùm spectat receptio ad probationis statum, multò magis ad eos tantùm pertinere, etiam auctoritatem incorporandi religioni. Ità docent Quattuor Magist. *c. 2. columna tertia*, Pisan. *c. 2. §. finito verò anno, col. 2.* Seren. *consc. q. 32.* P. F. Iacobus à Mantua *in collectan. c. 2.* Corduba *c. 2. q. 11. p. 3.* Polit *c. 2. num. 77.* Thesau. *c. 2. f. 113.* Pact. *c. 2. art. 16. num. 70. in 1. edit.* & Crousers *c. 2. lect. 4. non longè à princ.*

14 Ampliatur hæc conclusio primò ad Fratrē laicum in Ministrum electum; Quia sicuti integrum est Abbatissæ recipere in suo monasterio ad professionem; eo quòd iste non est actus ordinis, aut iurisdictionis in ordine ad Ecclesiæ claues, sed actus cuiusdam superioritatis, cuius fœmina est capax, vt docent Archid. *in c. constitutionem num. 1. de regular. in sexto*, Franch. *ibi num. 7.* Rosella *nouitius num. 6.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 1. q. 6.* Ità eodem prorsus modò licitùm est Fratri laico Ministro recipere ad hanc professionem. Secundò, extenditur ad Custodes iurisdictionem in actu exercito habentes; eo quia in omnibus ęquiparātur Prouincialibus, vt alias dictum fuit.

15 Limitatur conclusio. Quamuis ex regula resideat apud Ministros Prouinciales totum ius incorporandi religioni: Nihilominus quia hæc auctoritas arctari potest à Generali, prout decernitur in iure *c. exijt in loco citato*. Hinc in religione nostra Capuc-

cino-

cinorum per Capitulum generale arctatur hæc facultas Prouincialibus iuxta ius commune, vt patet in statutis nostris *c. 2. ante medium, vers. & in receptione dictorum nouitiorum*, ne scilicet valeant recipere ad professionem nouitium, nisi accedat consensus maioris partis familiæ, quam coarctationem extendendã esse etiam ad Generalem minime dubito, licet statuta mentionem eius nõ faciant, eo quòd hæc receptio fieri solet regulariter inter nos à Prouinciali, non verò à Generali. Quare sicut iure communi non est sufficiens assensus Prælati, & dimidiæ partis conuentus, sed necessario consentire debet maior pars conuentus vltra Abbatem, vt visum est. Ita pari ratione in religione nostra nequit Prouincialis incorporare nouitium religioni, nisi maior pars familiæ consentiat, vt benè aduertunt statuta nostra. Hinc iure optimo inquit Crousers *lect. 4. §. dico ex communi, in c. 2. f. 89.* si Minister absque præfato consensu admitteret nouitium ad professionem, certum esse, eum grauiter peccare, professionemque eiusmodi esse nullam.

16 Quinta conclusio. Præfata auctoritas incorporandi religioni à memoratis Ministris delegari potest; quia sicut receptio ad probationem ab eisdem committi potest, vt visum fuit *disput. 7.*
17 *dub. 1.* ita hæc receptio ad professionem. Vnde Rota *in antiquis decis. 4. alias 267. de regular.* dixit, professionem fieri posse per Monachum in manibus sui Abbatis, vel alterius ab Abbate potestatem habentis. Et ità etiam docet Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. de regular. num. 54.* Et in hoc sensu intelligendus est B. F. Hugo *c. 2. col. 4. vers. finito anno*, qui à citatis Expositoribus discrepare videtur, docendo Custodes, & Guardianos posse recipere ad professionem, & idem tenet Rodriquez *p. 2. sum. c. 8. num. 3.* loquendo de Guardianis; Quorum sententia intelligenda est, his inferioribus integrum esse recipere ad professionem non ratione regulæ, sed commissionis, aut consuetudinis.

18 Sexta conclusio. Quamuis tutius sit, Guardianos, & Magistros nouitiorum non recipere quempiam ad professionem, nisi expressam à Prouinciali obtinuerint licentiam: nihilominus vi tacitæ licentiæ, quę habetur ex ratihabitione de prę senti, integrum est eis recipere nouitios ad professionem; quia cũ ipsi Prouinciales videant, atq; sciant prę fatos Guardianos, & Magistros plerunque

recipere iuuenes ad hanc professionem, dum tacent, & non contradicunt, cum possint, & valeant eis contradicere, constat, illos suum præbere assensum. Probatur conclusio, nam scientia, & patientia in ijs, quæ sunt modici præiudicij operatur consensum, vt tradunt Bart. *in l. quæ dotis num. 24. ff. solu. matrim.* Panormit. *in c. nonne num. 3. de præsumpt.* & quamplures alij, quos cumulat, & sequitur Mascardus *de probat. concl. 1158. num. 34.* Cum ergo hac receptio nullum præiudicium inferat Prouinciali, patet, illam patientiam, & scientiam inducere consensum, & legitimam licentiam, prout hæc, eadem patientia, & scientia Parochi videntis alienum Sacerdotem interesse matrimonio inducit legitimam licentiam tacitam, quatenus præfatus Sacerdos matrimonio interesse possit, vt latè, doctèque probat Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 35. num. 20.*

Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat, etiam si Prouincialis adsit in monasterio, & Guardianus tunc nouitium ad professionem admittens non petit licentiam; Et est ratio, quia licèt ipse Guardianus se gerat irreuerenter erga suum Prælatum, adest tamen consensus tacitus eiusdem Prouincialis ob rationem modò

19 allatam. Immò quemadmodum valida est licentia assistendi matrimonio, si Parochus fictè eam concedat sacerdoti, idest absq; vera intentione concedendi, sed solis externis verbis, vt iure optimo sustinent Sãchez *lib. 3. de matrim. disp. 22. n. 64.* Ità eodem prorsus modo legitima censeretur licentia hoc modo fictè concessa Guardiano admittendi scilicet ad professionem.

20 Septima conclusio. Si Guardianus, vel alius inferior professionem nouitij reciperet nomine Prouincialis, vel alterius huiusmodi superioris, idest sub spe ratihabitionis futuræ, talis professio suo valore careret quousq; eam ratam præfatus superior haberet; quia tunc incipit valere a tempore, quo rata habita fuerit à superiore. Ità Boch. *in c. porrectum num. 5. de regular.* qui citat Innocent. Hostiens. & Ioan. Andr. Et ita etiam docent Angel. *tit. professio num. 13.* Tabiena *num. 2.* Armilla *num. 1.* Syluest. *religio 3. q. 18. dict. 2.* & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 3. q. 7.* quamuis Suarez *tom. 3. lib. 6. c. 11. à num. 6.* hæsitet de huius professionis validitate, probabiliusq; existimat non esse validam. Idem dicendum si Abbas nomine conuentus acceptet professionem; nam tunc talis professio suum sumit

valo-

valorem quando Conuentus eam postea ratam habet, vt notat Cucch. *lib. 3. instit. maio. tit. 1. de regular. n. 56. ad fin.* Et hoc procedit in illis religionibus, in quibus iuxta ius commune creatio monachorum ad Abbatem, & conuentum spectat. Si vero pro-
21 fessio non fuerit acceptata nomine superioris, aut cōuentus, subsequens eius ratihabitio nihil proderit. Nam tunc ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, quando actus factus fuit nomine eius, qui ratum habet eundem actum *l. 1. §. deiecisse, & seq. ff. de vi, & vi arma. l. vlt. C. ad Maced. c. cum quis, de sent. excom. in sexto,* Rota *decis. 218. num. 5. coram Mantica.* Et ita in proprijs terminis tenent ferè omnes DD. citati.

DVBIVM II.

An mortaliter peccent Religiosi, vel negantes suffragium nouitio idoneo, vel receptioni inhabilis assensum præstantes.

SVMMARIVM.

1 *Quare Religiosi sine causa negantes suffragium Nouitio peccent mortaliter.*

An peccet mortaliter retrahens aliquem sine iusta causa ab ingressu Religionis.

Item an retrahens Nouitium post ingressum.

2 *An Nouitius sine iusta causa expulsus possit agere contra Religionem, ne expellatur.*

Religio eÿcere non potest Nouitium absq; legitima causa.

3 *An speciali iure teneantur Minores admittere Nouitios idoneos.*

4 *Quis grauius peccet, an Nouitius recedens à Religione sine causa, an verò Religiosus negans ei suffragium absq; causa.*

5 *Quod peccatum perpetrent Religiosi admittentes ad professionem indignum.*

6 *Qua inhabilitas profitentis excuset recipientem à culpa.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Pro comperto habeo, religiosos suffragium absque iusta causa nouitio idoneo negantes, laqueo mortifero inuolui. Quod probatur primò ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 16. de regular.* Quod cum decernat, superiores admittere debere ad professionem nouitios, quos habiles expleto nouitiatus tempore inuenerint, insinuat, hoc esse praeceptorium. Secundò, quia ij negantes votum nouitio idoneo peccant contra charitatem, priuant enim illum magno bono, & grandi periculo exponunt; Et ideò quemadmodum mortaliter peccat saltem contra charitatem retrahens aliquem absque iusta causa ab ingressu religionis, vt expressè colligitur ex Paludan. *4. dist. 15. q. 2. art. 2.* Soto *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. 2. argum.* D. Anton. *2. p. tit. 2. c. 2.* §. 1. & Azorio *p. 3. lib. 5. c. 2.* & docetur expressius à Nauar. *c. 12. num. 44.* Sayro *in clau. reg. lib. 11. c. 1. num. 28.* & Lessio *de iust. lib. 2. c. 8. dubit. 13.* & grauius peccat iuxta Nauarrum, & alios si retrahat nouitium post ingressum. Ita eodem prorsus modo peccat, qui suffragium idoneo negat, vt colligitur ex Caiet. *2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3.* dicente, *si post probatum nouitium nulla ingrata religioni conditio occurrit, si religio ex sola libertate refutaret nouitium, ab omni sapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur.* Sed expressius docetur a Miranda *in Manual. Praelat. tom. 1. q. 25. art. 12.* Rebello *de obligat. p. 1. lib. 4. q. 15. num. 5.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 7. & lib. 5. c. 11.*
2 *n. 5.* Hinc Hostien. & Ioan. And. quos refert, & sequitur Greg. Lopez *lib. 3. tit. 7. p. 1.* meritò docent, ius habere nouitium absq; iusta causa expulsum agendi contra religionem, ne expellatur, & à Rota coram R. P. D. Coccino *decis. 215. num. 14.* resolutum fuit nō posse absq; legitima causa religionem eijcere nouitium durante probationis anno, vt inquit Collectarius *in c. ad apostolicā n. 19. de reg.* & ità intendunt Hostien. Anchar. & alij *in d. c. ad apostolicam* dum volunt, receptum durante probationis anno expelli posse, si mores non placent. Quod intelligendum est arbitrio boni viri, & ideò quatenus adsit legitima causa, Bart. *in extrauag. ad reprimendū in verbo videbitur n. 8.* & Paris. *cōs. 65. n. 5. lib. 1. & cons. 8. n. 21. lib. 4.* ab eadem Rota allegati. Hinc Galu. *cons. 12. per totū* iure optimo latè sustinet iniustè fuisse à quadam religione eiectū nouitium alias habilem, eo quòd de alimentis non satisfecit monasterio tempore

probationis ab eo perceptis. Hæc enim dici nequit legitima causa eijciendi nouitiũ, cum alias esset ad religionem idoneus. Quod confirmatur, nam iuxta iuris communis dispositionem non tenetur nouitius ad præfatas alimentorum expensas, etiam si à religione discedere vellet; quia qui monasterio, & altari deseruit, de altari viuere, & à monasterio ali debet, vt tradunt Gemin. *in c. non solum, n.5. de regular. in sexto.* Surd *in tract. de aliment. tit.1.q.75.n.1.* Azorius *p.1. lib.12.c.3.q.6.* & idem Galuan. *n.10.*

4 Ampliatur hæc conclusio quoad nos Minores à Patribus Ordinis *c.2.* Corduba *c.2.q.11.p.2.* & Miranda *tom.1.q.23.art.12. concl.2.* existimantibus teneri Fratres ex regulæ præcepto recipere, atq; admittere nouitios alias idoneos ad professionẽ expleto probationis anno. At hæc ampliatio non placet; Quia licet æquipollens sit præcepto recipere ad professionem hos nouitios idoneos, vt colligitur expresse ex declaratione Clementis Quinti: hoc tamen præcepto obstringuntur solum Ministri, eo quod, vt alias dictum est, ad eos spectat ex regula totum ius recipiendi ad professionem. Quod confirmatum est à Politio *c.2. num.74.*

4 Limitatur hæc conclusio à Sanch. *in præcep. decal. lib.5.c.4.n.19.* existimante narratam culpam non esse lethalem, nisi expulsio esset grauis nouitio nota. Ducitur, quia sicut culpa nouitij leuiter recedentis est solum venialis: ita etiam negantes suffragium non peccant plusquam venialiter. Non enim magis obligatur religio nouitio, quam nouitius ipsi religioni quoad culpam. At hæc limitatio pace tanti doctoris nõ placet, quia est dispar ratio obligationis nouitij, & religionis; Nouitius enim secluso voto recedẽs absq; vlla causa ad summum ob eius leuitatem culpa veniali se coinquinat, quia non peccat contra charitatem, eo quod inde non resultat nocumentum alicuius momenti religioni: nec etiam peccat cõtra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. At religio, seu religiosus negans absq; iusta causa suffragium nouitio peccat contra charitatem, vt probatum est. Præterea peccat, quia abutitur potestate, quam habet incorporãdi religioni, qua tenetur bonum eiusdem religionis procurare, & iustum iudicium ferre. Vndè apertè constat, in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutatiuæ, sed distributiuæ, vel charitatis non esse mutuam obligationem inter nouitium, & religionem.

5 Se-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Pro comperto habeo, religiosos suffragium absque iusta causa nouitio idoneo negantes laqueo mortifero inuolui. Quod probatur primò ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 16. de regular.* Quod cum decernat, superiores admittere debere ad professionem nouitios, quos habiles expleto nouitiatus tempore inuenerint, insinuat, hoc esse præceptorium. Secundò, quia ij negantes votum nouitio idoneo peccant contra charitatem, priuant enim illum magno bono, & grandi periculo exponunt; Et ideò quemadmodum mortaliter peccat saltem contra charitatem retrahens aliquem absque iusta causa ab ingressu religionis, vt expresse colligitur ex Paludan. *4. dist. 15. q. 2. art. 2.* Soto *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. 2. argum.* D. Anton. *2. p. tit. 2. c. 2.* §. 1. & Azorio *p. 3. lib. 5. c. 2.* & docetur expressius à Nauar. *c. 12. num. 44.* Sayro *in clau. reg. lib. 11. c. 1. num. 28.* & Lessio *de iust. lib. 2. c. 8. dubit. 13.* & grauius peccat iuxta Nauarrum, & alios si retrahat nouitium post ingressum. Ita eodem prorsus modo peccat, qui suffragium idoneo negat, vt colligitur ex Caiet. *2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3.* dicente, *si post probatum nouitium nulla ingrata religioni conditio occurrit, si religio ex sola libertate refutaret nouitium, ab omni sapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur.* Sed expressius docetur a Miranda *in Manual. Prælat. tom 1. q. 25. art. 12.* Rebello *de obligat. p. 1. lib. 4. q. 15. num. 5.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 7. & lib. 5. c. 11.*
2 *n. 5.* Hinc Hostien. & Ioan. And. quos refert, & sequitur Greg. Lopez *lib. 3. tit. 7. p. 1.* meritò docent, ius habere nouitium absq; iusta causa expulsum agendi contra religionem, ne expellatur, & à Rota coram R. P. D. Coccino *decis. 215. num. 14.* resolutum fuit nō posse absq; legitima causa religionem eijcere nouitium durante probationis anno, vt inquit Collectarius *in c. ad apostolicā n. 19. de reg.* & ita intendunt Hostien. Anchar. & alij *in d. c. ad apostolicam* dum volunt, receptum durante probationis anno expelli posse, si mores non placent. Quod intelligendum est arbitrio boni viri, & ideò quatenus adsit legitima causa, Bart. *in extrauag. ad reprimendū in verbo videbitur n. 8.* & Paris. *cōs. 65. n. 5. lib. 1. & cons. 8. n. 21. lib. 4.* ab eadem Rota allegati. Hinc Galu. *cons. 12. per totū* iure optimo latè sustinet iniustè fuisse à quadam religione eiectū nouitium alias habilem, eo quòd de alimentis non satisfecit monasterio tempore

pro-

probationis ab eo perceptis. Hæc enim dici nequit legitima causa eijciendi nouitiũ, cum alias esset ad religionem idoneus. Quod confirmatur, nam iuxta iuris communis dispositionem non tenetur nouitius ad præfatas alimentorum impensas, etiam si à religione discedere vellet; quia qui monasterio, & altari deseruit, de altari viuere, & à monasterio ali debet; vt tradunt Gemin. *in c. non solum, n. 5. de regular. in sexto.* Surd *in tract. de aliment. tit. 1. q. 75. n. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 3. q. 6.* & idem Galuan. *n. 10.*

4 Ampliatur hæc conclusio quoad nos Minores à Patribus Ordinis *c. 2.* Cordub. *c. 2. q. 11. p. 2.* & Miranda *tom. 1. q. 23. art. 12. concl. 2.* existimantibus teneri Fratres ex regulæ præcepto recipere, atq; admittere nouitios alias idoneos ad professionẽ expleto probationis anno. At hæc ampliatio non placet; Quia licèt æquipollens sit præcepto recipere ad professionem hos nouitios idoneos, vt colligitur expressè ex declaratione Clementis Quinti: hoc tamen præcepto obstringuntur solum Ministri, eo quòd, vt alias dictum est, ad eos spectat ex regula totum ius recipiendi ad professionem; Quod confirmatum est à Politio *c. 2. num. 74.*

4 Limitatur hæc conclusio à Sanch. *in precep. decal. lib. 5. c. 4. n. 39.* existimante narratam culpam non esse lethalem, nisi expulsio esset grauis nouitio nota. Ducitur, quia sicut culpa nouitij leuiter recedentis est solum venialis: ita etiam negantes suffragium non peccant plusquam venialiter. Non enim magis obligatur religio nouitio, quam nouitius ipsi religioni quoad culpam. At hæc limitatio pace tanti doctoris nõ placet, quia est dispar ratio obligationis nouitij, & religionis; Nouitius enim secluso voto recedẽs absq; vlla causa ad summum ob eius leuitatem culpa veniali se coinquinat, quia non peccat contra charitatem; eo quòd inde non resultat nocumentum alicuius momenti religioni: nec etiam peccat cõtra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. At religio, seu religiosus negans absq; iusta causa suffragium nouitio peccat contra charitatem, vt probatum est. Præterea peccat, quia abutitur potestate, quam habet incorporãdi religioni, qua tenetur bonum eiusdem religionis procurare, & iustum iudicium ferre. Vndè apertè constat, in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutatiuæ, sed distributiuæ, vel charitatis non esse mutuam obligationem inter nouitium, & religionem.

5 Se-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima, Pro comperto habeo, religiosos suffragium absque iusta causa nouitio idoneo negantes laqueo mortifero inuolui. Quod probatur primò ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 16. de regular.* Quod cum decernat, superiores admittere debere ad professionem nouitios, quos habiles expleto nouitiatus tempore inuenerint, insinuat, hoc esse praeceptorium. Secundò, quia ij negantes votum nouitio idoneo peccant contra charitatem, priuant enim illum magno bono, & grandi periculo exponunt; Et ideò quemadmodum mortaliter peccat saltem contra charitatem retrahens aliquem absque iusta causa ab ingressu religionis, vt expressè colligitur ex Paludan. *4. dist. 15. q. 2. art. 2.* Soto *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. 2. argum.* D. Anton. 2. *p. tit. 2. c. 2.* §. 1. & Azorio *p. 3. lib. 5. c. 2.* & docetur expressius à Nauar. *c. 12. num. 44.* Sayro *in clau. reg. lib. 11. c. 1. num. 28.* & Lessio *de iust. lib. 2. c. 8. dubit. 13.* & grauius peccat iuxta Nauarrum, & alios si retrahat nouitium post ingressum. Ita eodem prorsus modo peccat, qui suffragium idoneo negat, vt colligitur ex Caiet. 2. 2. *q. vlt. art. 4. dub. 3.* dicente, *si post probatum nouitium nulla ingrata religioni conditio occurrit, si religio ex sola libertate refutaret nouitium, ab omni sapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur.* Sed expressius docetur a Miranda *in Manual. Prälat. tom. 1. q. 25. art. 12.* Rebello *de obligat. p. 1. lib. 4. q. 15. num. 5.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 7. & lib. 5. c. 1. 12.*
2 *n. 5.* Hinc Hostien. & Ioan. And. quos refert, & sequitur Greg. Lopez *lib. 3. tit. 7. p. 1.* meritò docent, ius habere nouitium absq; iusta causa expulsum agendi contra religionem, ne expellatur, & à Rota coram R. P. D. Coccino *decis. 215. num. 14.* resolutum fuit nō posse absq; legitima causa religionem eijcere nouitium durante probationis anno, vt inquit Collectarius *in c. ad apostolicā n. 19. de reg.* & ita intendunt Hostien. Anchar. & alij *in d. c. ad apostolicam* dum volunt, receptum durante probationis anno expelli posse, si mores non placent. Quod intelligendum est arbitrio boni viri, & ideò quatenus adsit legitima causa, Bart. *in extrauag. ad reprimendū in verbo videbitur n. 8.* & Paris. *cōs. 65. n. 5. lib. 1. & cons. 8. n. 21. lib. 4.* ab eadem Rota allegati. Hinc Galu. *cons. 12. per tot.* iure optimo latè sustinet iniustè fuisse à quadam religione eiectū nouitium alias habilem, eo quòd de alimentis non satisfecit monasterio tempore

pro-

probationis ab eo perceptis. Hæc enim dici nequit legitima causa eijciendi nouitiū, cum alias esset ad religionem idoneus. Quod confirmatur, nam iuxta iuris communis dispositionem non tenetur nouitius ad præfatas alimentorum impensas, etiam si à religione discedere vellet; quia qui monasterio, & altari deseruit, de altari viuere, & a monasterio ali debet, vt tradunt Gemin. *in c. non solum, n. 5. de regular. in sexto.* Surd *in tract. de aliment. tit. 1. q. 75. n. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 3. q. 6.* & idem Galuan. *n. 16.*

4 Ampliatur hæc conclusio quoad nos Minores à Patribus Ordinis *c. 2.* Corduba *c. 2. q. 11. p. 2.* & Miranda *tom. 1. q. 25. art. 12. concl. 2.* existimantibus teneri Fratres ex regulæ præcepto recipere, atq; admittere nouitios alias idoneos ad professionē expleto probationis anno. At hæc ampliatio non placet; Quia licet æquipollens sit precepto recipere ad professionem hos nouitios idoneos, vt colligitur expresse ex declaratione Clementis Quinti: hoc tamen præcepto obstringuntur solum Ministri, eo quod, vt alias dictum est, ad eos spectat ex regula totum ius recipiendi ad professionem; Quod confirmatum est à Politio *c. 2. num. 74.*

4 Limitatur hæc conclusio à Sanch. *in præcep. decal. lib. 5. c. 4. n. 19.* existimante narratam culpam non esse lethalem, nisi expulsio esset grauis nouitio nota. Ducitur, quia sicut culpa nouitij leuiter recedentis est solum venialis: ita etiam negantes suffragium non peccant plusquam venialiter. Non enim magis obligatur religio nouitio, quam nouitius ipsi religioni quoad culpam. At hęc limitatio pace tanti doctoris nō placet, quia est dispar ratio obligationis nouitij, & religionis; Nouitius enim secluso voto recedēs absq; vlla causa ad summum ob eius leuitatem culpa veniali se coinquinat, quia non peccat contra charitatem, eo quod indè non resultat nocumentum alicuius momenti religioni: nec etiam peccat cōtra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. At religio, seu religiosus negans absq; iusta causa suffragium nouitio peccat contra charitatem, vt probatum est. Præterea peccat, quia abutitur potestate, quam habet incorporādi religioni, qua tenetur bonum eiusdem religionis procurare, & iustum iudicium ferre. Vndè apertè constat, in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutatiuę, sed distributiuæ, vel charitatis non esse mutuam obligationem inter nouitium, & religionem.

5 Se-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima, Pro comperto habeo, religiosos suffragium absque iusta causa nouitio idoneo negantes laqueo mortifero inuolui. Quod probatur primò ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 16. de regular.* Quod cum decernat, superiores admittere debere ad professionem nouitios, quos habiles expleto nouitiatus tempore inuenerint, insinuat, hoc esse praeceptorium. Secundò, quia ij negantes votum nouitio idoneo peccant contra charitatem, priuant enim illum magno bono, & grandi periculo exponunt; Et ideò quemadmodum mortaliter peccat saltem contra charitatem retrahens aliquem absque iusta causa ab ingressu religionis, vt expressè colligitur ex Paludan. *4. dist. 15. q. 2. art. 2.* Soto *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. 2. argum.* D. Anton. *2. p. tit. 2. c. 2.* §. 1. & Azorio *p. 3. lib. 5. c. 2.* & docetur expressius à Nauar. *c. 12. num. 44.* Sayro *in clau reg. lib. 11. c. 1. num. 28.* & Lessio *de iust. lib. 2. c. 8. dubit. 13.* & grauius peccat iuxta Nauarrum, & alios si retrahat nouitium post ingressum. Ita eodem prorsus modo peccat, qui suffragium idoneo negat, vt colligitur ex Caiet. *2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3.* dicente, *si post probatum nouitium nulla ingrata religioni conditio occurrit, si religio ex sola libertate refutaret nouitium, ab omni sapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur.* Sed expressius docetur a Miranda *in Manual. Prælat. tom 1. q. 25. art. 12.* Rebello *de obligat. p. 1. lib. 4. q. 15. num. 5.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 7. & lib. 5. c. 11.*
2 *n. 5.* Hinc Hostien. & Ioan. And. quos refert, & sequitur Greg. Lopez *lib. 3. tit. 7. p. 1.* meritò docent, ius habere nouitium absq; iusta causa expulsum agendi contra religionem, ne expellatur. & à Rota coram R. P. D. Coccino *decis. 215. num. 14.* resolutum fuit nō posse absq; legitima causa religionem eijcere nouitium durante probationis anno, vt inquit Collectarius *in c. ad apostolicã n. 19. de reg.* & ità intendunt Hostien. Anchar. & alij *in d. c. ad apostolicam* dum volunt, receptum durante probationis anno expelli posse, si mores non placent. Quod intelligendum est arbitrio boni viri, & ideò quatenus adsit legitima causa, Bart. *in extrauag. ad reprimendũ in verbo videbitur n. 8.* & Paris. *cōs. 65. n. 5. lib. 1. & cons. 8. n. 21. lib. 4.* ab eadem Rota allegati. Hinc Galu. *cons. 12. per totũ* iure optimo late sustinet iniustè fuisse à quadam religione eiectũ nouitium alias habilem, eo quòd de alimentis non satisfecit monasterio tempore

probationis ab eo perceptis. Hæc enim dici nequit legitima causa eijciendi nouitiũ, cum alias esset ad religionem idoneus. Quod confirmatur, nam iuxta iuris communis dispositionem non tenetur nouitius ad præfatas alimentorum impensas, etiam si à religione discedere vellet; quia qui monasterio, & altari deseruit, de altari viuere, & à monasterio ali debet, vt tradunt Gemin. *in c. non solum, n. 5. de regular. in sexto.* Surd *in tract. de aliment. tit. 1. q. 75. n. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 3. q. 6.* & idem Galuan. *n. 10.*

4 Ampliatur hæc conclusio quoad nos Minores à Patribus Ordinis *c. 2.* Corduba *c. 2. q. 11. p. 2.* & Miranda *tom. 1. q. 25. art. 12. concl. 2.* existimantibus teneri Fratres ex regulæ præcepto recipere, atq; admittere nouitios alias idoneos ad professionẽ expleto probationis anno. At hæc ampliatio non placet; Quia licet æquipollens sit præcepto recipere ad professionem hos nouitios idoneos, vt colligitur expresse ex declaratione Clementis Quinti: hoc tamen præcepto obstringuntur solum Ministri, eo quod, vt alias dictum est, ad eos spectat ex regula totum ius recipiendi ad professionem; Quod confirmatum est à Politio *c. 2. num. 74.*

4 Limitatur hæc conclusio à Sanch. *in præcep. decal. lib. 5. c. 4. n. 59.* existimante narratam culpam non esse lethalem, nisi expulsio esset grauis nouitio nota. Ducitur, quia sicut culpa nouitij leuiter recedentis est solum venialis: ita etiam negantes suffragium non peccant plusquam venialiter. Non enim magis obligatur religio nouitio, quam nouitius ipsi religioni quoad culpam. At hęc limitatio pace tanti doctoris nõ placet, quia est dispar ratio obligationis nouitij, & religionis; Nouitius enim secluso voto recedẽs absq; vlla causa ad summum ob eius leuitatem culpa veniali se coinquinat, quia non peccat contra charitatem, eo quod inde non resultat nocumentum alicuius momenti religioni: nec etiam peccat cõtra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. At religio, seu religiosus negans absq; iusta causa suffragium nouitio peccat contra charitatem, vt probatum est. Præterea peccat, quia abutitur potestate, quam habet incorporãdi religioni, qua tenetur bonum eiusdem religionis procurare, & iustum iudicium ferre. Vndè apertè constat, in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutatiuę, sed distributiuæ, vel charitatis non esse mutuam obligationem inter nouitium, & religionem.

5 Se-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Pro comperto habeo, religiosos suffragium absque iusta causa nouitio idoneo negantes, laqueo mortifero inuolui. Quod probatur primò ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 16. de regular.* Quod cum decernat, superiores admittere debere ad professionem nouitios, quos habiles expleto nouitiatus tempore inuenerint, insinuat, hoc esse praeceptorium. Secundò, quia ij negantes votum nouitio idoneo peccant contra charitatem, priuant enim illum magno bono, & grandi periculo exponunt; Et ideò quemadmodum mortaliter peccat saltem contra charitatem retrahens aliquem absque iusta causa ab ingressu religionis, vt expressè colligitur ex Paludan. *4. dist. 15. q. 2. art. 2.* Soto *de iust. lib. 4. q. 6. art. 3. in solut. 2. argum.* D. Anton. *2. p. tit. 2. c. 2.* §. 1. & Azorio *p. 3. lib. 5. c. 2.* & docetur expressius à Nauar. *c. 12. num. 44.* Sayro *in clau. reg. lib. 11. c. 1. num. 28.* & Lessio *de iust. lib. 2. c. 8. dubit. 13.* & grauius peccat iuxta Nauarrum, & alios si retrahat nouitium post ingressum. Ita eodem prorsus modo peccat, qui suffragium idoneo negat, vt colligitur ex Caiet. *2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3.* dicente, *si post probatum nouitium nulla ingrata religioni conditio occurrit, si religio ex sola libertate refutaret nouitium, ab omni sapiente reprehenderetur, & non bona fide agere cum nouitio diceretur.* Sed expressius docetur a Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 25. art. 12.* Rebello *de obligat. p. 1. lib. 4. q. 15. num. 5.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 4. c. 3. num. 7. & lib. 5. c. 1. 12. n. 5.*

2 Hinc Hostien. & Ioan. And. quos refert, & sequitur Greg. Lopez *lib. 3. tit. 7. p. 1.* meritò docent, ius habere nouitium absq; iusta causa expulsum agendi contra religionem, ne expellatur. & à Rota coram R. P. D. Coccino *decis. 215. num. 14.* resolutum fuit nō posse absq; legitima causa religionem eijcere nouitium durante probationis anno, vt inquit Collectarius *in c. ad apostolicā n. 19. de reg.* & ità intendunt Hostien. Anchar. & alij *in d. c. ad apostolicam* dum volunt, receptum durante probationis anno expelli posse, si mores non placent. Quod intelligendum est arbitrio boni viri, & ideò quatenus adsit legitima causa, Bart. *in extrauag. ad reprimendū in verbo videbitur n. 8.* & Paris. *cōs. 65. n. 5. lib. 1. & cons. 8. n. 21. lib. 4.* ab eadem Rota allegati. Hinc Galu. *cons. 12. per totū* iure optimo latè sustinet iniustè fuisse à quadam religione eiectū nouitium alias habilem, eo quòd de alimentis non satisfecit monasterio tempore pro-

probationis ab eo perceptis. Hæc enim dici nequit legitima causa eijciendi nouitiũ, cum alias esset ad religionem idoneus. Quod confirmatur, nam iuxta iuris communis dispositionem non tenetur nouitius ad præfatas alimentorum impensas, etiam si à religione discedere vellet; quia qui monasterio, & altari deseruit, de altari viuere, & a monasterio ali debet, vt tradunt Gemin. *in c. non solum, n. 5. de regular. in sexto.* Surd *in tract. de aliment. tit. 1. q. 75. n. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 3. q. 6.* & idem Galuan. *n. 10.*

4 Ampliatur hæc conclusio quoad nos Minores à Patribus Ordinis *c. 2.* Corduba *c. 2. q. 11. p. 2.* & Miranda *tom. 1. q. 25. art. 12. concl. 2.* existimantibus teneri Fratres ex regulæ præcepto recipere, atq; admittere nouitios alias idoneos ad professionẽ expleto probationis anno. At hæc ampliatio non placet; Quia licet æquipollens sit precepto recipere ad professionem hos nouitios idoneos, vt colligitur exprefse ex declaratione Clementis Quinti: hoc tamen præcepto obstringuntur solum Ministri, eo quod, vt alias dictum est, ad eos spectat ex regula totum ius recipiendi ad professionem: Quod confirmatum est à Politio *c. 2. num. 74.*

4 Limitatur hæc conclusio à Sanch. *in præcep. decal. lib. 5. c. 4. n. 39.* existimante narratam culpam non esse lethalem, nisi expulsio esset grauis nouitio nota. Ducitur, quia sicut culpa nouitij leuiter recedentis est solum venialis: ita etiam negantes suffragium nouitio peccant plusquam venialiter. Non enim magis obligatur religio nouitio, quam nouitius ipsi religioni quoad culpam. At hęc limitatio pace tanti doctoris nõ placet, quia est dispar ratio obligationis nouitij, & religionis; Nouitius enim secluso voto recedẽs absq; vlla causa ad summum ob eius leuitatem culpa veniali se coinquinat, quia non peccat contra charitatem, eo quod indè non resultat nocumentum alicuius momenti religioni: nec etiam peccat cõtra iustitiam, aut fidelitatem, quia nihil promisit. At religio, seu religiosus negans absq; iusta causa suffragium nouitio peccat contra charitatem, vt probatum est. Prætereà peccat, quia abutitur potestate, quam habet incorporãdi religioni, qua tenetur bonum eiusdem religionis procurare, & iustum iudicium ferre. Vndè apertè constat, in hac obligatione, quæ non est iustitiæ commutatiuę, sed distributiuæ, vel charitatis non esse mutuam obligationem inter nouitium, & religionem.

5 Se-

5 Secunda conclusio: Religiosi admittentes ad professionem nouitium apertè inhabilem, aut indignum peccant plus, aut minus iuxta qualitatem, seu quantitatem damni, quod inferunt vel religioni, vel eidem recepto. Probatur conclusio, quia si admittatur nouitius ad obseruandas obligationes regulæ apertè inhabilis, talis admissio certè est valde peccaminosa, quia imponitur onus humeris eiusdem nouitij, quod sine dispensatione ferre non potest, ac proindè in iacturam obseruantiæ regularis. Idem dicendum si admittatur scienter quis naturam habens moribus religionis notabiliter aduersantem; experientia enim docet ex tali receptione labefactari disciplinam regularem. Tandem si admittatur inhabilis, seu impotens ad religionis labores perferendos, officiaque exequenda iuxta statum, quem assumit, certum est, talem receptionem culpa non vacare ob damnum indè religioni euenturum, nisi id reparetur, vel magna recepti morum probitate, vel doctrina, vel nobilitate, vel alia huiusmodi circunstantia.

6 Intelligitur conclusio, vt non ob quamcunque nouitiorum receptionem aliqua inhabilitate laborantium culpa se inficiant recipientes; Nam quotiescumque tanta habilitas reperitur in nouitio, quanta ei sufficere creditur ad obligationes regulæ obseruandas, ad mediocremque religioni vtilitatem ferendam, tunc talis receptio censetur immunis à quauis culpa, etiam si receptus ad quamplura alia corpori religionis necessaria sit inhabilis; Quia cum habilitas non consistat in puncto, sed magnam habeat latitudinem, non dijudicatur necessarium attingere debere nouitium supremum eiusdem habilitatis gradum, sed ei sufficere habilitatem modò explicatam, quæ consistit intra latitudinem necessariam.

Du-

DVBIVM III.

Quomodo se gerere debeat Religiosus, quando dubitatur, an negari, seu concedi debeat suffragium Nouitio.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quaestionis.*
2 *Inhabilitates Nouitiorum aliae sunt temporales, aliae spirituales.*
3 *Quando habens suffragari professioni Nouitiorum teneatur consulere alios.*
4 *Iuris ignorantia nunquam excusat, quando homo non consulit peritiores.*
5 *Quae imperfectiones temporales inhabilitent Nouitium, & quae non.*
6 *Item quae imperfectiones spirituales.*

1 RESPONDEO praenotandum esse primò. Cum de nouotijs communiter a Fratribus, vel pro idoneis, vel pro inhabilibus existimatis nullum regulariter habeatur dubium quoad eorum admissionem, vel expulsionem; quia primi sunt omnino admittendi, secundi verò expellendi: de his etiam in hoc dubio nihil est dicendum, sed de illis solum qui laborant aliquo defectu, seu impedimento, per quod vertitur in dubium, an admitti, aut expelli debeant.

2 Secundò. Inhabilitas, qua laborant nouitij, de quorum receptione hasitari solet, reducitur ad imperfectionem, seu impedimentum temporale, vt ita dicam, vel spirituale. Impedimentum temporale appello, si nouitius aliquo corporali defectu laboret, vel si natura sit, seu habitudinis tenuis, vel non aptus, vt detineatur, ad exequenda monasterij officia, vel parum in literis versatus, vel si quid simile impedimentum habeat. Imperfectionem, seu impedimentum spirituale voco, si nouitius sit durae ceruicis, si non alienum, sed proprium arbitrium libenter faciat & sequatur: si sit iracundus, impatiens, mendax, vitioq; gulae deditus: si imbecil-

liter

ter se habeat in mortificationibus, austeritatibusque religionis perferendis. vel si alia huiusmodi imperfectione laboret.

His præmissis sit prima conclusio. Cum receptio ad professionem sit vnum ex præcipuis negotijs, quæ in religionibus expediuntur, perspicuum est, teneri religiosum vti ea diligentia, quæ huic graui negotio censetur necessaria, quatenus prudenter concedere, aut negare possit suffragium nouitio, & præcipuè ei, de quo, vt modò dictum est, vrgent rationes pro vtraq; parte, an scilicet excludendus, aut admittendus sit. Et quia inter alia consilium censetur medium satis accommodatum ad hoc negotium rectè expediendum, dico, religiosum, & maximè Fratrem idiotam, vel inexpertũ debere omninò consilium docti, & prudentis, vel exercitati adhibere. Quod confirmatur, nam si superior cogitur in hoc casu consilium conuentus petere, vt visum est, multò magis tenetur in hoc dubio petere illud religiosus priuatus, & maximè idiota, & inexpertus. Immò censeo, hoc consilium esse adhibendum etiam si ipsemet religiosus non sit dubius, quando tamen à maiori conuentus parte rationabiliter vertitur in dubium expulsio, aut receptio nouitij; quia suo iudicio, & prudentia inniti vt plurimum non debet. Et quamuis adhibito consilio, illud sequi non teneatur: tutius tamen, & securius censetur adherere magis illi, quàm propriæ sententiæ, licèt tutior, & securior ei videatur. Hæc conclusio corrobatur quadam iuris interpretum doctrina, nempe iuris ignorantiam nunquam excusare, quando homo non consulit peritiores *l. in bonorum ff. de bonor. possess.* Rom. *l. si duo, num. 4. ff. de acquir. hæredit.* Alex. *l. iustè possidet num. 37. ff. de acquir. possess. & l. 1. §. si quis ità num 9. ff. de verbor. obligat.* Felin. *c. de quarta num. 28. de præscript.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 10. num. 8.* Barbosa *in prælud. l. si mora num. 16. ff. solu. matrim.* Ità in casu nostro censeo non excusari Fratrem, si indebitè negat, aut concedit suffragium præfato nouitio non adhibito consilio. Et licèt hęc doctrina limitetur, dummodo homo peritiores consulere possit, quia dum non habet eos ad manus excusatur, vt benè notant Roman. Felin. *num. 27.* & Barbosa modò citati: attamen talis limitatio vt plurimum non habet locum in casu nostro, in quo Fratres habent semper ad manus, uel Guardianum, uel Magistrum, uel Confessarium, uel alium huiusmodi idoneum ad hoc consilium pręstandum.

5 Se-

5 Secunda conclusio. Imperfectiones temporales, seu corporales si notabilem deformitatem non afferant, neque impediant nouitium ab obligationum regulæ obseruantia, non sunt causa sufficiens ad negandum suffragium, si nouitius aliquo modo sit religioni vtilis. Idem dicendum, si tenuis naturæ sit, & etiam literaturæ, dummodò ea saltem scientia prædiuus sit, quæ censetur clerico necessaria, vt *disput. 5. dub. 5.* declaratum fuit. Ratio est, quia cum Superior, & alij Patres, quos idem Superior adhibuit in consiliarios ad recipiendum nouitium aliqua ex ijs imperfectionibus laborantem, existimauerint, ob talem imperfectionem non reddi inhabilem ad religionem, regulariter illicitum est fratribus familiæ ratione huius impedimenti negare nouitio suffragium; quia re vera ob tale impedimentum non censetur inhabilis, nisi superueniat alius defectus, qui cum eadem imperfectione coniunctus illum reddat inhabilem.

6 Tertia conclusio. Imperfectiones spirituales, quamuis sint magnæ considerationis: Nihilominus prudenter se gerere debet religiosus; eo quod fragilitas humana est charitatiuè ferenda, eò vel maximè, quia valde difficilè est, habitus vitiosos breui tempore superare. Hinc iuxta legem charitatis non est excludendus nouitius, qui aliquando vnam, vel alteram harum imperfectionum incidit. E contrariò verò non est admittendus, qui sæpenumero in eas corruit, vt ratio suadet, & colligitur non obscurè ex Panormitan. *in c. ad apostolicam num. 3. de regular.* Et vt finem ponam huic dubio, accipe hanc regulam: Facilius scilicet delinqui in negatione, quàm in concessione suffragij; eo quòd exclusio à religione fieri nequit tuta conscientia, nisi intercedat aliqua grauis causa, quamuis necessariò esse non debeat mortifera: Inclusio verò licitè fieri potest, si nouitius ea saltem habilitate polleat, qua obligationes regulæ, disciplinamq; regularem obseruare valeat, sitq; aliquo modo, vt dictum est, vtilis religioni.

Vu Du-

DVBIVM IV.

An Superior, seu Magister possit, aut debeat Nouitio idoneo suffragium negare, quem ex sola confessione nouit indignum.

SVMMARIVM.

1 *Prima opinio partem affirmatiuam docens.*
2 *Pars negatiua merito sustinetur.*
3 *Religiosi præcepto Pontificio obstringuntur non vti scientia confessionis ad exteriorem gubernationem.*

1 RESPONDEO D. Thomam *4. distin. 21. q. 3. art. 1.* Syluest. *tit. confessio 3. q. 14. num. 9.* Soto *de ratione tegen. & detegen. secretum, memb. 3. q. 4. post quintam concl. vers. ex hac regula,* Nauarrũ *dist. 6. c. Sacerdos num. 146 de pœnit. & in c. humanæ aures 22. q. 5. num. 6. q. 1.* & alios docere, nequaquam licere confessario in electione eligere, quem ex sola confessione nouerit indignum. Immò addit Nauar. *in d. dist. 6. num. 148.* si latæ sint aliquæ pœnæ, vel censuræ ipso iure contra eligentem indignum eas incurrere electorem, qui eligit indignum in sola confessione cognitum. At eius dictum meritò ab ijs, qui de hac materia scribunt, reprobatur.

2 Doctores verò recentiores contrarium docent, quorum opinio magis placet, quia valde rationi est consentanea; Nam ratio potissima, ob quam sigilli præceptum tam inuiolabiliter obligat, est teste Medina *C. de confess. in quæst. de his, quæ à Confessore celanda sunt, §. indè vltra videtur sequi,* nè confessio reddatur onerosa, & odiosa; Et ideo idem Doctor subdit, vitandum esse quicquid eam odiosam, & onerosam reddere potest, quamuis propriè fractio sigilli minimè sit. At nihil ita confessionem difficilem, onerosam, & odiosam reddet, quam si peccatores intelligant licere confessario ob solius notitiam confessionis ipsos priuare offitijs, dignitatibus, & ijs similibus. Et cum hoc sacramentum sit Reipublicæ

Chri-

Christianæ summè necessarium, sitq; sua natura durissimum, nisi diuina gratia molliatur, debemus tanquam animarum zelatores causas effugere, quæ illud durius reddunt exemplo Domini Nostri Iesu Christi, qui ità magni fecit hoc confessionis expiaculum, & ità facile reddidit, vt quæcunq; damna, quæ ex inuiolabili custodia sigilli subsequi possent, posthabuerit, ne peccatores ab ea retrahantur. Ità tenet Suarez *tom. 4. disp. 33. sect. 7. num. 12.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 16. num. 6.* Coriolan. *de casib. reseruat. p. 1. sect. 1. art. 16. in secunda edit.* Reginald. *lib. 3. c. 3. num. 33.* Onuphrius *de sacro sigillo sect. 2. q. 2. dub. 2. §. verum quid in hac*, & alij recentiores, qui tamen affirmare non audent, cogi electorem non vti scientia cõfessionis in electione maximè secreta, idque propter tot tantorumq; Doctorum auctoritatem, qui priorem opinionem sequuntur. Quòd tamen intelligendum est, dummodo non interueniat prohibitio humana, vt benè aduertit Suarez. Quare cum

3 Clemens Octauus *anno 1593. 26. Maij* in Decreto casuum reseruatorum pro omnibus regularibus edito prohibuerit ijsdem regularibus, vti scientia confessionis ad exteriorem gubernationem, nullo modo tutum est in electionibus negare suffragium digniori, quem ex sola confessione elector cognoscit indignum, eò vel maximè, quia sacra Cardinalium Congregatio iussu Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ Octaui *anno 1624 die 21. Septembris* innouauit præfatum Clementis Octaui decretum, & omnia alia eius decreta ad regularium reformationem, ac nouitiorum receptionem, professionem, atq; institutionem spectantia.

Ex dictis liquidò cõstat minimè licere Guardiano, seu Magistro negare suffragium nouitio idoneo, quem ex sola confessione nouit indignum, quicquid dicat Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 23. n. 6.*

DVBIVM V.

An Religiosus voce priuatus ferre possit suffragium in receptionibus Nouitiorum.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè respondetur ad propositum dubium.*

2 *In quibus nequeat suffragari voce priuatus.*
3 *Quando valeat voce priuatus suffragium ferre in Nouitiorum receptione.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Si religiosus priuatus sit vtraq; voce, actiua scilicet, & passiua, censeo in approbandis, aut excludendis nouitijs suffragium præstare minimè posse.
2 Probatur, quia hac pœna punitus ferre nequit suffragium in quacunq; electione, seu contractu, aut negotio, quod collegialiter in Capitulis regularibus expediri solet, vt docent Nauar. *lib. 5. cons. 6. de verbor. signif. in 2. edit.* Graffius *tom. 2 cons. 2. difficul. 1. n. 1. de regular.* colligentes hanc assertionem ex Glossa *in Clem. 1 verbo ibi de regular.* Card. & Bonifac. ab eisdem relatis. Et ita obseruatur ferè in omnibus Religionibus. Cum autem receptio, aut exclusio nouitiorum sit actio ad conuentus collegium spectans. Ergo &c. Si uerò priuatus sit tantũ voce passiua nullus est ambigendi locus, quin possit suffragari in ijs nouitiorum electionibus; Quia hac passiua priuatione redditur solum inhabilis ad Prælaturas, & alias huiusmodi dignitates, ad quas eligi, promoueriq; nequit.
3 Locum non habet præfata conclusio in illis religionibus, in quibus ratione consuetudinis, vel statuti aliud est obseruandum, vt contingit in Religione Patrum de Obseruantia, cuius statuta anno 1598. edita decernunt *c. 7. f. 131.* priuatos vtraq; voce posse in receptionibus nouitiorum suffragari.

DVBIVM VI.

Quis modus sit in concedendis, aut negandis suffragijs Nouitijs obseruandus.

SVMMARIVM.

1 *An receptio ad professionem censeatur electio canonica.*
2 *An receptionem nouitiorum ad professionem debeat præcedere tractatus, seu sit collatio habenda.*
3 *An in tali receptione vota ferri possint per fabas, aut lupinos.*

Re-

1 RESPONDEO, cum receptio ad professionem non sit electio canonica, vt habetur in Bulla Leonis X. statim citanda, consequenter talem receptionem, seu electionem non subiacere conditionibus, quæ in electione canonica desiderantur. Leo igi-
2 tur Decimus in quadam Bulla incipiente *Exposuit nobis dilectus filius Thomas* mandat, vt in Illustrissimo Prædicatorum Ordine, quę concludenda sunt per suffragia absque canonica electione, vt recipere aliquem ad habitum, vel professionem, instituere Syndicum, & alia huiusmodi, collatione prius facta, & auditis omnibus volentibus aliquid in negotio, de quo agitur, dicere, cum ad vota peruenitur, per fabas, vel simile non nisi secreta dentur. Et quamuis hæc Bulla propter præceptum, quod continet, sit pœnalis, ac proindè ad alias religiones non extendatur. Nihilominus ex ea ad rem nostram colligimus primò, in receptione ad habitum, & ad professionem haberi debere collationem à Fratribus congregatis quoad mores, & alias nouitij qualitates. Secundò, vota esse secretò ferenda per fabas, seu lupinos, aut calculos, vel quid simile, quatenus vnusquisque libertate gaudeat concedendi, aut negandi recta conscientia suum votum.

DVBIVM VII.

An suffragia in fauorem Nouitij præstita possint à Superiore, & Conuentu ante Nouitij professionem reuocari.

SVMMARIVM.

1 *Quando suffragia nouitio præstita reuocari possint ante professionem.*
2 *Tempus probationis institutum fuit in fauorem, & nouitij, & Conuentus.*
3 *Quousque duret tempus, intra quod liberum est reuocare votum in receptione ad professionem datum.*
4 *Sine iusta causa nequeunt reuocari vota.*
5 *An valida sit professio Nouitij, qui habuit vota, sed postea superueniente noua causa Conuentus mediante scrutinio consensit esse de nouo colligenda*

genda suffragia pro admissione, vel dimissione dicti Nouitij.

6 *Lessius tenet esse validam.*

7 *Crous.rs contrarium sustinet.*

8 *Hanc posteriorem opinionem amplectitur Auctor, & defendit.*

9 *Verba in ablatiuo absoluto posita important conditionem.*

10 *Prior dispositio per posteriorem dispositionem venit restricta, & limitata.*

11 *Admissio nouitij ad professionem pendet à voluntate Fratrum, quę est variabilis vsque ad diem, & horam professionis.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Integrũ est superiori accedente conuentus cõsensu reuocare præfata suffragia priusquã nouitius emittat professionem, dummodò aliqua grauis causa
2 intercedat. Probatur, quia cum tempus probationis iuxta *c. ad apostolicam de regular.* institutum fuerit non solum in fauorem nouitij, sed etiam monasterij, quatenus experiatur nouitium, eaq; libertate gaudeat excludendi eum, si mores illius non placent, qua fruitur ipse nouitius deserendi religionem, si eam sibi gratam non inueniat, patet, toto probationis tempore liberum esse religioni ad-
3 mittere, vel excludere nouitium. Non obstat, conuentũ mediantibus suffragijs præstitisse consensum, vt ad professionem admitteretur, quia existente re integra, idest durante probationis tempore, sicut reuocari potest consensus ab altero coniuge ante ratum matrimonium si aliquid superueniat, quod si à principio interfuisset, non fuissent contracta sponsalia, *c. quemadmodũ, de iure iuraran.* Hostien. *in sum. tit. de iureiuran num. 3. post medium,* Angel. *tit. sponsalia num. 21.* Syluest. *q. 10. cas. 17. & tit. pactum* §. 4. Nauar. *lib. 4. cons. 9. in 2. edit. de sponsal.* Giouagnon. *respons. 18 num. 18. lib. 1.* & alij relati, & approbati à Sanchez *lib. 1. de sponsal. disp. 62. num. 3.* Ità, & à conuentu ante professionis emissionem possunt reuocari cõsensus, idest suffragia, eò vel maximè quia potest nouitius adeò mores mutare, vt moraliter etiam loquendo facienda sit circa personam suam noua examinatio. Facit ad hoc *Instit. de mandato,* §. *rectè, & l ante litem contestam, ff. de procur.* vbi habetur, si existente re integra reuocatum sit mandatum, euanescit; Et ideò licèt conuentus præstitisset suffragia in fauorem nouitij, hoc tamen fauore ille gaudere non debet, nisi permanentibus rebus in eo statu, in

quo

quo erant, quando dederunt Fratres consensum: idest hac gratia priuari debet, si superueniat causa grauis, quæ eum inhabilem, seu indignum statu religionis reddat: Hoc est enim regulare, quod actus semper intelligitur rebus sic stantibus *argum. l. cum qui in princ. ff. de solut. l. quod seruus, ff. de condit. ob caus.* Socin. *cons. 93. nu. 20. & 23. lib. 3.* Menoch. *cons. 499. num. 8. ad finem,* Giouagnon. *resp. 32. num. 21. lib. 2.*

4 Dixi *dummodò aliqua grauis causa intercedat*; nam si non superueniat iusta causa exclusionis, illicita est reuocatio; quia quod semel placuit, amplius displicere non debet *can. horrendus 32. q. 5.* Prȩterea si tutum non dijudicatur expellere nouitium absq; causa graui, vt in superioribus enucleatum fuit, multò minus censetur licitum reuocare suffragia, nisi accedat eadem iusta causa. Adijcio, si iuxta Doctores dubio secundo relatos nouitius expulsus sine iusta causa habet ius contra religionem, multò magis in hoc casu illud habet, ne expellatur. Quare hæc reuocatio licitè fieri non potest, nisi adsit causa, vel non prius ante suffragiorum concessionem cognita, vel postea superueniens, quȩ sufficiens ad excludendum nouitium existimetur.

5 Proponitur à Crousers Capuccino nostro *lect. 4. nō longè à princ. in c. 2. reg.* hic casus. Titius expleto ferè probationis anno, facto circa eius admissionem, vel dimissionem scrutinio pro admissione sui, vota potioris partis familiæ habuit. Antequam verò professionem emisisset, Fratres priuatim disquirentes de Titio, mores eius eis ità displicere cæperunt, quòd pleriq; contenderent ipsum non esse recipiendum, suffragiaque sua vellent reuocare, allegantes quod non facta sufficienti discussione morum suorum, multa ipsos latuissent, quæ si innotuissent, auertissent Fratrum suffragia ab ipso. Cum autem murmur de hoc inter Fratres augeretur: tandem omnes cum Patre Guardiano simul conuenerunt in hoc videlicet, vt scrutinium secretum fieret, quo disquireretur, vtrum de nouo oporteret colligi suffragia Fratrum pro Titij admissione, vel dimissione: Facto autem scrutinio potior pars familiȩ inuenta est censuisse de nouo colligenda suffragia pro admissione, vel dimissione Titij. Guardianus verò cum faueret Titio, noluit ipsum periculo dimissionis committere; sed ad Commissarium Generalem scripsit rem gestam, nouitium eidem commendās. Com-

mit-

missarius autem priorem admissionem ratam habens, & sufficientem, ordinauit, Titium recipi ad professionem, vlteriori disquisitione, & suffragiorum collectione omissa. Titius ergo professione emissa, cum magis ineptus depræhenderetur, dubitare cæperũt
6 plures, num eius professio esset valida. De hoc itaq; interrogatus oretenus doctissimus Lessius respondit professionem esse validam; Ratio eius erat, quòd sufficientia habuisset Fratrum suffragia. Cum autem obijceretur, illa suffragia fuisse reuocata, quando Fratres scrutinio facto decreuerunt, iterato scrutinio disquirendum, num esset admittendus, vel dimittendus Titius: respondit, suffragia Fratrum non fuisse sufficienter reuocata, per illud scrutinium præuium, quo non fuit cõclusum expressè, vt dimitteretur Titius: sed vt maturius deliberaretur, num esset dimittendus nec ne; necessarium autem fuisse, ad cassandum priorem in eius admissionẽ Fratrum consensum, vt vlterius concluderetur expressè dimittendus. Hæc Lessius.

7 At idem Crousers præfatam professionem esse inualidam existimat. Ducitur, quia etiam si expressè ad Titij dimissionem conclusum non fuerit, per illud scrutinium, quo decreuerunt Fratres iterum deliberandum, num admittendus esset, nec ne Titius. Hoc ipso tamen Fratres videntur sufficienter recessisse à consensu iam exhibito, eumq; reuocasse, ita quòd sine nouo consensu ad professionem recipi non posset; nec enim ad impediendam professionis nullitatem satis est, quod positiuè Fratres nõ dissentiant, si etiam positiuè non consentiant.

Perspicuum enim est, præfatum scrutinium effecisse saltem, quòd Titius non haberet familiæ consensum necessarium ad sui receptionem validam, & vt restitutus fuerit in eum statum, in quo adhuc sunt nouitij, de quorum admissione, vel dimissione nihil inter Fratres determinatum est, ac proindè professionem eius esse inualidam; non quia facta sit cum iudicaretur dimittendus, sed quia facta fuerit cum iudicaretur nõ admittendus sine nouo consensu Fratrum: ex quo manifestè satis patet, priorem consensum in eius receptionem, ac si non fuisset datus, Fratres haberi voluisse; deficiente verò consensu familiæ, nulla fuit illa professio, quippè quæ facta est non ex consensu, quem ius requirit.

Nec refert, quod Prælatus tàm maior, quàm minor Titium ad pro-

professionem receperint: quia id facere non potuerunt, nisi de consensu Fratrum. Quamuis enim Prælati impedire valeant, ne ille profiteatur validè, in cuius professionem Fratres iam consentiunt, non tamen efficere possunt, vt ille validè profiteatur, in cuius professionem non consentiunt. Si dicas, Fratres in casu proposito consensisse, nec consensum suum retractare potuisse: Quemadmodum enim, quando quis ad aliquam dignitatem electus est, non est integrum electoribus electione iam facta suffragia sua reuocare; ità etiam in proposito. Respondeo non esse parem rationem, quia in electionibus ad dignitates electi eo ipso acquirũt ius ad illas: Nouitius autem per consensum familiæ in eius professionem nullũ ius acquirit ad permanendum in ordine; nisi professione subsequuta. Suffragio enim suo conuentus nihil intendit conferre nouitio, sed tantum consentit, quod ei possit cõferri, neq; nouitio sese obligat, sed consentit, quod eiusmodi obligatio subeatur à Prælato nomine ordinis. Hæc in substantia scripsit præfatus Crousers.

8 Hæc posterior sententia mihi probabilior videtur. Et quamuis eam validissimis rationibus præfatus Crousers sustineat, ac subinde nulla indigeat corroboratione. Attamen si dicere licet, quid sentiam, mihi videtur hoc dubium ità restringi, an scilicet resolutio habita à conuentu mediante secundo scrutinio, vt scilicet de nouo colligenda sint suffragia pro admissione, vel dimissione nouitij, sit nec ne reuocatoria, vel saltem suspensiua approbationis in priori scrutinio habitæ. Ego quidem censeo pro parte affirmatiua, nam verba, quibus vsi sunt Fratres, idest de iterum colligendis suffragijs pro admissione, vel dimissione nouitij, cum in ablatiuo absoluto posita sint, comportant sui natura conditionem *l. à testatore, ff. de condit. & demonstr. l. cuictis agris, ff. de vsur.* & confirmatum est a Stephan. Gratian. *lib. 3. discept. forens. c. 307. num. 1.* Giouagnon. *lib. 2. respons. 13. num. 4.* & ideò idem significant, ac si Fratres in hoc secundo scrutinio declarassent, approbationem in priori scrutinio factam fore suspendendam; quia dispositionis conditionalis de natura est, vt nihil dicatur in esse deductum ante purificationem, sed post se resolutionem rei, & aduentum casus positi in conditione expectet, *l. si quis sub conditione, ff. si quis omiss. cau. testamen.* Merlinus *in decis. Luc. 07. num. 2.*

20 Quòd confirmatur, nam hic sunt duæ dispositiones. Prior pura, quæ nouitium simpliciter admittit. Posterior conditionalis requirens nouum scrutinium. Quare attenta hac secunda resolutione, quæ vti vltima est attendenda, prima dispositio pura, & simplex venit per secundam limitata, atque restricta, ita vt non dicatur amplius esse, Imola *in l. qui liberis num. 2. ff. de vulg. & pupil.* & Steph. Gratian. *lib. 3. d. sept. forens. c. 515. num. 4.* Quare non superueniente noua approbatione nouitius non erat admittendus ad professionem, quia approbationem necessariam non habebat à familia; Nam cum fratres statuant iterum proponi debere casum, hæc conditio erat ante professionem adimplenda, Crauet. *cons. 59. num. 1.* Menoch. *cons. 131. num. 1.* & dictum fuit à Rota *decis. 268. num. 1. p. 1. in recent.* Maximè cum hæc qualitas requisita à conuentu non posset post actus perfectionem adimpleri, quo casu semper qualitas requisita dicitur stare conditionaliter, & conditionem in forma importare, vt distinguendo tradit Menoch. *d. cons. 131. num. 1. cum seqq.* Rota *in decis. modò citata.*

21 Præterea, cum admissio nouitij ad professionem pendeat à voluntate Fratrum, quæ est variabilis vsque ad diem, & horam professionis, hic actus dicitur suum consequi effectum in vltimo temporis puncto, qui punctus etiam debet attendi, in quo necesse est, vt tunc concurrant vota, & beneplacita maioris partis conuentus, *l. eum qui, ff. de iurisdict. omn. iud.* Gionagn. *respons. 78. n. 8. lib. 1.* cum alijs cumulatis per Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 201. n. 90.* Cum ergo in puncto professionis consensus conuentus fuisset, vt iterum colligerentur suffragia pro admissione, seu dimissione nouitij, patet tunc necessarium eiusdem conuentus consensum ad recipiendum nouitium ad professionem defuisse, ac proindè eandem professionem fuisse inualidam, quia deficiente conditione perindè habetur actus, ac si non esset factus *l. item quia, §. 1. ff. de pact.* Paris. *cons. 7. num. 4.* & Rota *decis. 838. num. 6. coram Seraph.*

DVBIVM VIII.

An licitè ad professionem admitti possit Nouitius, qui toto, aut ferè toto probationis tempore morbo laborauit.

SVMMARIVM.

1 *Respondetur affirmatiuè ad propositum dubium.*
2 *Finis, quem intendit lex in præfigendo annum probationis.*
Finis non est de substantia legis.
3 *An necessariò nouitius experiri habeat omnes Religionis austeritates.*
4 *An in Ordine Minimorum Nouitius toto probationis anno infirmus, ac propterea carnibus, & lacticinijs vtens validè profiteri possit.*
5 *An admittendus, vel excludendus sit nouitius, de quo probabiliter dubitatur, ne inutilis sit Religioni.*
Medici iudicio in arte sua standum est.
6 *An nouitius, qui ex incuria Magistri non fuit probatus, sit ad professionem admittendus.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Secundum mentem omnium Doctorum teste Nauarro statim citando licitè recipi potest ad professionem nouitius, qui per totum, aut ferè totum probationis annum ęgro corpore fuit, modò concurrant aliæ conditiones, quæ ad professionem requiruntur. Ità Nauar. *lib. 3. cons. 32 num. 5. de regular. in* 2. *edit.* Rodriquez *tom. 3. q. 15 art. 10. verf. tum quia* Suarez *tom. 3 de relig. lib. 5. c. 14. num.* 15. & Sanchez *in præcepta decal. lib. 5. c. 4. num. 52.*

2 Probatur primò, quia annum probationis legitimè expleuit. Secundò, quia quantum fuit ex se verè stetit in statu probationis, & sub Prælati obedientia. Tertiò, quia licèt annus probationis præfixus sit a lege *c. ad apostolicam de regular.* ad sumendam experientiam, & per accidens ipse nouitius experiri non potuit in totum religionem, nec religio eum præcipue circa austeritates, & alias regulares obseruantias: hoc tamen nihil obstat, quia finis le-

gis non est de substantia legis, tum etiam quia satis ipse probauit charitatem, moresq; religionis, & religio probauit illum mediante hac diuturna infirmitate, in qua & eius patientiam, & idoneitatem ad religionem cognoscere potuit. Quartò, quia non est necessarium tempore probationis experiri in specie omnes religionis austeritates, sed satis est eas in genere experiri. Vnde Sanch *n.28.*
3

4 infert nouitium in Ordine Minimorum toto nouitiatus anno infirmum, ac proindè carnibus, & lacticinijs vtentē validè profiteri posse. Quinimmò colligitur ex eodē Sanch. in locis citatis, & expressè docetur à Suarez nō esse necessarium vllum præfatarum austeritatum experimentum, neq; aliam actualem approbationē, præter illam, quæ est in perseuerantia in tali religione per annum sub obedientia Prælati.

5 Sed quæritur an admittendus sit iste nouitius ad professionem dū hæsitatur, eum post professionem euenturum esse ob infirmitatē religioni inutilem. Resp. esse vel admittendum, vel expellendum iuxta prudentis, & intelligentis Medici consilium; quia Medici iudicio standū est in arte sua *l. septimo mense*, vbi Baldus *in vlt. addit. ff. de stat. hom.* Socin. iun. *cons. 183. n. 11. lib. 2.* Becer. *decis. 227. n. 21.* & in simili casu fuit dictum à Rota *in Romana hæreditatis de Picchis 15. Iunij 1580. coram Vicecomite*, & etiam *in decis. 125. n. 9. coram Greg. XV.*

6 Ex dictis colligitur; si Prælatus, vel Magister tēpore probationis non experiatur nouitiū, licet talis incuria culpa non vacet, non debet tamen nocere nouitio, neq; impedimentū esse ad professionem expleto anno faciendā; Quia nō est de substātia nouitiatus actualis probatio, sed satis est, nouitiū permanere sub obediētia in religione, & se ad probationē necessariā exponere. Ità Suar. *in c. citato n. 8.*

DVBIVM IX.

An impotens ad Regulę præcepta seruanda admitti possit ad professionem.

SVMMARIVM.

1 *Obseruantiæ regulares alię substantiales, aliæ accidentales.*

2 *An admissio ad professionem Nouitij impotentis ad accidentales obseruantias sit valida, vel saltem peccaminosa. Et quid iuris de Nouitio*

tio viro insigni num. 4.
Quæ infirmitates impediant actum professionis.
3 *Frequenter soluere legem est aditum aperire ad legem trāsgrediendam.*

1 RESPONDEO præmittendū esse, regulares obseruantias esse in duplici differentias, alia scilicet substantiales, & alias accidentales. Substantiales comprehendunt solum tria vota essentialia. Accidentales verò comprehendunt quascunq; alias obligationes, quæ in regulis, seu statutis religiosorum reperiuntur, etiam si ad culpam lethalem obligent. Ità colligitur non obscurè ex Nauar. *c.* 12. *n.* 50. Rodriq. *p.* 2. *sum. c.* 6. *n.* 13. Reginald. *lib.* 18. *n.* 396. Sanchez *in præcep. decal. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 52. & Bartoluc. *in minor. cōuent. l.* 2. *c.* 2 *regulæ*, § *& qui necessitate.*

2 Hoc premisso sit conclusio. Quamuis professio emissa ab eo, qui ob morbum, vel senectutem, vel aliud huiusmodi impedimentum apertè est impotens ad seruandas accidentales obseruātias, suo valore non careat, quia satis est, vt regulę substantialia obseruet, quæ regulariter obseruari possunt, eo quòd obligatio obediētię, paupertatis, & castitatis nullis corporis viribus eget, sed solo voluntatis actu, vt iure optimo docent Rodriq. & Sanch modò citati, & colligitur apertè ex Zabarella, Butrio, Imola, Panormit. & alijs *in c. ex transmissa, de renunt.* docentibus infirmitatē corporis non impedire actum professionis, nisi sit tanta, seu talis, vt discretionem mentis excludat, quod fusius probabitur *disp. seq. dub.* 15. Nihilominus si religiosi admitterent scienter præsertim inter nos tales euidenter impotentes ad precepta, seu ad has accidētales obligationes obseruandas nexu grauis culpę se innodarent; Et est ratio, quia cū ij impotentes vti assiduè deberent regulę dispensatione circa præcepta, quæ totū religionis nostrę corpus mediante diuina gratia adeò conatur obseruare, vt existente etiā causa sufficiente, vt plurimum nō relaxentur, facilè alij Fratres præ oculis horum viuendi normā habentes has obseruantias paulatim in maximā strictioris nostrę obseruantię iacturam relaxarent. Quod confirmatur, nam frequenter soluere legem est aditum aperire ad leges transgrediendas, vt inquit Trident. *sess.* 25. *c.* 18. *de reformat.* & ea frequentia vim legum eneruat, quibus bonum commune conseruatur, vt sumitur ex *l.* 1. *cum aliquot seqq. ff. de leg & ex can.* 1. *cum seq. dist.* 4.

4 Li-

4 Limitatur conclusio, vt locum non habeat, si admittenda sit aliqua persona adeò insignis, aut eminens, vt ex eius receptione intra, & extra religionem omnes maximum deuotionis forent sumpturi exemplum. In tali enim receptione cessat ratio, & incommodi religionis, & periculi relaxationis. Nec obstat, hunc nouitium promittere nequaquam posse ea, quæ postea obseruare nequit; quia ipse profitendo se obligat ad memorata præcepta seruanda eo modo, quo regula obligat, nempè dum iusta causa non excusat. Quare talis promissio dici nequit infidelis, ac proindè, nec peccaminosa, etiam si promittens non ignoret suam impotentiam ad hæc præcepta obseruanda; quia hæc non sunt essentialia, & promittit ea cum dicta virtuali conditione, adimplendi scilicet ea, si possibile erit. Ita sustinent Sanchez, & Rodriquez, qui subiungit, sic vidisse practicari in facti contingentia in conuentu D. Francisci Salmanticense concurrente voto hominum grauium illius vniuersitatis.

DI-

DISPVTATIO TERTIADECIMA.

IN HAC DISPVTATIONE AGENDVM EST de professione tàm expressa, quàm tacita, & de effectibus, seu fructibus eius.

DVBIVM PRIMVM.

Quæ conditiones ad validitatem professionis expressæ desiderentur.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ætas necessariò desideretur in profitente solemniter Religionem?*
2 *Quod tempus præfigatur probationi.*
3 *In quibus Religionibus non possit emitti professio.*
4 *In cuius manibus sit emittenda professio.*
5 *De quorum consensu Nouitius sit admittendus ad professionem.*
6 *Quæ forma seruanda in emissione professionis.*
7 *Quid necessariò promittendum in professione.*
8 *An necessariò debeat esse libera.*
9 *An profitens necessariò debeat esse liber.*
An Episcopus validè possit profiteri.
An seruus.
An vxoratus.
An filius habens parentes in necessitate constitutos, vel è contra Pater relicto filiū.
An ære alieno grauatus, vel reddendis ratiociniis obnoxius:
An criminosi.
10 *An amentes, vel furiosi.*
Iudicis arbitrio standum in dubio, an habeant lucida internalla ad effectum validitatis actus.
11 *An sit valida professio emissa cum conditione aduersante substantialibus*

bus Religionis.

12 *An vir in Monasterio mulierum validè possit profiteri: & è contra. Quid iuris de hermaphrodytis.*

13 *Quid necessariò intendere debeat profitens.*

14 *An professio emissa indebito fine sit valida.*

15 *An Mendicantes transire possint ad non Mendicantes.*

16 *Quæ professio apud Capuccinos iure speciali sit irrita.*

17 *An valida sit professio eius, qui probabiliter dubitat non esse baptizatum.*

1 RESPONDEO quamplures desiderari cōditiones, quatenus professio expressa sit valida. Quarum prima est, vt nullus admittatur ad professionem, nisi compleuerit decimum sextum suæ ętatis annum, prout decernitur in Trident. *sess. 25 c. 15. de regular.* Vndè professio emissa hac ætate de momento in momentum non completa est irrita per ea, quæ dicta sunt *disp undecima dub. 4.* & in proprijs terminis ità tenent Sāchez *lib. 2. de matrim. disp. 24 n. 22. vers. similiter credo,* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dubit. 7. n. 59. vers. quartò,* Stephan. Gratian. *tom. 3. discept. forens. c. 413. num. 31.* & ità resoluit Rota *decis. 175. n. 7. p. 1. recent.* In anno bissextili non dicitur expletum hoc tempus nisi secunda die, quę etiam appellatur 24. idest 25. die Februarij, vt docent Doctores citati in dicto *dub. 4.*

2 Secunda est, vt nouitius maneat in probatione per annum continuum; Vndè si emitteret professionem non expleto de momento ad momentum hoc anno, talis professio nulla esset per ea, quæ dicta sunt in citato *dub. 4.* Et idem dicendum si in probatione eodem anno continuo non steterit, vt fusè probatum est *disput. 11. dub. 3.*

3 Tertia, vt professio in aliqua ex religionibus à Sede Apostolica approbatis emittatur.

4 Quarta. Fieri debet professio in manibus Prælati, apud quem residet auctoritas incorporandi religioni, vel in manibus eius delegati, vt *disp. 12. dub. 1.* fusè enucleatum fuit, vbi etiam habes, quando ex defectu huius conditionis professio est nulla.

5 Quinta. Superior nullum admittere potest ad professionem, nisi

consensus maioris partis conuentus accedat, ut in *dub. 1.* modò citato enodatum fuit.

6 Sexta. Profitens necessariò uti debet quadam forma, de qua dubio sequenti dicetur.

7 Septima. Promittere saltē debet tria uota essentialia, obedientiam scilicet, paupertatem, & castitatē, ut sumitur ex *c. cum ad monasterium, in fine de statu monachorum,* & docent communiter DD. & resoluit Rota *decis. 216. n. 3. p. 2. diuer.*

8 Octaua. Professio esse debet libera. Idcirco Rota solet mandare, explorationem uoluntatis mulieris fieri debere in loco non suspecto ad effectum, ut constituta in plena libertate possit absque metu suam propalare uoluntatem. Ità refertur *in decis. 1166. num. 2. coram Seraphino.* Hinc professio facta metu graui, & iniustè incusso est irrita; nec non si error, seu dolus circa substantialia interueniat. Quæ omnia in hac disputatione enodabuntur.

9 Nona. Admitti nequit ad professionem, qui non est liber. Hinc primò, non potest Episcopus professionem emittere absque summi Pontificis licentia, eaque defficiente professio est nulla, vt colligitur ex dictis *disput. 2. dub. 3.* & ex Sanchez *in praecepta decal. lib. 4. c. 26. num. 6.* qui aliòs refert. Secundò, profiteri nequit seruus inuito domino, vt dictum est *disput. 2. dub. 2.* vbi etiam dicitur professionem huius esse validam. Tertiò, recipi non potest qui vinculo matrimoniali est obstrictus, nisi accedat alterius coniugis licentia, nec non concurrant aliæ conditiones, quæ declaratæ fuerunt *disput. 1. dub. 3.* Videndus est Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 33. & seqq.* qui latè, doctèque declarat, quando professio coniugis censetur inualida. Quartò, licèt receptio tam ad probationem, quàm ad professionem filij habentis parentes in magna necessitate constitutos non careat culpa lethali, quia eos deserere non debet, vt visum est *disput. 2. dub. 8.* professio tamen ab eo emissa, cum nullo iure irritetur, est valida, vt notant Nauar. *lib. 3. cons. 3. de regular. in 2. edit.* Rodriquez *tom. 3. q. 13. art. 5. dict. 4.* Sanchez *in praecepta decal. lib. 4. c. 20. num. 10.* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 3 n. 34.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 9. n. 1.* Idem dicendum de receptione Patris, qui reliquit filios in eadē necessitate constitutos, nec nō de receptione illius, qui oneratus erat debitis,

& sperabatur eum breui tempore manentem in seculo satisfacturum esse creditoribus. Ità Nauar. *in loco modò citato*, & Petrus Nauar. *de restit. lib. 4. c. 4. dub. vlt. num 92. vers. nos in hac*, qui alios refert. Et etiam de receptione obnoxij reddendis ratiocinijs, vt notat Nauar. nec non de persona affecta censura ecclesiastica, vt probatum fuit *disput. 5. dub. 2.* & tandem de receptione criminosi, vt notat Sanchez *lib. 5. c. 4. num. 61.* & cuiusuis alio huiusmodi impedimento obstricti, quia nullo iure horum professio irritatur.

10 Decima. Admitti non debet, cui rationis vsus deest; Hinc professio dementis, & furiosi est nulla *c. sicut tenor, de regular.* & ità resoluit Rota *decis. 107. num. 13. & decis. 129. p. 2. diuer.* Et notandum primò furiosum esse mente captum cum saua dementia, & quadam veluti rabie: Mente captum verò esse cum quieta dementia. Ita Bald. *in l. humanitatis, num. 15. vers. venio ad quartum notabile, C. de impub. & alijs substit.* Fulgos. *cons. 79. num. 1. vers. nam eleganter*, & Rota *decis. 484. num. 2. & 3. coram R. P. D. Cieccino Lucano.* Secundò, arbitrarium esse Iudici decernere an furiosus, vel mente captus habuerit dilucida interualla, vel ne ad effectum validitatis actus per eum ritè, & rectè facti, vt allegatis Salicet. *in l. furiosum in fine, C. qui testamen. facere poss.* & ibi Corn. *num. 4. ante medium*, & idem Corn. *cons. 69. num. 14. verbo, & propterea dicit, & cons. 72. in finalibus verbis*, resoluit Rota *decis. 129. ad finem, p. 2. diuers.*

11 Vndecima. Nemo admittendus est ad professionem cum conditione religionis substantiæ aduersante: vt si ea lege profiteretur, quatenus posset bona retinere, ducere vxorem moriente fratre, egredi, si ferre non posset religionis austeritates, vel quid simile sibi reseruaret; nam talis professio esset omninò irrita, nullamq; induceret obligationem. Ità Glossa *in c. vlt. de condit. apposit.* Panormit. *ibi*, Syluest. *religio 3. q. 6. & 7.* Angel. *professio, & religiosus num. 19.* & alij quamplures. Secus verò si professionem absolutè emittat, quamuis antea pactum interuenerit cōcedendi ei aliquod peculium, vel vt domi maneat, vel retineat vsum bonorum suorū dependenter tamen à voluntate Superioris, vt patet *c. insinuante, qui clerici, vel vouentes, & can. de vianis 27. q. 1.* Ita Panormit. *in d. c. insinuante*, D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 3. col. 2. vers. professio expressa*,

An-

Angel. *tit. religiosus num. 19.* Syluest. *religio 3. q. 8.* Nauar. *comment. 2. de regular. num. 16.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5 q. 2.* & Sanchez *lib. 5. c. 4. num. 97. & 102.* qui alios refert. Et notandum hoc non esse derogatum à Concilio Tridentino, vt inquiunt Nauar. Azorius, & Sanchez.

12 Duodecima. Emittere non potest professionem mulier in monasterio virorum, vt ibi permaneat, neque hermaphroditus, in quo prædominatur sexus fœmineus, quia habetur pro muliere. Et è contra non potest profiteri uir in monasterio monialium, ut in eo cum monialibus habitet, neque hermaphroditus prædominante in eo sexu uirili, quia pro uiro habetur. Talis enim professio esset irrita, ut benè docent Nauar. *lib. 3. cons. 47. num. 1. de regular. in 2. edit.* Emanuel Sà *tit. religio num. 30.* & Rodriq. *2. p. sum. c. 6. n. vlt.* Est etiam inualida professio hermaphroditi, qui vtrumq; sexum habet æqualem; quia cum æque vir, & fœmina iudicetur, est inhabilis ad religionem tàm virorum, quàm mulierum. Ità Nauar. in consilio citato.

13 Tertiadecima. Professurus intendere debet profitendo obligare se Deo, & religioni; Quare deficiente hac intentione saltem tacita talis professio est nulla, quamuis ratione actus exterioris, idest professionis emissæ, ne alios scandalo offendat, tenetur ad exteriorem regulæ obseruantiam, eo quòd Ecclesia, quæ sunt occulta, nō iudicat. Ità Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. q. 1.* & Lessius *lib. 2. c. 41. num. 60 in princ.*

14 Quartadecima. Non debet quis profiteri indebito fine; quia professio ordinata ad indebitum finem in quibusdam casibus redditur inualida, vt dicetur infrà in hac disputatione.

15 Quintadecima. Mendicantes iure communi absq; Papæ licentia transire nequeunt ad non Mendicantes excepta religione Carthusiana; Vnde ob talem transitum cum licentia etiam Generalis factum tam recipientes, quam recepti sunt ipso facto excommunicati, & professio est irrita, vt habetur *in extrauag. 1. de regular.* quæ incipit, *viam ambitiosæ.* Lessius *dubit. 13. num. 104.* & Sanchez *lib. 6. c. 7. num. 68.* inquiunt hanc extrauag. non uideri esse receptam, vel certè de ijs tantum agere, qui iustam transitus causam non habent: At communiter DD. contrarium docent, *vt disput. sequenti dub. 5.* ostendam.

Yy 2 16 Præ-

16 Præfata omnia sunt iure communi obseruanda. Et quia aliqua religio exigere potest specialem conditionem, cuius etiam defectu irritetur professio, Prælati consulere debent suas regulas, & Constitutiones, & illas obseruare. Nobis Capuccinis inhibitum est per Bullas Pontificias recipere Patres Minores de Obseruantia absque licentia in scriptis suorum Ministrorum, & à Iulio Tertio in sua Constitutione, quæ incipit *Officij* edita anno 1550. declaratur professionem prædictorum emissam inter nos ex defectu memoratæ licentiæ in scriptis esse nullam, prout refert Sorbus *tit. recipere in sua annot. vers. pariter*. Pręterea censeo irritam esse inter nos professionem emissam à leproso, vel ab alio huiusmodi morbo contagioso laborante, si interrogatus ante professionem, talem morbum occultauerit, vt infrà probabitur.

17 In calce huius dubij est notandum cuiusdã difficultatis responsum à sacra Congregatione his verbis datum. *Fuit dubitatum, an monialis, quæ emiserat professionem, & deindè probabiliter dubitans non fuisse baptizatam, denuò ad cautelam baptizata fuit, debeat denuò emittere professionem, & dato, quod sic, debeat expectare per annum. Respondit, & resolutum fuit, professionem primam eam ligare: Verùm debere eam ad maiorem cautelam iterum emittere professionem non expectato alio anno, & fuit allegatus Abbas c. 1. & 2. de præsb. non bapt.*

DVBIVM II.

Quæ forma obseruanda sit in emittenda professione expressa.

SVMMARIVM.

1 *Quid continere debeat forma professionis expressæ.*
An in iure communi præscibatur certa forma verborum.
An professio possit emitti nutibus, vel in scriptis, & n. 4.
An professio emissa nõ seruata forma speciali iure præscripta, sit valida.
2 *An mutus profiteri possit.*
3 *An ad professionem emittendam necessariò desideretur scriptura.*
Et maximè ad probandum professionis emissionem.
An de professione emissa tam à masculis, quàm à fœminis cõstare debeat

per

per scripturam.

An possit emitti professio in scriptis super altare, & non in manibus superioris.

5 *An certa forma verborum debeat uti recipiens ad professionem.*

6 *An locus sit de substantia professionis.*

7 *An præsentia testium.*

8 *An professio emissa post cœnam sit peccaminosa.*

9 *An qui solum in professione promittunt tria vota essentialia, teneantur porrò ad alias Regulæ obligationes.*

1 RESPONDEO quadruplici conclusione. Prima. Certum est necessariò desiderari ad expressam professionem aliquam formam exteriorem, qua mutuus consensus religionis, & religiosi sufficienter explicetur, sicut cõtingere solet in matrimonio, & aliis huiusmodi contractibus humanis, qui licèt exigant consensum interiorem, non tamen perficiuntur, nisi signa exteriora, & sensibilia accedant. Hinc in omnibus forsan religionibus præscribitur huius professionis forma, quę regulariter obseruari debet: Et certè reprehensibile esset sine graui causa recedere ab ea, quãuis valeat professio per quamcunq; aliam formã emissa; quia ad validitatem professionis satis est, profitentẽ talem formam, seu expressionẽ verborum proferre, quæ censeatur sufficiens ad oblationem exprimendam, quam ipse profitens facit Deo, & religioni speciali, in qua profitetur, vt docent Glos. *in c. porrectũ, uerbo professio, de regul.* Panormit. *ibi n. 3. & 13* Rosel. *nouitius n. 22.* Ang. *professio n.* 1. *vers. 5.* Syluest. *relig. 3. q.* 1 *& 18. in fin.* Tabien. *nouitius n. 12.* Armil. *n. 14.* Miran. *in Manual. Prelat. tom.* 1. *q. 24. art.* 1. *cõcl.* 2. & alij. Immò quia nullibi reperitur, verba esse ad professionẽ emittẽdam necessaria, fieri etiam potest nutibus, & scriptis; quia nutus sufficiunt ad omnes actus, in quibus pro forma nõ requiritur loquela *l. nutu, ff. de leg. 3.* Mant. *de coniect. vlt. volunt. l. 4 tit. 4.* Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp. 8. n. 12.* Gio-
2 uagn. *resp. 58. n. 12. lib.* 1. Farin. *cons. 97.* Rot. *decis. 189. inter collectas à* Farin. *lib.* 1. *crim.* Vndè mutus sicut potest contrahere matrimoniũ *l. ex facto, ff. de vulg. & pupil. & l. mutũ, ff. de acquir. hęredit. c. tuæ, & c. cũ apud de spons.* Ita integrũ est ei cõtrahere matrimoniũ spirituale, idest profiteri in religione. Ita Cyn. Bald. Ang. & Imol. *in d. l. ex facto,* & Dyn. *in l. vbi nõ uoce, ff. de reg. iur.* quos omnes refert, & appro-

bat

bat Barbat. *conſ. 59. num. 12. vol. 2. qui teſtatur de communi*. Ità etiam docet Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. q* 1. & Sanchez *in præcepta decal. lib. 5. c. 3. n. 2.* Refert Angel. *in d. l. ex facto* magnum fuiſſe inter DD. dubium, quomodo probari poſſet, mutum velle profiteri, & dicit fuiſſe deciſum per Theoricam Bart. *in l. mutum, ff. de acquir. hæredit.* ex ſignis hoc perpendi poſſe; Quare in emittenda profeſſione neceſſarium eſt, vt conſenſum vel ſcriptò, vel nutibus, aut ſignis exprimat, & ità intelligunt DD. modò citati. Quòd tamen non procedit in illis religionibus, in quibus per regulam, aut conſtitutionem à ſummo Pontifice expreſsè approbatam præſcripta eſt hec profeſſionis forma, & profeſſionem alia forma emiſſam nullam eſſe declaratur. Ità Azorius *c. 5. q. 7. in fine*, & Sanchez *num. 4.*

3 Secunda concluſio. Iure communi non eſt neceſſaria ſcriptura ad emittendam profeſsionem, quidquid dicat Sanchez *num. 5.* Ità expreſsè colligitur ex *c. porrectum de regular.* & confirmatum eſt à Gloſſa *in can. fin. verbo ſcriptis 20. q. 1.* Panormit. *in d. c. porrectum, num. 2. & in c. nuper, non longè à princ. de teſtib.* Lap. *allegat.* 129. *num. 26.* Alex. de Neuo *in c. rurſus num. 14. qui cler. vel vouen.* Præpoſit. *ibi num. 8.* Roſella, Tabien. Armilla *in locis modò citatis*, Sylueſt. *tit. religio 3. q. 1.* & Zanard. *in direct. Theologor. p. 2. c. 26. n. 14.* Vnde in quampluribus tàm virorum, quàm mulierum religionibus emittitur profeſsio in manibus Prælati promittendo profités verbis tantum obſeruare illam regulam. Obijcies contrarium colligi ex *can. fin. 20. q. 1.* Reſpondeo cum Gloſſa *ibi* non eſſe neceſſariam ſcripturam ad profeſsionem, ſed poteſt eſse neceſsaria, vt obuiet ei, qui contrauenit profeſsioni. Quod notant alij, & præſertim Cucchus *lib. 3. inſtit. maio. tit. 1. de regular. num. 57.* Facit ad hoc *can. ſaluberrimum 1. q. 7.* Hinc Clemens Octauus in Bulla incipiente *Cum ad regularem diſciplinam*, hæc ſanciuit. *Superior cuiuſlibet conuentus, in quo nouitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſque nouitij profeſsio regiſtretur, illamque nouitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant. Conuerſus verò literarum ignarus, profeſſus, in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia propria manu ſignum crucis apponat, aſſerueturque liber, & cuſtodiatur in archiuio, vbi ſcripturæ ad monaſterium, ſeu conuentum pertinentes reponi conſueuerunt.* Idem

ante

ante illum decreuit Sixtus V. in sua Constitutione *Cum de omnibus*, & etiam sacra Cōgregatio Cardinalium, vt refert Sorbus *tit. nouitius, de emissione professionis nouitiorum*. Quod etiam Constitutiones nostrę imponunt.

Quoad hanc conclusionem duo notanda sunt. Prius, hanc scripturam videri omnino necessariam ad professionem expressam monialium probandam per tex. loquentem expresse de mulieribus *can. omnes faminæ 27. q. 1.* Quod confirmatum est ibi à Glossa, *& etiam in c. cum in magistrum, verbo professionem, de elect.* & à Turrecremat. *in d. can. omnes faminæ ad medium, & in can. vidua 20. q. 1.* Franchi. *decis. 384. num. 5.* Io: Alois. Riccio *in prax. for. Eccl. decis. 437. in fine*, & Stephan. Gratian. *tom. 4. discept. c. 640. n. 5.* Posterius, fieri posse professionem in scriptis super altare, non in manibus Superioris, vt sumitur ex *c. consuluit, qui cler. vel vouen.* Quod

4 intelligendum est, vt benè notat Alexand. de Neuo *in d. c. consuluit num. 4.* quando fit sciente, & permittente superiore; nam de more quarūdam religionum est, ut professurus scribat professionem, & eam consignatam, seu subscriptam ponat super altari. Ità ordinatur in reg. D. Benedicti *c. 58.* Et in Constit. Societatis Iesu habetur *c. 3.* vt uotum scriptum, & ex scripto legatur. Notandum uerò, licèt iure communi non sit necessarium legere præfatam scripturam, eo quòd scriptura est tàm expressum signum, quàm uox: Nihilominus iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem legendam esse publicè ab eodem profitente, si id facere possit, ut benè aduertit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 12. num. 4.* quia imprudentissimum esset per solam oblationem, & receptionem scripturę admittere quem ad professionem sine ulla uerborum expressione, maximè si consuetudo religionis esset in contrarium, & nulla intercederet grauis causa, quæ id suaderet.

5 Tertia conclusio. Quia oblatio profitentis, idest professio recipi debet à superiore, qui facultatem habet incorporandi religioni, uel ab eius delegato, ut alias dictum fuit; In hac receptione ex parte Prælati recipientis non est necessaria forma uerborum specialis, sed satis dijudicatur, cum aliquod signum externum exhibere, per quod ostendat, se professionem acceptare. Et est notan-

6 dum, non esse de substantia, & ualore professionis suscipere habitum, & emittere professionem in monasterio, uel in Ecclesia: sed ubiq;

vbique fieri potest quoad eius validitatem, vt sumitur apertè ex *c. insinuante, qui cler. vel vouen.* & confirmatum est à Glossa *in d. c. porrectum*, Panormitan. *ibi num. 7.* Angel. *professio num. 3.* Armilla. *num. 2.* Zanardo *in direct. Theologorum p. 2. c. 26. num. 16. vers. se-*
7 *cundo*, & ab alijs. Item non est de eiusdem professionis substantia eam coram testibus emittere; Quia nihil de hoc expresse habetur in iure; Vndè Suarez *num. 5.* meritò existimat, talem professionem attento iure communi suo ualore non carere, veluti ante Tridentinum valida erant matrimonia clandestina. Ex Nauar. *lib. 3.*
8 *cons. 44. de regular. in 2. edit.* videtur colligi, culpam non deesse mortalem tàm ex parte recipientis, quàm ex parte profitentis, si professio post cœnam emittatur. Contrarium tamen est tenendum, vt benè aduertit Nald. *tit. professio regular. num. 11.* quia non intercedit ratio id nobis suadens: Immò contingere possunt aliquando tales causæ, quæ inducere possunt ad eam illa hora rationabiliter, & prudenter emittendam.

9 Quarta conclusio. Quamuis nonnullæ religiones quadam forma professionis vtantur, in qua profitentes non omnes regulæ obligationes distinctè, & expresse promittunt, sed vel solum tria vota essentialia, vel tantum obedientiam. Nihilominus emittens professionē hac, vel alia huiusmodi forma in manibus Prælati, & respectu certæ, & determinatæ regulæ approbatæ satis expresse fit professus, vt sumitur clare *ex c. porrectum, de regular.* & dictum fuit à Rota *decis. 216. num. 10. p. 2. diuer.* ac proindè tenetur non solum ad illa tria vota, vel obedientiam absolutè acceptam, sed etiam ad omnia, quæ regula, quam profitetur, imponit. Ità *Clem. exiui, §. cum igitur, vers. nos circa, de uerbor. signific.* Rodriquez *p. 2. sum. c. 8. num. 13.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. q. 2.* Emanuel Sà *tit. religio num. 18.* Et ità dictum fuit à Rota *in decis. modo citata.*

Du-

DVBIVM III.

An professio expressa fieri possit per Procuratorem.

SVMMARIVM.

1 *Omnis contractus fieri potest per Procuratorem, nisi lege prohibitus. An Matrimonium fieri possit per Procuratorem.*
2 *Quæ requirantur ad validitatem professionis emissæ per Procuratorem.*
3 *An sit valida professio facta per Procuratorem contra statuta Religionis.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Inter Doctores receptum est, professionem expressam emitti posse per Procuratorem; Et est ratio, quia omnis contractus fieri potest per Procuratorem, nisi sit lege prohibitus *l. 1. §. vsus, ff. de Procurat. & cap. potest quis, de reg. iur. in sexto.* Quare sicuti fieri potest mediante Procuratore matrimonium *c. fin. de Procurat. in sexto*, sic & professio. Ita docent Panormit. *in c. accedens num. 7. de præben.* Boich. *in c. porrectum n. 5. de regular.* Rosella *nouitius num. 23.* Armilla *n. 14.* Tabiena *num. 12.* Syluest. *religio 3. q. 15.* & alij.

2 Quinque autem conditiones desiderantur, vt Procurator nomine absentis validè profiteri possit. Prima, vt per speciale mandatum sit ad hoc munus deputatus, idest ad professionem nomine alterius emittendam. Secunda, vt mandatum contineat, professionem faciendam esse in religione determinata. Tertia, vt Procurator per se ipsum exequatur. Quarta, vt ante professionem non sit reuocata hęc facultas. Quinta, ne institutio prefati Procuratoris sit metu graui extorta. Videndus est Sanchez *in præcepta decal. lib. 5. c. 3. num. 8.* qui has conditiones explicat.

3 Limitat Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. quæst. 5.* vt hęc professio fieri non posit per Procuratorem in illa religione, vbi regula contrarium mandat.

DVBIVM IV.

An omnia vota in solemne votum Religionis commutentur.

SVMMARIVM.

1 *Quare omnia vota commutentur in solemne votum Religionis n. 3.*
2 *An commutentur nedum vota personalia, sed etiam realia, & mixta.*
4 *Maximè si profitens in actu professionis talem intentionem nō habuerit.*
5 *An etiam commutentur iuramenta personalia, vel realia*
6 *An etiam tàm votum peregrinationis, quàm subsidij Terra Sancta.*
7 *An commutentur solum vota Religioni non consona.*
An commutetur votum recitandi psalterium.
8 *An vota tantummodò personalia.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Est communis Doctorum sententia, omnia vota tàm in seculo, quàm in nouitiatu emissa commutari, extinguiq; per solemne religionis votum. Patet hæc conclusio ex *c. scripturæ, de voto*, & eam docent D. Thomas *2 2. q. 88. art. 12. ad primum, & q. 189. art. 3. ad tertium, & art. 8. ad tertium*, Caiet. *in dictis locis*, Soto *lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. col. 10. in solut. ad primum*, Syluest. *votum 3. q. 6. & votum 4. q. 3. vers. 4. & q. 7. vers. 3.* Tabiena *votum 3. num. 9.* Nauar. *c. 12. num. 78. & lib 3. cons. 4. de regular. in 2. edit.* Armilla *votum num. 28.* Canonista *in c. scripturæ, de voto*, & alij quamplures. Intelligitur conclusio, vt commutentur nedum vota personalia, sed etiam realia, & mixta, vt colligitur ferè ex omnibus Doctoribus modò citatis, sed docetur expressius à Couarru. *de pactis p. 1. §. 3. num. 4. vers. 6.* Miranda *in Manual Prælat. tom. 1. q. 25. art. 7.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 14. num. 5.* Naldo *tit. votum num. 50.* & alij quos refert, & sequitur Sanchez *in præcep. decal. lib. 5. c. 5. num. 43.*

3 Probatur primò, quia vota præcedentia sunt de particularibus operibus, & habent se ad votum religionis sicut quoddam particulare ad vniuersale, quia professio religionis est de tota hominis

vita. Secundò, quia per professionem moritur homo priori vitæ. Tertiò, quia votum religionis executioni mādatum est quoddam excedens, cui nihil est in toto mundo, quod ei rectè possit comparari, nam per tale votum tranferuntur omnia in Deum, immò & ipse homo, qui illud emittit, diuino se mancipat obsequio.

4 Notandum est, præfata vota ipso iure commutari in religionis professionem, ita vt ipse professus maneat ab eis liber, etiam si in actu professionis intentionem non habuerit cōmutandi ea in professionem: Itā non obscurè colligitur ex Caiet. *2.2.q.88.art.12. in solut ad primum* Soto, Syluest. Tabiena *in locis citatis*, & ex alijs, quos cumulat, & sequitur Sanchez *num.38.*

5 Ampliatur conclusio meritò à Sanchez *num.44.* vt procedat etiā in iuramentis siue personalibus, siue realibus soli Deo emissis, quia votis æquiparantur, & per ea ius tertio non acquiritur. Secus verò si iuramentum esset homini præstitum, & ab eo acceptatū; quia ratione iuris tertio acquisiti in melius commutari nequit, vt iure optimo probat idem Sanchez *lib.3.c.21.num.3.* ac proindè neque in religionis professionem. Et idem dicendum de voto soli Deo emisso, partique intimato, vt ab ea acceptetur, quia tunc pars acquisiuit ius. Ità Angel. *votum 4.n.3.* Syluest. *votum 4 q 7. dict.4.* Tabiena *votum 3. fine*, & alij. Hoc verò non habet locum in iuramento peculiari personæ, vel communitati præstito ratione exhibendi aliquod officium, vt probatum fuit *disp. 2. dub 14.*

6 Limitatur primò hæc conclusio ab Angelo *votum 4.num.2.* Syluest. *votum 4. q.7. dict.3.* & Naldo *votum num. 50.* existimantibus votum peregrinationis Terræ Sanctæ commutari in professionis votum quoad peregrinationem: secus verò quoad id, quod profitens vouit dare in subsidium dictæ Terræ Sanctæ. At ob rationes allatas hæc limitatio non admittitur ab alijs Doctoribus præsertim à Miranda *vbi supra*, Suarez *in loco citato*, & Sanchez *n.50 lib.5. c.5.* Extinguntur enim in professione nedum vota personalia, sed etiam realia, vt visum est.

7 Limitatur secundò à Panormit. *in c. scriptura num.1. & 6. de voto, & voti redemp.* qui existimat non commutari nisi vota religioni non consona; Vndè refert, non tolli per professionem votum recitandi psalterium. At hæc limitatio non est admittenda propter rationes superius allatas.

8 Limitatur tertiò ab Hostien. *in sum. tit. de voto*, §. *si quis vouere possit num.7.* & Couarru. *de pactis p. 1. §. 3. num. 4. vers. sextò apparet*, docentibus vota tantummodò temporalia commutari. At hęc limitatio nequaquam placet, eo quòd propter rationes adductas commutantur etiam vota perpetua.

DVBIVM V.

An per religionis professionem remissionem omnium peccatorum consequatur profitens.

SVMMARIVM.

1 *Communissima opinio circa titulum quaestionis.*
2 *An professionem emittenti sit imponenda pænitentia de præteritis culpis. Haštulpho uxoricidæ remittitur pænitentia publica ob Religionis ingressum.*
3 *Quare professio dicatur secundum baptisma.*
4 *An eleemosynis peccata deleantur.*
5 *In quibus differant baptisma, & professio.*
6 *An condonatio peccatorum, quæ recipitur per professionem, differat ab Indulgentia plenaria.*
7 *An per renouationem professionis obtineatur eadem condonatio peccatorum, quæ obtinetur in professione emittenda.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Certissimum est per religionis professionem obtineri plenissimam omnium peccatorum antea commissorum condonationem. Ità D. Thomas *4. dist.4.q.3.art.3. quæstiuncula 3. ad tertium, & 2.2. quæst. vlt. art. 3. ad tertium*, & ibi Caietanus, Paludanus *4. dist. 38. q.4. art.1 concl. 8. num.17.* Vualdensis, *de sacramentalibus tit. 9. c. 80. num. 8. & 9.* Rosella *religio 2. num. 9.* Angelus *religiosus num. 46.* Syluest. *religio 3. q. 23.* Corduba *c. 2. q. 14.* Tabiena *Indulgentia num. 28. & nouitius in fine*, Armilla *nouitius in fine*, Nauar. *de Indulg. notab. 20 n. 17. & comment. 2. num. 60. de regular.* Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. de regular. num. 49.* & communiter Doctores.

2 Col-

2 Colligitur apertè hæc conclusio primò ex lege ciuili *in auth. de monachis collat. 1. in princ.* vbi Imperator Iustinianus sic ait, *Conuersionis monachalis vita sic est honesta, sic commẽdare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculã detergat.* Secundò ex lege canonica vbi habetur in *can. quis aliquando, §. his auctoritatibus, de pœnit. dist. 1.* non esse necessariam peccati satisfactionem ei, cuius totum vitæ tempus obedientię impendebatur sui cõditoris, vbi Glossa benè inquit, ingredienti monasteriũ non esse imponendam pœnitentiam de peccato ante commisso: Et *in can. admonere 33. q. 2.* cuidam Hastulpho, qui vxorẽ occidit, remittitur pœniten-
3 tia publica, si monasterium ingredi velit. Tertiò colligitur ex Sanctorum doctrina præsertim ex D. Hieronymo *epist. 8. & 25.* & D. Bernardo *lib. de præcep. & dispens. ad finem*, qui vocant professionem secundum baptisma. Hinc benè inquit D. Thom. in vitis Patrum haberi, eandem gratiam consequi religionem intrãtes, quam consequuntur baptizati.

Confirmatur hæc conclusio à Doctoribus validissimis rationibus, ex quibus duas solũ è doctrina D. Thomæ referre libet. Prior habetur in *4. in loco citato*, vbi inquit, cum profitens voluntatem suam cæteris chariorem in seruitutem propter Deũ redigat, censetur plenariè pro omni peccato satisfecisse. Posterior habetur *2. 2.*
4 *vbi sup.* vbi idem Sanctus ait. Si aliquibus eleemosynis factis homo potest satisfacere de peccatis suis secundum illud Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis etiam publicæ pœnitentiæ.

5 Intelligenda est conclusio primò, non æquiparandam esse religionis professionem in omnibus baptismo, vt expresfè colligitur ex D. Thoma *in 4. vbi sup.* Caiet. *in loco citato*, Corduba *c. 2. q. 14. p. 1. & 2.* & cõmuniter ex Doctoribus; Nam baptismus est sacramentum conferens primam gratiam ex opere operato, & delẽs omnia crimina quoad culpam, & pœnam. At professio, cum non sit sacramentum, nec primam gratiam confert, nec peccatorum culpas delet, sed pœnam tantum, vt benè inquiunt Corduba, & Bellarm. *lib. 2. de monach. c. 6.* & alij. Hinc iure optimo docet Caietanus, eum, qui profitetur in peccato mortali, non solum non consequi tunc

præ-

præfatam pœnæ remissionem, verum etiam quando postea conteritur nullam pœnæ remissionem ratione præcedentis professionis consequi, quia opus mortuum fuit, sed solum id assequitur, quod per præsentis contritionis propositum, ac sacramenti gratiam obtinere continget: Quæ doctrina Caietani communiter est recepta, præsertim à Corduba *p. 2.* Nauar. *vbi supra de Indulg.* Politio *c. 2. num. 84.* Azorio *p. 1. lib. 12. c. 5. q. 11.* Emanuel Sà *tit. religio num. 17.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 25. art. 8.* & Thesauro *c. 2. f. 129.*

6 Intelligenda est secundò, hanc condonationem omnium peccatorum quoad pœnam per professionem obtentam non esse propriè indulgentiam plenariam, vt bene aduertit Nauarrus modò citatus; Quia indulgentia plenaria conceditur ex Christi, & Sanctorum satisfactione in thesauro Ecclesiæ deposita, cuius dispensator est Summus Pontifex. At hæc condonatio, quam profitens consequitur, non procedit ex concessione Pontificis applicantis præfati thesauri satisfactionem, sed ex vi, & merito ipsius professionis, quę est actus excedens quamcunq; peccatis debitam satisfactionem.

7 Ampliatur hęc conclusio à nonnullis pręsertim à Diuo Bernardino, quem refert, & sequitur Dionysius Carthusianus *in opuscul. de profess. monastica in append.* vt religiosi eandem condonationem plenissimam consequantur, quotiescunque de professione emissa lætitiam sumunt, eamq; renouant. At quamuis talis lætitia, renouatioque votorum sit actus valdè meritorius: respectu tamen eius non obtinetur hæc plenissima condonatio; quia in hac complacentia, & renouatione illæ difficultates, quę fuerunt in prima traditione, non superantur. Pręterea emissio professionis est opus intensiori voluntate factum, quàm hęc renouatio votorum. Ita allegato Tabiena *nouitius in fine* docet Sanchez *in pręcepta decal. lib. 5. c. 5. num. 5.*

Du-

DVBIVM VI.

An per Religionis professionem, irregularitates anteà contractæ deleantur.

SVMMARIVM.

1 *Quæ irregularitates tollantur per professionem solemnem.*
An tollatur illegitimitas.
2 *Etiam per solam susceptionem habitus probationis.*
3 *An etiam irregularitas contracta ab illegitimo ex vsu Ordinis.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Quamuis Gloss. *in c. cum deputati in fine de iudiciis, & can. fin. in fine 19. q. 3.* doceat per ingressum monasterij, idest per professionem deleri omnem irregularitatem antea contractam; Nihilominus recedendum non est à sententia communiter recepta, quæ docet, nullam abstergi irregularitatem ob religionis professionem præter eam, quæ expressè à iure tollitur. Et quia *c. 1. de filiis præsbyt.* tollitur irregularitas solum consurgens ex defectu natalium, & quidem non omninò, sed quoad ordines suscipiendos tantùm, nullus est ambigendi locus, hanc solam irregularitatem per religionis professionem deleri, cum maneant ijdem illegitimi capaces ordinum, sed incapaces dignitatum. Et sic patet, alias irregularitates non tolli, eo quòd nullibi in iure hoc exprimitur. Ita Panormit. *in c. 2. num. 5. de apostat.* Anchar. *in c. ex literarum num. 2. qui cler. vel voven. & in c. ex tuæ num. 2. de simonia, & in c. veniens in fine, de eo qui fur. ord. s. scepit,* Angel. *tit. irregularitas 2. num. 1.* Syluest. *eodem tit. ad finē;* Armilla *num. 88.* Nauar *comment. 2. num. 60. de regular.* Couarru. *in Clem. si furiosus, de homic. p. 1 §. 2. num. 6.* Henriquez *de irregular. l. 14. c. 7. num. 2.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. q. 12. & p. 2. lib. 6. c. 4. q. 10.* Auila *de censur. p. 7. disput. 10 dub. 3.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dub. 8 num. 73.* Suarez *tom. 5. disput. 41. sect. 1. num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 80. num. 4.* & alij. Et quamuis Scto *4. dist. 25. q. 1. art. 3. col. 3.* dicat, per professionem aboleri omnem irregularita-

tem

tem ad ordinis susceptionem præter illam, quæ ex homicidio voluntario, vel ex bigamia contrahitur, & hanc facultatem fuisse obtentam à religionibus, vel iure communi, vel consuetudine, vel priuilegio: nihilominus sententia huius Doctoris intelligenda est, religiones hac facultate gaudere vi priuilegiorum, prout visum est *disp. 9. à dub. 13.*

2 Intelligenda est conclusio primò, vt præfata irregularitas illegitimorum quoad ordines deleatur per solam professionem, vt iure optimo docent Palud. *4. dist. 41. q. 3. art. 2. num. 14.* D. Anton. *3. p. tit. 1. c. 27. §. 2.* Rebuffus *in praxi de benef. de dispensat. super defectu natalium num. 66.* Graffius *p. 1. decis. lib. 4. c. 27. num. 54.* Suarez *tom. 5. disp. 50. sect. 5. à num. 12. vsque ad 17.* & alij quamplures contra Rodriquez *tom. 1. q. 13. art. 4.* qui nititur contra communem sustinere illegitimum hoc frui priuilegio per ingressum ad probationem.
3 Secundò intelligenda est, vt etiam deleatur irregularitas ex vsu ordinis contracta: vt si illegitimus in seculo absque dispensatione ad ordines promotus fuisset. Ità validissimis rationibus sustinet Sanchez *in præcepta decal. lib. 5. c. 5. num. 10.* contra Sayrum *de censur. lib. 6. c. 9. num. 3.* allegantem Angles *in 4. in quæst. de sacram. ordin. art. 4.*

DVBIVM VII.

An per professionem ingratitudo, vel alia huiusmodi macula quoad actus temporales deleatur.

SVMMARIVM.

1 *An aliquæ, vel omnes causæ exhæredationis tollantur per professionem.*
2 *An idem sit de filio olim Iudæo.*
3 *An omnis macula abstergatur per professionem quoad actus temporales. Etiam quoad testimonium ferendum.*
4 *An spurius post professionem reputetur testis idoneus.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Quamuis nonnulli relati à Surdo *de aliment. tit. 7. q. 1. num. 38.* sustineant,

neant, filium post commissas exhæredationis causas exhæredari posse, quamuis religionem ingrediatur. Et Vasq. *de success. creatio lib. 3. §. 10. num. 646.* allegatis multis DD. dicat, per monachatum abstergi duntaxat ingratitudinem respicientem filium, qui ingreditur monasterium, non verò eam, quæ principaliter lędit patrem. Nihilominus dicendum est, per religionis professionem deleri ingratitudinem præteritam, cuius causâ filius profitens exhæredari poterat. Ità habetur *in authen. de sanctiss. Episc. §. nullam, & in can. fin. 19. q. 3.* & cõfirmatum est à Glossa *in d. can. fin.* Panormit. *cons. 27. num. 2. vol. 2.* Lapo *allegat. 129. num. 24.* Ioan. de Anania *in c. quia ingredientibus, de testam.* Felin. *in c. cum deputati, num. 4. de iudic.* & Surd. *in loco citato num. 39.* qui pro hac sententia refert quamplures Doctores, & præcipuè Iac. de Aret. *in l. Deo nobis, de Episc. & cler.* & Cyn. *ibi.* Ità etiam sustinent D. Anton. *3. p. tit. 16. c. 2. §. 4. col. vlt. vers. item nota,* Angel. *tit. religiosus num. 62.* Syluest. *religio 6. quæst. 1. ad finem,* Tabiena *religio num. 43.* Couarru. *in Clem. si furiosus p. 1. §. 2. num. 6. de homic.* Molin. *tom. 1. disput. 176. dub. vlt.* Laurus de Palatijs *in tractatu de statu exclusiuo fœminarum, num. 108.* Marta *de iurisdict. p. 4. centur. 1. casu 26. num. 18. & 19.* & Duard. *in Bullam Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 17. num. 7.* qui citat Salyc. *in dict. l. Deo nobis, in princ.* Et nouissimè probat fuse hanc conclusionẽ Perillustris, & obseruãdissimus Dominus meus Mercurialis Merlinus *in suo doctissimo tractatu de legitima lib. 4. tit. 1. q. 7. num. 3.*

Intelligitur conclusio, vt vniuersæ causæ præteritæ exhæredationis vi professionis deleantur, ità vt filius ob nullam illarum exhæredari possit. Ità intendunt Doctores citati, & expressius
2 docent Panormitan. Felin. Surd. & Molin. Procedit etiam conclusio in filio Iudæo, si post catholicam fidem susceptam ingreditur religionem; nam si per susceptionem solam fidei catholicæ deletur quæcunque ingratitudo ab eo ante baptismum commissa, vt docent Hostiens. *in c. Iudæi,* Felin. *ibi col. 1. de Iudæis,* & alij quos congerit, & approbat Surd. *vbi supra num. 44.* multò magis deleri debet, si religionis statum suscipiat.

3 Secunda conclusio. Professio Religionis maculam quoad actus temporales extergit. Exempli gratia, qui ob periurium, seu furtum, aut simile delictum damnatus fuit, est inhabilis ad

testificandum. Nihilominus per religionis professionem tollitur hæc macula, & efficitur aptus ad testimonium ferendum. Ità sumitur ex *authen. de monachis in princ.* vbi Imperator decernit, per religionis ingressum abstergi omnem maculam, & confirmatum est à Glossa *in c. cum deputati in fine, de iudic.* Felin. *ibi num. 2.* Bero *in c. in præsentia, num. 53. de probat.* & Rebuff. *in praxi benefic. tit. de*
4 *dispensat. super defectu natalium num. 72.* Idem dicendum de spurio, nam post professionem reputatur testis idoneus, vt allegato Marsil. *singul. 273. vers. limito etiam istud,* docet Farinac. *de testib. q. 56. num. 411.* Quia per ingressum religionis efficitur legitimus ad tradita per Gulielm. de Cuneo, Bald. Roman. & Felin. relatos, & approbatos à præfato Farinacio. Dixi *spurium fieri legitimum,* idest ad hoc, vt sit testis omni exceptione maior.

DVBIVM VIII.

Quando professio tacita inducatur.

SVMMARIVM.

1 *An per Tridentinum tollantur professiones tacitæ.*

Ad quid modò inseruiat potissimum professio tacita.

2 *Quibus modis fieri possit professio tacita.*

3 *An cum executione actuum, per quos inducitur tacita professio, necessariò desideretur consensus eius, cui competit recipere ad professionem.*

4 *An qui ex seipso, vel à non habente potestatem, summeret habitum professorum, se obligaret Religioni.*

An habitus delatio extra Monasterium inducat tacitam professionem.

5 *An ea, per quæ inducitur tacita professio, sint exequenda spontè, & liberè.*

6 *Item an scienter ad talem effectum.*

7 *Et cum qua intentione sint exequenda.*

8 *Per quod tempus inducatur tacita professio ex delatione habitus, & num. 12.*

9 *An ex delatione habitus nouitiorum ab habitu professorum distincti vnquam inducatur tacita professio, & n. 12.*

10 Et

10 Et an quando habitus nouitiorum non differt ab habitu professorum, & num. seqq.

11 Quid de iure antiquo circa hoc.

12 An irritetur tacita professio ex protestatione nouitij, vel Religionis contraria actui, per quem ipsa inducitur.

14 An minor metus sufficiat ad annullandam professionem tacitam, quàm expressam.

1. RESPONDEO tria esse principaliter notanda. Primum per Concilium Trident. *sess. 25. c. 15. & 16. de regular.* nō tolli professiones tacitas, sed in suo pristino valore manere. In hoc enim tantùm Tridentinum correxit ius antiquum, vt non inducantur professiones nisi expleto nouitiatus anno, & etiam completis sexdecim annis profitentis. Ità Nauar. *lib. 3. cons. 28. n. 5. in 2. edit. de regularib.* Honded. *cons. 78. num. 22. lib. 2.* Sorbus *tit nouitius, de nouitiorum professione vers. quid autem dicendum*, Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. q. 6.* Stephan. Gratian *tom. 4. discept. c. 740. num. 34.* Beltraminus *in addit. ad decis. 385. num. 6. Rota coram Greg. XV.* & ità resolutum fuit a Rota *decis. 579. num. 2 p. 1. recent. & in vna Vlyxbonen. professionis 10. Decemb. 1621. coram R. P. D. Merlino.* Et ità declarasse sacram Cardinalium Congregationē inuenio. Hic verò notandum, rarissimè contingere posse post Tridentinum validè fieri hanc tacitam professionem; Nihilominus doctrina tradita in hac materia à Doctoribus plurimum deseruit ad ratificādam, mediante tacita professione, expressam professionem inualidam.

2 Secundum, notandum. Quemadmodum iure antiquo professio tacita duplici modo emitti poterat. Ità etiam post Tridentinum ijs duobus modis emitti potest. Primò, per habitus professorum delationem. Secundò, per exercitium actuum, qui ad professos duntaxat spectant.

3 Tertium, notandum. Ad valorem professionis tacitæ, quoad rem nostram facit, quatuor conditiones desiderantur. Prima. Executioni actus, per quem tacita professio inducitur, adesse debet auctoritas eius, ad quem spectat incorporare illi religioni; Quia si professio expressa recipi debet ab eo, vel ab eius delegato: ità hæc tacita non est firma, nisi assensus eius concurrat. Ità Panormit. *in c. vidua num. 5. de regular.* Rosella *nouitius num. 18.* Angelus

num. 13. Syluest. *religio 3. q. 19. in princ.* Tabiena *nouitius num. 6.* Armilla *num. 7.* Nauar. *comment. 4. de regular. num. 73. in fine, &*
4 *num. 74. non longè à princ.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 83. num. 9.* & alij, & præcipuè Beltraminus *in annot. ad decis. 38. Rotæ coram Greg. XV.* qui allegato Calderino *cons. 5. col. 2. de regular.* & Steph. Gratian. *tom. 4. discept. c. 640. num. 39.* iure optimo inquit, si quis ex seipso sumeret habitum professorum, non se obligaret religioni. Immò subiungunt Menoch. *in d. præsumpt. 83. num. 12.* & Gratian. allegato Abbate *in c. ad Apostolicam in Glossa fin. vers. sed vltra, de regular.* & Decian. *cons. 18. num. 11. lib. 3.* non solum esse necessarium ad inducendam tacitam professionem, vt puella sumat habitum, & velum ab Abbatissa, quæ hoc ex se facere non potest, sed etiam ab omnibus monialibus, & à toto collegio. Ex quo sequitur, ob delationem habitus religionis extra monasteriũ quantumcunq; temporis non induci tacitam professionem, vt habetur *in c. vt clerici, de regular.* & dictum fuit à Rota *decis. 136. lib. 1. in prima edit. penès Puteum* post Bart. *in l. fin. §. quoties, ff. de public.* quem refert, & approuat Bertachin. *p. 7. num. 8. in tract. 6. de gabellis.* Quod confirmatum est ab Innocentio, Calderino, & Felino relatis, & approbatis à Menoch. *in dict. præsumpt. 83. num. 15.*

5 Secunda. Fieri debent spontè ea, per quæ inducitur hæc tacita professio, vt loquitur expressè tex. *c. vidua de regularibus.* Quare si metu graui fierent, hæc tacita professio minimè induceretur, vt benè notant Glossa *in d. c. vidua, verbo spontè,* & Panormit. *ibi ad finem,* & est communis Doctorum sententia.

6 Tertia. Hi actus, per quos inducitur tacita professio, fieri debent scienter, ita vt sciat vtens illis, ad solos professos illius religionis pertinere. Ità DD. modò citati, qui ferè omnes subiungũt, vtentem ijs actibus non debere etiam ignorare, per illos tacitam induci professionem, quia ratione huius ignorantiæ deesset consensus tacitè profitendi.

7 Quarta. Oportet, vtentem ijs actibus, animum emittendi professionem habere. Nec satis est, se habere negatiuè, non habendo scilicet animum nõ profitendi, nec faciendo vllam determinationem non emittendi professionẽ, vt benè aduertit Nauar. *comment. 4. de regular. num. 75. vers. quoniam autem.*

8 His

8 His prænotatis sit prima conclusio. In religionibus, in quibus nouitij deferunt habitum patenter ab habitu professorum distinctum colore, scissura, vel forma, tunc inducitur professio tacita per habitus delationem, quando nouitius expleto de momento ad momentum sextodecimo suę ætatis anno, & transacto anno integro, & continuato probationis suscipit, & defert triduo sponte habitũ professorum concurrentibus quatuor conditionibus in tertio notando declaratis. Colligitur exprese hæc cõclusio *ex c. ad nostram, de regular. & ex c. constitutionem, eodem tit. in sexto,* & confirmata est communiter à DD. præsertim à Panormit. *in c. vidua, ad finem, de regular.* Angelo *nouitio num. 12.* Syluest. *religio 3. q. 19. non longè à princ.* Armilla *nouitius num. 7.* Rosella *nouitius num. 14.* Nauar. *comment. 4. de regular. num. 74. vers. aduertendum secundò,* Honded. *cons. 78. num. 1. lib. 2.* & Menoch. *in d. præsumpt. 83. num. 19.* qui alios citat, & præsertim Calder. *in cons. 15. tit. de regular.*

9 Ex hac conclusione infertur, per quamcunq; annualem habitus nouitiorum delationem, etiam viginti annorum non induci tacitam professionem, quando habitus nouitiorum patenter à professorum habitu distinguitur. Ità Panormit. *in c. ex parte num. 3. de regular.* Barbat. *cons. 59. num. 3. ad finem, vol. 2.* qui citat Abbat. antiquum *in dict. c. ex parte,* ità etiam Angelus *nouitius num. 12.* Syluest. *religio 3. quæst. 19. vers. tertiò inducitur,* Nauar. *comment. 4. num. 74. de regularibus,* & latè probat Stephan. Gratian. *tom. 4. discept. cap. 640. à num. 21.* Quod intelligitur ex sola habitus delatione; nam si in eodem probationis habitu nouitius se ingereret alicui actui professis tantummodo competenti, & perseueraret triduo, esset tacitè professus expleto sextodecimo suæ ætatis anno, & completo probationis anno, vt mox dicam in tertia conclusione.

10 Secunda conclusio. Quia in nonnullis religionibus habitus nouitiorum nô distinguitur ab habitu professorum, & in aliqua licèt distinguatur, talis tamen distinctio est latens, puta quia habitus professorum benedicitur, non autem nouitiorũ, vt fit in sacra Prædicatorum Religione, vel quia habitus professorũ datur in capitulo, habitus vero nouitiorum in choro: vel quia habitus nouitiorum datur ab vna persona, professorũ verò ab alia: vel vnus datur certis diebus, alius alijs, vel tandem quia vnus datur cũ certa solẽnitate,

cum qua non datur alius. In ijs ergo religionibus tunc inducitur professio tacita per delationem habitus, quando nouitius præfatum habitum defert per annũ probationis integrum, & continuatum, dummodo expleuerit decimum sextum suæ ætatis annum. Patet hæc conclusio ex *c. 1. de regular. & ex Clem. eos qui, eodem tit.* & eam confirmant Glossa *in d. Clem. eos qui, verbo per annum*, Panormit. *in c. ex parte num. 3. de regular.* Boich. *in c. statuimus num. 6. de regular.* Barbat. *cons. 59. num. 3. ad finem, vol. 2.* D. Antonin. *3 p. tit. 16. c. 3. §. 1. in princ.* Syluest. *religio 3. q. 19. vers. tertiò inducitur*, Nauar. *comment. 4. num. 74. notab. 3. de regular.* & Honded. *cons. 78. n. 19.* qui citat Bero *in c. in præsentia nu. 564. de probat.* & Mascard. *in allegat. concl. 1237. num. 15.* Intelligitur conclusio, vt statim completo anno, sicuti dictum est, inducatur tacita professio concurrentibus quatuor conditionibus in tertio notando explicatis, & etiam vt in anno bissextili addatur vna dies, vt notant nonnulli ex citatis Doctoribus.

11 Tertia conclusio. In omnibus religionibus inducitur professio tacita per exercitium actus, qui iure, vel consuetudine ad professos tantùm spectat. Sed est hæc differentia; nam in religionibus, vbi nouitij deferunt habitum non patenter à professis distinctum, vt dictum est in proxima conclusione, tunc inducebatur hæc professio tacita iuxta ius antiquũ, quando concurrentibus quatuor conditionibus enarratis nouitius se ingerebat actibus professis duntaxat competentibus, etiam si transactum non erat probationis tempus, dummodo ætatem pubertatis expleuisset. Ita habetur in iure *c. vidua, de regular.* & confirmatum est *ibi num. 6.* à Panormit. Angelo *nouitius num. 12.* Syluest. *religio 3. q. 19. vers. primo ergo*, Tabiena *nouitius num. 6.* Armila *num. 7.* & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. quæst. 3.* At quia Concilium Tridentinum exigit ætatem sexdecim annorum, & integrum probationis annum, nunc in ijs religionibus non inducitur hæc professio tacita, nisi expleto hoc tempore, in quo etiam inducitur dicta tacita professio per habitus delationem, vt expeditum est in proxima conclusione.

12 In religionibus verò, vbi patenter distinguitur habitus nouitiorum, ab habitu professorum, vt in religione nostra, tunc inducitur hæc tacita professio per exercitium actus proprij professorum, quando concurrentibus enarratis quatuor conditionibus noui-

tius

tius expleto de momento ad momentum sextodecimo suæ ætatis anno, & etiam completo probationis anno cõtinuo se ingerit actui iure, vel consuetudine professis tantùm competenti, vt electioni, & perseuerat in hoc proposito per triduum, idest inducitur professio tacita post hoc triduum. Ità habetur expresse in *c. ad nostram, de regular.* Si verò habitum peculiarem professorum suscepit, simulq; actum præfatum ad professos dumtaxat spectantem gessit, non est necessaria tridui perseuerantia, sed immediatè inducitur professio tacita; Nam licèt post habitus professorum susceptionẽ requiratur perseuerantia tridui ad professionem tacitam inducendam, vt visum est in prima conclusione: nihilominus quando cõcurrunt duo præfata, susceptio scilicet habitus professorũ, & exercitium actus, tunc hęc duo simul per se sufficiunt ad inducendam tacitam professionem absq; tridui perseuerantia. Ità Panormit. *in d. c. vidua n. 7.* Rosella, Angel. Syluest. Tabiena, Armilla *in locis citatis*, & Nauar. *in d. comment. 4. n. 73. vers. primò quidem.*

13 Quarta conclusio. Quamuis inducatur professio modis enucleatis: nihilominus si nouitius protestetur, se nolle per eos profiteri, talis protestatio prodest, eo quòd non est contraria facto, sed animi declaratoria. Vires autem huius protestationis tradũt DD. *in c. cum M. Ferrar. de constit.* & Decius *ibi num. 90.* Ripa *num. 101.* & alij; Remouet enim consensum ab actu futuro contrario, quoties sumus in ijs, quæ à voluntate protestantis pendent, vt dixit Rota *decis. 859. num. 5. coram Card. Seraph.* Et ideò præcedente hac protestatione nullo modo inducitur tacita professio, vt benè docent Glossa *in Clem. eos qui, de regular. verbo professorum,* Cardin. *ibi num. 6.* Anchar. *num. 4* Barbat. *cons. 59. nu. 2. vers. modo ex istis, vol. 2.* Boich. *in c. statuimus num. 3. de regular.* Angel. *tit. nouitius num. 17.* Menoch. *in d. præsumpt. 83. num. 17.* Rosella *nouitius num. 17.* Syluest. *religio 3. quęst. 19. vers. tertiò inducitur,* Armilla *nouitius num. 10.* Tabiena *num. 7.* Nauar. *comment. 4. num. 74. vers. aduertendum tertiò,* Honded. *cons. 78. num. 25* qui alios cumulat. Et ità resolutum fuit à Rota *decis. 579. num. 3. p. 1. recentior. & decis. 705. num. 5. p. 2. recentior. & etiam in vna Brixien. Parochialis 20. Martij 1620. coram R. P. D. Vbaldo,* prout refert Beltraminus *in annot. ad decis. 385. Rotæ coram Greg. XV.* Quod procedit etiam quando Religio, vel Conuentus præmittit protestationem declarando etiam

si ha-

si habitum professorũ, vel quid simile nouitio permittat, seu concedat, suum esse intentionem nõ admittere eum ad professionem, donec professionem expressam emittat. Ità colligitur non obscurè ex Doctoribus citatis, & ex Rota, & docetur expressius ab Hon ded. *num. 25.* & Sorbo *tit. nouitius, de nouitiorum profess. vers. quid autem dicendum.*

14 Quinta conclusio. Hæc tacita professio inducta ex delatione habitus ob metum reuerẽtialem tollitur, licèt aliàs iste metus non sufficeret ad expressam professionem tollendam, vt resoluit Rota *decis. 579. num. 5. p. 1. recentior.* & plenè in dicta Brixien. Parochialis. Quod procedit indistinctè etiam stante susceptione habitus ab initio solemniter facta, prout reiecta doctrina Panormitani *in c. 1. num. 14. de his, quæ vi,* latè tenuit Rota *in vna Meten. professionis 19. Iunij 1617. coram R. P. D. Dunozetto,* vt refert Beltraminus *vbi supra num. 6. ad finem.*

DVBIVM IX.

An qui in Religione emisit professionem, mundo mortuus reputetur.

SVMMARIVM.

1 *Quod genus mortis resultet ex professione, & n. 5.*
2 *An professus in omnibus habeatur pro mortuo.*
3 *An in Monacho viuat nobilitas.*
4 *An gradus Doctoratus, & huiusmodi.*
An Religiosus de familia facultatem habente legitimandi, possit in Religione legitimare.
5 *Quod genus mortis resultet ex professione emissa in Religione incapaci bonorum.*
6 *Quando sortiatur suum effectum testamẽtum conditum ab eo, qui postea Religionem Minorum ingressus est.*
Et quando testamentum eius, qui Religionem bonorum in communi capacem ingressus est.
7 *Quando aperiri possit testamentum à nouitio nostro in scriptis cõditum.*

8 *An*

8 *An Religiosus iura suitatis, & agnationis amittat per professionem.*
9 *An faciat partem in computatione legitimæ filiorum.*
10 *Quando dicatur purificatum, & approbatum fideicommissum substitutis eius, qui Religionem Minorum ingressus est, & præsertim Capuccinorum.*
11 *An mors resultans ex professione emissa in Religione Minorum æquiparetur morti naturali in præiudicium tertij.*
12 *An suspendatur societas inita à tertio ad vitam eius, qui postea Religionem Minorum est professus.*
13 *Item an obligatio nubendi singulis annis tot Virgines ad vitam dicti Professi.*
14 *An Frater Minor transiens ad Religionem bonorum capacem, vel ad Episcopatum possit succedere in bonis.*
15 *An etiam in illis, quæ obtigerunt ei dùm erat in Religione Minorum.*
16 *An idem iuris sit de Fratre minore, qui ob eius demerita ab Ordine expellitur.*
17 *An Religiosus à Religione eiectus ali debeat à Patre manens in seculo.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Ingressus religionē mortuus est mundo, vt sumitur ex *l. Deo nobis, C. de Episc. & cler. & can. placuit il 2. 16. q. 1.* Quia ex professione resultat mors ciuilis, ita vt religiosus habeatur pro mortuo ciuiliter, vt benè notant Bart. *in l. cum pater, §. hæreditatē il 1. num. 3. ff. de lega. 2.* Bald. ibi, & Panormit. *in c. in præsentia num. 58. de probat.* Quod
2 tamen intelligendum est, monachum non haberi pro mortuo nisi in casibus in iure expressis iuxta Glossam *in c susceptum, de rescript. in sexto, & in d. can. placuit il 2. verbo mortuus,* Alex. *cons. 139. num. 4. lib. 2.* Oldrad. *cons. 284. num. 4.* & iuxta quāplures alios allegatos, & approbatos per Fusar. *de substit. q. 430. num. 15.* & dictum fuit à
3 Rota *decis. 543. nu. 1. p. 2. recent.* Hinc monachus dicitur mortuus ciuiliter quoad possessionem propriæ voluntatis, & bonorum temporalium; Secus verò quoad perdenda naturalia, licèt ea contemnere debeat; Et ideò iuxta probabiliorem sententiam viuit in eo nobilitas, quia est quoddam ius sanguinis, quod est incōmutabile *l. ius agna. ff. de pact.* & ita resolutum fuit à Rota, prout referunt, & sequuntur eā Petrus Leunaderius *p. 4. q. 54.* Apostil. ad Panormit. *in c. 1, lit. F. de purg. can.* Galiel. Benedictus *in c. Raynutius, verbo, &*

 vxo-

vxorem nomine Adelasiam à num. 210. de testam. Rosella *tit. Doctor. num. 4.* & Lud. Rom. *in sing. 37.* Idem dicendum de accidentali nobilitate ex Doctoratus gradu consurgente, prout asserunt nonnulli ex Doctoribus modò citatis. Quæ omnia locum habere in Fratribus Minoribus minimè hæsito; eo quòd in ijs non dicuntur mortui, sed solum quoad successiones. Immò religiosus, & etiam Frater Minor de familia auctoritatem habente legitimandi, potest in religione vti hac facultate; Vndè resolutum fuit à Rota *decis. 1331. num. 4. et 11. coram Card. Seraph.* legitimationem à regulari impetratam de familia habente facultatem legitimandi, accedente sui superioris assensu, esse validam. Quod confirmari potest, nam in huius potestatis vsu nulla adest actio solemnibus votis obstans. Dixi hac facultate gaudere etiam Fratrem Minorem, quia sicuti Prælati nostri non sunt incapaces fruendi facultate habilitandi ad dignitates, & officia hos illegitimos; Ita eodem prorsus modo Frater, qui in seculo hoc priuilegio gaudebat, ratione professionis non redditur huius facultatis incapax, dummodo, vt dictum est, licentia superioris intercedat: quia religiosus per votum obedientiæ omnes suas actiones suo superiori subiecit; Quare cum non habeat velle, aut nolle *can. non dicatis 12. q. 2. c. 2. de testam in sexto. et c. religiosus, de elect. in eodem sexto,* in omnibus pendere debet à superioris nutu. Nota tamen non considerari nobilitatem quoad dotem moniali assignandam, sed omnes moniales haberi æquales, vt nonnullis allegatis dictum fuit à Rota *decis. 63. num. 19. coram Greg. XV.*

5 Secunda conclusio. Quando mors ciuilis habet effectum mortis naturalis quoad id, de quo agitur, tunc eadē mors ciuilis æquiparatur naturali, & verbum *Mors* etiam in ciuili verificatur, vt benè inquiunt Cyn. & Bald. *in d. l. Deo nobis,* Bart. & alij *in l. ex ea, §. in insulam,* vbi Ias. de communi testatur *ff. de verbor. oblig.* Quod confirmant alij relati, & approbati ab Honded. *cons. 62. num. 35. vol. 1.* Barbos. *p. 1. l. 2. num. 155. ff. solut. matrim.* & Giouagnon. *respons. 85. num. 4. & respons. 89. num. 4. lib. 1.* Hinc statim ac quis profitetur in religione bonorum incapaci, puta in religione Minorum, habetur pro mortuo quoad abdicationē bonorum, ac si verè esset mortuus. Quia ciuilis mors in hoc casu per omnia eundem effectum habet, quem habet mors naturalis, ac proindè eidem morti naturali æquipara-

paratur, vt benè notant Bart. *in minor. lib. 4. dist. 3. c. 1. n. 8.* Paulus de Castro *in l. ex facto, §. si quis rogatus el 2. num. 2. ff. ad Trebelliar.* Decius *cons. 419 num. 2.* & Honded. *in cons. citato num. 19.* Quare non immeritò inquiunt Bald. *cons. 482. lib. 2.* & Alex. *cons. 13. lib. 3.* quos refert, & sequitur Fuscus *lit. M. concl. 393.* Fratrem Minorem quoad expropriationem bonorum haberi pro mortuo non solum ciuiliter, sed etiam naturaliter. Quod vniuersi de hoc scribentes confirmant.

6 Ex hac conclusione infertur primò, licèt testamentum à die solius mortis initium sumat, *l. 1. ff. de testam. l. 1. C. de sacros. Eccles. c. cùm Marthæ, de celebr. Missar.* Crauet. *cons. 167. num. 7. lib. 1.* cum alijs cumulatis per Cephal. *cons. 773. num. 12. lib. 5.* & Honded. *cons. 60. num. 1. vol. 2.* & dictum etiam fuit à Rota *decis. 943. num. 8. coram Card. Seraph.* Nihilominus testamentum conditum ab eo, qui postea religionem Minorum ingreditur, statim post emissam professionem confirmari absque expectatione mortis naturalis; Et ideò adiri potest hæreditas, & legata debentur iuxta notata per Bart. Bald. & alios *in l. 1. ff. de testam.* Ant. de Butrio *in c. in præsentia num. 33.* Panormit. *num. 58. et 59.* Dec. *num. 261. de probat.* Socin. sen. *cons. 92. num. 2. lib. 1.* Sim. de Pretis *de interpret. vltim. volunt. lib. 2. interpret. 1. dub. 1. f. 7. num. 6.* Honded. *cons. 62. num. 52. vol. 1. et cons. 60. num. 3. vol. 2.* Angel. *tit. hæreditas num. 22.* Syluest. *hæreditas 1. q. 7. num. 10. dict. 6.* Tabiena *eod. tit. q. vlt.* Nauar. *comment. 2. de regular. num 54.* Gutier. *lib. 2. qq. canon. c. 1. num. 18. 45. et 51.* Molina *disput. 140. in princ. et vol. 2. vers. quin, et bona, et disp. 186 col. 2.* Galuan. *cons. 13. num. 61.* Azor. *p. 1. lib. 12. c. 8. q. 6.* & per alios quos refert, & approbat Fusan. *q. 430. de substit. nu. 10.* quia hæc est communis opinio inter Doctores. Secus verò dicendum est de testamento condito ab eo, qui religionem bonorum in communi capacem ingreditur, & profitetur; nam expectanda est eius mors naturalis, & interim bona possidetur per monasterium, vt tradunt Bart. *in d. l. 1. ff. de testam.* Felin. *in c. in præsentia, num. 75. de probat.* Honded. *cons. 60. num. 4. vol. 2.* Galuan. *cons. 13. num. 63.* & Couarru. *in c. 2. num. 6. de testam.* qui alios refert. Quod quidem intelligendum est, dummodo aliter de voluntate ingressi religionem non constet. Nam si constaret, eum voluisse suum testamentum habere statim emissa professione executionem, non esset

expectanda mors naturalis, vt notarunt Imol *in d. l. 1. n. 75. ff. de testam.* & alij quos refert, & approbat Hōded *in cons. 60. n. 12. et 24.*

7 Notandum est etiam, testamentum in scriptis factum à nouitio nostro ante, vel post ingressum ad probationem aperiri posse statim post professionem, neq; expectandam esse eius mortem naturalem, quia à die suæ professionis suum habet effectum, vt dictum est, licèt per aperturam in vita factam soleant irritari per tex *l. cancellauerat, ff. de his, quæ in testam. delen.* nisi ex voluntate testatoris aperiantur, quod ibi tradunt Ang. Paul. & Alex.

8 Infertur secundò. Licèt Monachus vi professionis iura suitatis, & agnationis non amittat, vt alijs allegatis scripsit Surd. *de aliment. tit. 6. q. 18. num. 31.* sed succedat tanquam suus hæres, & transmittat ad monasterium iura suitatis, sicut transmitteret ad alios hæredes, prout liquidò patet ex *l. Deo nobis, C. de Episc. et cler.* vbi Imperator definit, hunc succedere, ac si religionem ingressus non fuisset, quod notant ibi DD. ex quibus nonnullos refert, & sequitur Tiraquel. *de retractu*, Lygnaier. §. *1. Glossa 8. nu. 19. et in l. si vnquam, verb. susscept. num. 42. C. de reuocand donationib* Hoc tamen non procedit in professo in religione Minorum, quia cum monasteria nostra succedere nō possint ob eorum incapacitatem, Frater Minor in hoc casu reputatur, & habetur pro mortuo, ac proindè nō retinet ius suitatis, vt docent Bart. *in auth. ingressi in 2. lectura num. 64. C. de sacros. Eccles. & in minor. lib. 4. dist. 1. c. 1.* Aretin. *in c. in præsentia num. 93. de probat.* Parisius *l. Gallus, §. & quid si tantum num. 50. ff. de liber. & posth.* & alij.

9 Infertur tertiò, qui professionem emittit in religione bonorum incapaci tàm in cōmuni, quàm in particulari, vt est religio nostra, in computatione legitimæ filiorum non facit partem, nec numeratur; quia habetur pro mortuo. Ità Bald. *in l. vnica, in princ. num. 11. C. de cadu. tol.* Alex. qui de cōmuni testatur *in l. planè, §. si duob. n. 7. ff. de leg. 1.* Aret. *ibi col. 8.* Imo. *col. 2. circa finē*, & alij relati, & approbati à Surd. *de aliment. tit. 3. q. 1. num. 44.* Secus verò si professionem in religione bonorū capaci emittat, quia non perdit iura legitimorum, §. *illud, in authen. constit. quæ de dignit.* nec suitatem, vt dictum est. Quæ omnia in terminis tradunt etiam Peregr. *in tract. de fideicom. art. 38. n. 4. et 8.* & Merlinus, *de legit. lib. 1. tit. 4. q. 3. n. 33. et 37.*

10 Infertur quartò per professionē ab hærede emissam in religione

Minorum, quæ est incapax bonorũ, dici statim non expectata eius morte naturali purificatum, & apertum fideicommissum substitutis, & vocatis post ipsum à patre, vel à quouis alio, qui eum instituit hæredem ea conditione, si absq; liberis discesserit, bona sua spectent ad ipsos substitutos, & vocatos post eum. Ita Bart. *in l. cum pater, §. hæreditatem il primo, ff. de legat. 2.* vbi etiam Bald. *num. 3.* Couarru. *c. 2. num. 6 de testam.* Molina *tom. 1. disp. 186. num. 74.* & latè Honded. *cons. 62. à num. 18 vol. 1.* qui loquuntur de professo in hac nostra religione Capuccinorum, & ità etiam resolutum fuit à Rota in vna Bononiensi fideicommissi de Desiderijs, Veneris 20. Martij 1626. corã R.P.D. Merlino. In qua decisione referuntur quamplures DD. hanc partem sustinentes; Quod ideò dico, quia nonnulli contrarium docent, vt scilicet nõ debeatur hoc fideicommissum statim à die professionis, sed post mortẽ naturalẽ professi, prout alijs allegatis latè probat, & tenet Fusar. *de substit. q. 430. à num. 16. vsque ad finem.* At a priori sententia, quæ est probabilior, & communior non est recedendum, eò vel maximè quia Rota, vt dixi, eam amplectitur, & approbat.

11 Ampliatur hæc illatio a Grato *cons. 68. num. 14. lib. 1.* quẽ refert, & sequitur Honded. *cons. 62. num. 38. vol. 1.* vt substitutus admittendus sit statim post emissam professionem, etiam in præiudicium eius, cui hæres donauerat ante religionis ingressũ, id est vt admitti debeat, etiam si ille, qui grauatus erat restituere hæreditatem ante religionis nostræ ingressum, ius illorum bonorum ad eum tempore vitæ suæ pertinens in aliũ mediante donatione, seu venditione, aut quouis alio contractu transtulerat: Et sic existimant mortem ciuilem in hoc casu æquiparari morti naturali in præiudiciũ dicti tertij. Hæc ampliatio iure optimo non admittitur a Bald. *cons. 280. vol. 1.* quem sequitur Peregrinus *de fideicommissis art. 28. num. 63.* & Intrigl. *de substit. cent. 3. q. 51. num. 19.* cum quibus concordant Decian. *cons. 31. num. 23. lib. 5.* & Fusar. *in loco citato, n. 16. & q. 430. num. 16 & num. 21. & in cons. 88. num. 13.* quorum opinio censetur verior, & probabilior. Hi ergo sustinent mortem ciuilem consurgentem ex professione in religione nostra emissa non æquiparari in hoc casu morti naturali in præiudicium tertij, ac subindè expectandam esse mortem præfati professi naturalem, antequàm substitutus in bona succedat. Quod probatur, quia mutatio status alie-

nantis

nitis, non sufficit iuri iam quæsito per eum, in quem alienauit. Præterea professio Fratris Minoris expropriationem bonorum, quæ tunc professus possidebat, operatur, non verò in præiudicium tertij, & respectu iuris, quod in dictum tertium transtulerat.

12 Infertur vlteriùs per professionem in religione nostra emissam, non dissolui societatem, quando scilicet tertius inierat societatem cum eo, qui postea in religionem Minorum venit, & fecit professionem. Ità resolutum fuit à Rota *decis. 544. num. 1. p. 2. recent.* [illegible] *R. P. D. Merlini*; & ratio est, quia ille, in cuius caput inita fuit societas, nihil penitus præstat, & nihil ei acquiritur, sed solum ab illius vita, & obitu naturali regulatur societas, vt duret, aut extinguatur. Et licet lucra continuent, non continuant tamen in vtilitatem personæ professæ, sed eius, quæ in caput dicti professi contraxit societatem: Et sic patet, in hoc casu mortem Capuccini ciuilem non æquiparari morti naturali.

13 Idem dicendum, si hæres grauatus sit collocandi in matrimonium singulis annis vnam, vel plures virgines ad vitam Titij, qui postea ingressus est religionẽ Minorum; nam dictus hæres ab hac obligatione non absoluitur per ingressum religionis à Titio factũ, sed expectanda est eius mors naturalis. In ijs ergo, & alijs huiusmodi casibus, in quibus neq; in iure, neq; in regula nostra reperitur mortem ciuilem æquiparari naturali, licèt Frater Minor dicatur mortuus, talis tamen mors non æquiparatur morti naturali, vt colligitur ex Rota *decis. 544. num. 1. p. 2. recent.* Quod confirmatur, nam cum dispositio sit ad obitum, appellatione obitus non venit de sua natura mors ciuilis, vt egregiè dicit Rebuff. *in praxi in forma signat. simpl. per vos, col. 7.* quem refert, & approbat Rota *num. 2.*

14 Notandum tandem, quamuis Frater Minor quoad abdicationem, & successionem bonorum habeatur pro mortuo, vt visum est. Nihilominus certum etiam esse tandiu haberi pro mortuo, ac proinde esse succedendi incapacem, quandiu ille est nexu professionis huius regulæ nostræ obstrictus; Vnde si ad aliquam dignitatem, puta ad Episcopatum, seu ad alium Ordinem bonorum capacem legitime transeat, succedit parentibus, agnatis, & cognatis, prout scri-

scripsit Bart. lib. 4. miscell. disp. 13. c. 3. num. 26. qui testatur, ita sensisse Patrem Franciscum de Assisio Abbatem, & Doctorem antiquum. Quam quidem opinionem communiter amplectuntur D. [illegible] Armilla in v. religio 4. num. 24. Angel. religio 4. num. 3. in fine. Syluest. religio 4. q. 16. Tabiena quaest. 28. Molina tom. 1. disput. 140. col. 1. vers. quando religiosus minor. Lessius lib. 2. c. 41. num. 88. Azorius p. 1. lib. 12. q. 2. [illegible] vers. mihi prima opinio, & alij.

15 Quod intelligitur de successionibus, seu haereditatibus, quae post transitum ad Episcopatum, seu ad alium Ordinem deferuntur, non autem de ijs, quae antè obtigerunt, vt docent Couarruu. in c. 1. de testam. num. 18. Lessius mox citatus, & alij. Quare in hoc casu ius succedendi in ijs Fratribus nō erat irreuocabiliter extinctum, sed vigore professionis erat consopitum, & suspensum. Ita in simili definitur in iure l. 1. vers. filio, qui mortis, ff. ad Tertull. eo quòd ius succedendi seruitute poenae non amittitur irreuocabiliter, sed durante eo statu suspenditur: At beneficio Principis impetrata restitutione recuperatur. Et quamuis Frater Minor ad dignitatem Episcopalem promotus, non sit omninò à paupertatis voto exēptus, attamen non est tam arctè hoc voto obstrictus, quàm erat in religione Minorum.

16 Hoc limitatur à Bart. vbi supra num. 11. vt non procedat in Fratre, qui ob eius demerita ab Ordine expellitur, etiam si ad aliam religionem bonorum capacem transeat. Ratio est, quia talis absolutio, seu expulsio magis est ad poenam, quàm ad praemium: cui sententiae se subscripserunt Rosella, Angel. Syluest. & Tabiena; Et ita etiam dixit Parisius in c. in praesentia num. 28. de probat. Nihilominus Sanchez in praecepta decal. lib. 7. c. 32. num. 26. allegato Rodriquez hanc sententiam moderatur, existimans eam esse veram solùm, quando religiosus manet in seculo, vel est in secunda religione nouitius. At emissa in hac secunda religione professione, meritò tollitur omninò vinculum prioris professionis, ac proindè pristinum ius succedendi recuperatur, modò haec religio sit capax.

17 At hic oritur dubium, an religiosus à religione eiectus manens in seculo ali debeat a patre. Respondeo breuiter affirmatiue. Et haec est expressa decis. Castrens. in cons. 67. [illegible], quem refert, & sequitur Suid de aliment. tit. 1. q. 7. [illegible] Et est ratio, quia

licet

licèt pater ab onere alendi filium ingredientem religionem liberetur, hoc enim onus transit in eandem religionem: attamen quia hæc obligatio alendi filium oritur ex causa naturali, ac proindè perseuerat, & durat, quatenus perseuerat, & durat causa, constat teneri patrem ad alendum præfatum filium, eo quòd non obstante expulsione à religione durat obligatio naturalis. Quod confirmatur, nam onus, quod habet pater alendi filium, mediante causa accidentali, idest ingressu religionis, consopitum, seu suspensum fuit; eo quòd causa accidentalis non extinguit causam naturalem *l. filio quem pater, ff. de liber. & posthum. l. assumptio, ff. ad municip.* Ergo cessante causa accidentali resurgit causa naturalis, ac subindè pater tenetur alere filium. Quod procedit etiam in Fratre minore.

DVBIVM X.

An pœnitere, seu dolere de professione emissa, sit peccatum.

S V M M A R I V M.

1 *An Religiosus proponens non seruare quę promisit, vel pænitens de præteritis obseruantijs peccet mortaliter.*

2 *An displicentia de professione emissa cum proposito tamen seruandi, quæ promissa sunt, sit peccatum mortale.*

3 *Vel an saltem peccatum veniale.*

4 *An magis meritoria sint opera facta vi voti, sed cum pænitudine, & tristitia, quàm non facta ex vi voti.*

1 RESPONDEO triplici conclusione. Prima. Certissimum est, religiosum, quem ità pœnitet suæ professionis, vt statuat, proponatq; amplius nolle obseruare, quę in ea promisit, nexu mortiferæ culpę illaqueari. Et idem dicendum est de eo, quem pœnitet se impleuisse obedientiam, paupertatem, castitatem, & alias huiusmodi regulæ obligationes, ad quas ratione professionis obligatur. Hæc conclusio tanquam certa, & indubitata confirmata est communiter à Doctoribus.

2 Secunda conclusio. Pœnitentia, seu displicentia de professione emissa, si talis sit, vt religiosus propositum obseruandi, quę promisit, retineat, non dijudicatur per se loquẽdo peccaminosa. Quod probatur; nam talis pœnitentia non est de obiecto prohibito ex vi obligationis voti; eo quod promissio facta à religioso in professione extenditur solum ad obseruandam regulam, non autem ad gaudendum semper, aut nunquam dolendum de professione emissa; Quod confirmatur, nã sicuti dolere, quod hodie sit dies ieiunij retinendo propositum ieiunandi per se non est peccatum: ità nec dolere hoc modo de professione emissa. Et idem dicendum, si religiosus de obseruantijs præteritis adimpletis hoc pacto se doleret. Colligitur hæc conclusio ex D. Thom. *2.2. q.88. art.6. ad 2.* & docetur expressè à Caietano *ibi non longè à principio*, Soto *lib.7. de Iust. q.2. art.4. col.4. ad 2.* Tabiena *votum 3. num.4.* Valentia *2.2. disp.6. q.6. p.3. ad fin.* Suarez *tom.2. de relig. de voto, lib.5. c.7. num.6.* & ab alijs.

3 Dixi *per se loquendo*, quia talis pœnitudo, & displicentia per accidens in votis diuturnis, & grauis momenti, vt est professio religionis non caret culpa veniali, eo quòd procedit ex tepiditate, defectuq; perseuerantiæ, & quod peius est, disponit ad voti trangressionem. Ità Caietanus, Soto, & alij. Immò si hæc displicentia esset tam magna, vt ex ea consurgeret graue trangressionis periculum, teneretur religiosus sub mortali eam depellere, vt benè aduertit Valentia; Et ideò D. Augustinus *tom.2. epist.45. non longè à fine*, quem refert D. Thomas *in loco citato*, inquit ad Armentarium, & Paulinam. *Non te vouisse pœniteat, immò gaude, iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.*

4 Tertia conclusio. Quamuis religiosus adimplens regulæ obligationes cum pœnitudine, & tristitia non consequatur illam meriti excellentiam, quam alioqui consequutus fuisset, si illa prima ardens voluntas vigeret in eo; Nihilominus hæc opera magis sunt meritoria, quàm si fierent sine voto, dummodo adsit semper propositum adimplendi ea, ad quę vi professionis tenetur. Ità D. Thomas *in loco citato*: qui huius conclusionis reddit rationem, quia scilicet impletio voti est actus religionis, quæ est potior virtus quàm abstinentia, cuius actus est ieiunare.

DVBIVM XI.

An Nouitij in articulo mortis constituti non expleto probationis anno ad professionem admitti possint.

SVMMARIVM.

1 *Refertur speciale priuilegium concessum Monialibus Nouitijs Ordinis Sancti Dominici circa propositam quæstionem.*

2 *Esto tale priuilegium modò sit validum, quæritur quibus, & quomodo sit validum.*

3 *An idem priuilegium modò sit abrogatum per Tridentinum in utroque foro, duplex opinio.*

4 *Posteriorem amplectitur Auctor, quæ censetur probabilior.*

1 RESPONDEO, Pium Quintum anno 1570. die 23. Augusti quadam sua bulla incipiente *Summi Sacerdotij cura*, quæ refertur à Rodriquez *tom. 3. q. 15. art. 6.* cōcessisse Monialibus nouitijs Ordinis Sancti Dominici, vt si contigerit tempore nouitiatus aliquā earum ex iudicio Medici ab hoc seculo transiturum esse, professionem emittere possit non expleto probationis anno in manibus Abbatissæ, seu Priorissæ, vel alterius superioris nouitiarum illius monasterij, dummodo in legitima ætate sit cōstituta. Quam gratiam indulsit Pontifex, quatenus hæ nouitiæ moniales sic decedentes indulgentiam, & alias gratias, quas moniales verè professæ consequuntur, consequi possint. Immò ijs nouitijs tunc professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem in forma Iubilœi misericorditer in Domino elargitur.

2 Quamuis autem censeam hoc priuilegium esse reuocatū, vt statim dicam: nihilominus si suo valore nō careret, circa eius vsum notanda sunt quædam. Primò. Omnes nouitij aliarum religionum per communicationem priuilegiorum frui possunt hac gratia. Secundò. Vti ea nequeunt nisi ex consilio Medici iudicatū fuerit, eos

eſſe

esse in mortis articulo constitutos; Et ideò periculũ mortis non est sufficiens. Tertiò. Admitti nequit ad professionẽ nouitius, nisi sextumdecimum suæ ætatis annum expleuerit. Quartò. Hæc professio emissa nõ completo probationis anno in nullo foro obligat. Ità declarauit sacra Cardinalium Congregatio his verbis. *Qui emisit professionem intra annum probationis, non est obligatus, neque ad religionem in genere, neq; in specie, nec etiam in foro conscientiæ illi indicta est obligatio.* Quintò; Cum hæc professio valeat in foro tantùm conscientiæ quoad consequendam indulgentiam, & alias huiusmodi gratias, causa ipsius nihil in iudicio peti potest à monasterio de bonis ad eum nouitium spectantibus, nec potest idem monasterium succedere ipsi nouitio in præiudicium succedentium ab intestato, vt docet Rodriquez contra Sanchez statim citandus, & etiam contra Zanard. *in direct. Theologorum p. 2. c. 17. ad finem.*

3 At quia hoc priuilegium est contra Decretum Concilij Tridentini *sess. 25. c. 15. de regular.* controuertitur inter Doctores, an sit abrogatum. Partem negatiuam sustinet Rodriquez *in loco citato, & tom. 1. q. 8. art. 4.* Ducitur, quia Pius Quintus quodam viuæ vocis oraculo relato ab eodẽ Rodriquez indulsit Minoribus, vt suis priuilegijs vti possint in foro conscientiæ tantùm, etiamsi restricta, seu derogata sint per Concilium Tridentinum. Et quamuis Gregorius XIII. quadam sua Bulla incipiente *In tanta rerum, ac negotiorum mole* relata ab eodem Rodriquez *in sua collect. priuileg. in Bullis Greg. XIII. Bulla 38.* reuocauerit omnia concessa per Piũ Quintum Ordinibus Mendicantium contra Concilij Tridentini decreta: attamen per hunc Pontificem reuocata fuerunt solum, quæ concessa fuerunt à Pio Quinto in foro exteriori ad euitandas lites, & discordias, quæ inter ecclesiasticos, & regulares ratione illorum priuilegiorum exorta fuerunt post Tridentinum; Quare non reuocauit viuæ vocis oracula, quæ in foro conscientiæ tantùm fuerunt concessa. Huius opinionis sunt alij Doctores, præsertim Henriquez *lib. 13. de excom. c. 40. num. 2. & in commento lit. R.* Beia *part. 4. cas. 38.* Megaglius *t. 2. lib. 2. c. 27. num. 50.* & Sanchez *in in præcepta decal lib. 5. c. 4. num. 16.* qui omnes existimãt iuxta præfati priuilegij tenorem admitti posse ad professionem nouitios nõ completo probationis anno.

4 Partem affirmatiuam tenent Emanuel Sà *tit. religio num. 56.* & Lopez *in sum. p. 1. c. 8.* quem refert, & sequitur Cruz *de statu relig. lib. 1. c. 8. dub. 4. & lib. 2. c. 3. dub. 6. concl. 3.* Hi enim sustinent præfatum priuilegium esse abrogatum per Bullam Greg. XIII. citatam; Nam cum idem Gregorius dicat abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quęcunq; alia his nostro statuto, ordinationi, & reductioni contraria, patet per eum reuocari nedum priuilegia, & literas scriptas, sed etiam viuæ vocis oracula, & reliqua indulta sine scriptis expedita. Præterea quia idem Pontifex in eadem Bulla de audiendis confessionibus, & pœnitentijs iniungendis à regularibus meminit, planè constat abrogare etiam viuę uocis oracula in foro conscientiæ tantùm concessa à Pio V. Super hac difficultate consului uiros doctos, qui tenent omninò non esse recedendum ab hac posteriori sententia; eò uel maximè, quia talis esse uidetur stylus Curiæ Romanæ.

DVBIVM XII.

An valida sit professio ob metum emissa.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quæstionis.*
2 *Metus alius grauis, alius leuis.*
3 *Metus grauis est difficilis probationis.*
Quę requirantur ad constituendum illum.
Ad dijudicandum metum grauem consideratur persona incutiēs, & persona patiens metum.
4 *Quid operetur reuerentia incutientis metum, & n. 18.*
5 *Metus cadens in virum constantem dicitur respectiuè.*
6 *Magis creditur duobus testibus deponentibus de metu, quàm mille negantibus.*
Metus alius à causa intrinseca, alius à causa extrinseca procedit.
7 *An professio facta metu cadente in virum constantem sit nulla iure diuino, an verò iure Ecclesiastico.*
8 *An quicunque actus facti durante causa metus semper sint inualidi.*
9 *Et etiam si quodcunque temporis spatium intercedat inter actum & metum*

tum incussum ad illius effectum.

10 *An idem iuris sit, si cessante metu, non cessent causæ, quibus à recl amando impeditur patiens.*

11 *An sit valida professio in foro conscientiæ illius, quem metus incussus parum perturbauit.*

12 *Vel si perturbauit, non fuit tamen causa profitendi.*

13 *An consensus Religionis graui metu extortus irritet professionem.*

14 *An ad hoc, vt metus irritet professionem, debeat esse incussus ad effectum, vt patiens profiteatur.*

15 *An metus grauis iusto titulo illatus irritet professionem.*

16 *An metus leuis irritet professionem.*

17 *Refellitur opinio Nauarri.*

18 *An metus reuerentialis irritet professionem.*

19 *Et præsertim si præcesserint minæ, vel verbera.*

An metus grauis rescindat contractum.

Item an metus reuerentialis coniunctus cum terribilitate, & seueritate.

20 *An preces importunæ cum timore reuerentiali inducant sufficientem metum ad irritandam professionem.*

21 *Item an blanditiæ.*

22 *In dubio an iniustus metus incussus fuerit, & an professio sit valida, pro quo sit præsumendum.*

23 *An suspicio metus irritet professionem.*

1 RESPONDEO nonnulla esse prænotanda. Primum. Non est hic sermo de eo, qui ex metu emittit exterius professionem, interius uerò assensum non præstat, sed solum fingit; Nam in dubium non uertitur, talem professionem esse irritam, eo quòd iuxta communem sententiam, ut benè inquit Nauar. *lib. 3. cons. 15. num. 2. de regular. in 2. edit.* ex defectu uoluntatis, & intentionis profitendi nequit esse ualida. Petitur ergo in præsenti dubio, an professio eius, qui profitendo uerum assensum interius præbet, sed extortum per metum, sit ualida.

2 Secundum. Metus est uel grauis, uel leuis. Grauis dicitur ille, qui cadit in constantem uirum, eo quòd talis, & tantus est respectu mali, seu malorum, quę incutiuntur, ut uir fortis, & constans illo meritò moueri possit. Leuis uerò appellatur, quando mala non sunt tā grauia, nec sufficientia ad inferendum metum cadentem in uirum

con-

constantem, vt modò dictum est; Et ideò, arbitrio Iudicis relinquitur quando metus dicatur cadere in constantem virum, vt notant Alex. *cons. 156. num. 5. in fine lib. 5.* Socin. iun. *cons. 77. num. 45. lib. 1.* & quamplures, quos cumulat Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 5. num. 1.* & dictum fuit à Rota *decis. 374. num. 12. coram Greg. XV.* De vtroq; metu videndi sunt DD. præsertim Couarru. *in 4. decret. p. 2. c. 3. §. 4.* Sot. *4. dist. 29. q. 1. art. 2. & de iust. lib. 7. q. 2. art. 1. col. 11.* Syluest. *tit. matrimonium 8. q. 11.* Nauar. *c. 22. num. 51.* & inter alios Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 1. & seqq.* qui latè, doctèq; declarat, quando metus dicatur cadere in constantem virum.

3 Tertium. Quamuis metus grauis sit difficilis probationis, vt notant Paris. *cons. 53. num. 63. lib. 4.* & Menoch. *de arbitr. cas. 116. num. 17.* & dictum fuit à Rota *in vna Nicen. matrimonij 6. Martij 1587. coram Card. Seraph. et in decis. 326. num. 2. coram Greg. XV.* Nihilominus tria requiruntur ad constituendum illum. Primum, vt malum, seu mala, quæ timentur, sint iudicio prudentis grauia. *l. metum 1. ff. de eo, quod met. caus. iuncta Glossa in princ.* Secundum, vt timens non valeat facilè occurrere eisdem malis, ità sumitur *ex reg. damnū, de reg. iur. in sexto, et ex l. fin. in princ. ff. de eo, qui met. caus.* Tertium, vt hoc malum, seu mala graui, aut probabili ratione timeantur *l. metum 2. ff. de eo, quod met. caus.* Et pertimesci debent, vel in persona propria, vel etiam in persona consanguineorum, vt docent Lessius *de iust. lib. 2. c. 17. num. 35.* Rebel. *lib. 2. q. 9. num. 3.* Gutierrez *de matrim. c. 78. num. 16.* & latè Sanchez *disput. 4. per totam.* Ad rectam huius tertij requisiti cognitionem maximopere conducit qualitas personæ tàm incutientis, quàm patientis metum, vt inquiunt Cald. *cons. 1. vers. 2. quod metus, sub tit. de his, quæ vi, metusue caus. fi.* Surd. *decis. 194. num. 3.* & alij relati, & approbati à Tiber. Decin. *cons. 30. num. 24. lib. 4.* & notatum fuit à Rota *decis. 326. num. 10. et decis. 374. num. 6. coram Greg. XV.*

4 Quoad qualitatem personæ inferentis metum notari oportet; licèt reuerentia ex se sola considerata metum grauem sufficientem non inferat, vt inferius dicetur: attamen in dubio non versari, accedente hac reuerentia minorem metum desiderari, quam si ipse metus incuteretur absq; ea, idest à persona, cui nulla debetur reuerentia, vt dixit Rota *in vna Toletana professionis 19. Nouemb. 1614. corā R.P.D. Vbaldo, et in decis. 326. n. 11. et 374. n. 14. corā Greg. XV.*

5 Quoad

Quoad qualitatem verò personę patientis metum notari debet, metum cadentem in virum constantem dici respectiuè. Idcircò respectu vnius dicitur cadens in virum constantem, respectu verò alterius non est talis, quia persona, in quam cadit, est fortior, & robustior. Hoc igitur iudicium ferendum est iuxta subiecti capacitatem; nam recta ratio suadet, aliam constantiam reperiri in viro, quàm in fœmina; & aliam in matura ætate, quàm in puerili & aliam in persona innatæ magnitudinis, quàm in persona vilis conditionis. Quare dum dicitur, metum cadere in constantem virum, intelligitur nomine *viri* animi robur pro cuiusque conditione. Ità Decius *in c. fin. num. 1. de appell.* latè Tiraquel. *de legib. connubia. l. 9. num. 120. & 121.* Menoch. *de arbitr. Iudic. l. 2. cas. 135. num. 4.* Sot. *de iust. lib. 7. q. 2. art. 1. col. 18.* Nauar. *c. 22. num. 51. vers. sextum,* Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 9. num. 4.* Couarru. *in citato* §. 4. *num. 9.* Sanchez *disp. 3. num. 4.* Lessius *vbi supra vers. respectiuè grauis,* Philiar. *de offic. sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. c. 8. ad finem,* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 4. num. 11.* & dictũ fuit à Rota *decis. 320. num. 24. 25. & 26. coram Greg. XV.*

Dixi in principio huius notãdi, metum graue esse difficilis probationis. Quod maximè procedit, quando agitur de annullanda professione, vt dixit Rota *decis. 1128. num. 3. coram Card. Seraph.* Nam si ageretur tantum ad effectum successionis, facilius probaretur, vt per Socin. *cons. 263. lib. 2.* Et fuit resolutum in vna Sauonen. matrimonij anno 1571. coram R. P. D. Gropperio, & in alia Romana matrimonij 9. Decemb. 1579. coram Card. Blanchetto, prout refert idem Seraph. in decisione citata.

62 Quartum notandum. Magis creditur duobus testibus deponentibus de metu, quàm mille negantibus, vt dixerunt Alex. *cons. 156. num. 3. lib. 5.* Barbat. *cons. 54. in princ. lib. 1.* Giouagn. *respons. 67. num. 3. lib. 1.* & quamplures alij, quos cumulat, & approbat Mascard. *de probat. concl. 1057.* Quod intelligendum est, vt subiungit Giouagnon. prout declarant Didac. *de sponsa. p. 2. c. 3. §. 5. num. 10.* & Rim. iun. *cons. 37. in princ. inter consilia matrimonij lib. 1.*

Quintum notandum. Metus procedit, vel ex causa intrinseca, vel extrinseca. Ex causa intrinseca, quando ex periculosa infirmitate, aut ex incendio, vel ex feris animalibus, vel ex alia huiusmodi causa procedit, de quo loquitur Sot. *4. dist. 29. q. 1. art. 3.*

col. 2. vers. hinc primo colligitur. Est causa extrinseca, quando ex causa libera, id est ab homine procedit.

7 His prænotatis sit prima conclusio. Est communis Doctorum sententia, irritam esse professionem ob metum cadentem in constantem virum emissam, id est ob metum grauem iniustè incussum. Sumitur hæc conclusio ex *l. metum, cum l. 2. ff. de eo, quod met. caus. & ex c. 1. de his, quæ vi*, & ex omnibus iuribus, quæ in casu matrimonij, & similibus de metu irritante loquuntur, vt patet *in c. veniens il. 2. & c. consultationi, de sponsalibus*. Ratio est per se aperta; nã metus grauis, qui cadit in constantem virum, immutat multum voluntatem, & diminuit notabiliter libertatem profitentis. Notandum verò, talem professionem dici irritam non iure diuino naturali, sed ecclesiastico, vt docent Arragon. *2. 2. q. 88. art. 3.* Azorius *p. 1. lib. 11. c. 15. quæst. 6. vers. quæstio igitur*, Sayr. *in claui reg. lib. 6. c. 4. nu. 19.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 40. dubit. 3. num. 18.* Sanchez *in præcept. decal. lib. 4. c. 3. num. 9.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 4. num. 6.* & alij. Et est ratio, quia iuxta ius naturæ ea deliberatio, seu voluntas, quæ est sufficiens ad contrahendum peccatum mortale, censetur quoque sufficiens ad valorem voti. Cum ergo in professione metu emissa inueniatur hæc sufficiens deliberatio; eo quòd licèt metus diminuat libertatem, non excludit tamen consensum ita, vt voluntas coacta non sit voluntas; §. *furtiue, cum Gloss. Instit. de vsucap. l. si mulier, §. metu coactus, ff. quod met. caus.* & Rota *decis. 1350. num. 9. coram Seraph.* Vndè si quis eo metu coactus fornicaretur, labe lethali commacularetur, patet, professionem hoc metu emissam non iure naturali diuino, sed solo ecclesiastico irritari. Præterea licèt tam in iuramento, quàm in voto metu extorto libertas æqualiter diminuatur: attamen in iure *c. si vero, de iureiur.* decernitur, contra suum iuramentum etiam grauissimo metu extortum non posse quemquam venire. Cum ergo nulla alia ratio inueniri possit huius disparitatis, vt scilicet validum sit iuramentum metu extortum, & è contra inualidum votum, necessariò dicendum est, votum iure ecclesiastico irritari, non verò iuramentum.

8 Intelligitur cõclusio, vt inualida sit professio tam eius, qui profitetur ob metum in virum constantem cadentem, quàm eius, qui ob eundem metum ingressus est claustrum, expletoq; probationis anno emisit professionem; Et est ratio, quia initium malum influit

in om-

in omnes sequentes actus, & tempora durante eadem metus causa. Actus enim facti eo tempore, qui videbantur liberi, & ex quibus colligi poterat voluntatem fuisse nouitij emittendi professionem, non sunt attendendi, quia durante metus causa non dicuntur facti in plena libertate. Ità nonnullis allegatis resolutum fuit à Rota *decis. 873 num. 3. & decis. 1166. num. 1. coram Card. Seraphino decis. 175. num. 2. p. 1. & decis. 705. p. 2. in recent. decis. 392. num. 3. coram Greg. XV.* Et etiam dictum fuit *in vna Neapolitana professionis 26. Iunij 1598. coram Orano.* Quod confirmatum est à quampluribus Doctoribus relatis, & approbatis à Sanchez *lib. 4. de ma-*
9 *trim. disp. 18. num. 7.* de simili metu loquentibus. Et id procedit quamuis quodcunque temporis interuallum sit inter actum, & metum incussum ad illius effectum: adhuc enim censetur durare timor, manente timoris causa, vt notant Bald. *in l. 2. num. 10. C. de his, quæ vi, metusque caus. fi.* Aret. *in l. interpositas num. 4. C. de transact.* Dec. *in l. in omnibus causis num. 12. vers. sed eadem causa, ff. de reg. iur. & cons. 209. num. 4. vers. primò ex eo,* & Rota *decis. 392. num. 4. coram Greg. XV.* Quare si filius, vel filia emitteret professionem ob timorem magnum à Patre incussum, causa metus censeretur durare vsq; ad mortem dicti patris, vt quampluribus allegatis dixit Rota in decis. modò citata *num. 5. & decis. 175. nu. 5. p. 1. in recent.*
10 Quod etiam dictum fuit in Neapolitana professionis coram Orano modò citata. Quinimmo non sufficit causam metus cessare, nisi quoq; cessent impedimenta, quibus à reclamando impeditur; poterit namq; reclamare longè post cessationem metus, si longo tempore illa durarent. Ità Nauar. *lib. 1. cons. 6. num. 2. de ijs, quæ vi,* & Sanchez *num. 8.* & in proprijs terminis de professione metu emissa scripsit Barbosa *de offic. Episc. p. 3. allegat. 104. num. 18.* quamplures DD. & Rotam allegans. Verùm cessata metus causa, cessatis quoq; impedimentis debet talis professus reclamare. Ex quo sequitur, nisi reclamet, ex gestis post huiusmodi cessationē excludi metum, vt quampluribus allegatis sensit Rota *decis. 463. num. 2. p. 2. in recent.*
11 Ampliatur hæc conclusio primò, ut locum etiam habeat in professione eius, cui licet illatus sit iste metus grauis, eum tamen parum perturbauit; nam ut comminatio, seu metus cadat sub legem irritantem uniuersaliter latam, satis est, ut ille, cui incus-

sus est metus, timeat, & ex timore profiteatur. Hæc duo enim quoad forum conscientiæ necessaria censentur, vt benè aduertit Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 4. num. 14.* Secus verò si quis non obstante metu, seu comminatione, quæ iudicio prudentum est sufficiens, vt vir, seu fœmina constans timeat, professionem que emittat non ratione huius timoris, sed alterius causæ profitetur, quia talis professio quoad forum conscientiæ est valida, vt subiungit idem Suarez, licèt quoad forum exterius probari fortasse po-
12 tuerit eam esse inualidam. Idem meritò censet præfatus Doctor, etiamsi ortus sit timor, dummodo ille non sit causa profitendi, vt contingeret in eo, qui dum timet, habet expressam profitendi voluntatem propter bonum religionis, etiam si nulla adesset ratio timendi.

13 Ampliatur secundò à Lessio *lib. 2. c. 41. dub. 7. nu. 60. vers. quintò,* vt irrita sit professio, si consensus religionis metu iniusto extortus sit; Vndè infert, professionem illam esse inualidam, quam metu graui iniustè ad id illato Prælatus admittere cogitur. At iure optimò hęc ampliatio non placet Suarez *num. 21.* dummodo Prælatus præstet consensum, etiam si ex quocunq; metu sit extortus. Et est ratio, quia cum metus ex sola rei natura non reddat inefficacem talem consensum, nec vllo iure ecclesiastico irritetur hæc professio, concludendum est, eam esse validam. Dixi, *si Prælatus præstet assensum*, quia si ob metum, vel ob quācunq; aliam causam fingeret recipere professionem, non habens re vera animum illam recipiendi, tunc talis professio esset inualida, quamuis in foro exteriori causa huius nullitatis non admitteretur, eo quòd probari non posset. Hinc in Ecclesia nunquam forsan iudicata fuit professio nulla ob metum religioni, vel eius Prælato incussum.

14 Limitatur primò, vt non procedat, si professio emittatur ob metum etiam grauem à causa extrinseca, seu intrinseca incussum non ad extorquendam professionem, sed ad alium finem. Quod confirmatur auctoritate Rotæ in vna Romana professionis 23. Iunij 1623. coram R. P. D. Remboldo vbi allegato Afflict. *decis. 296. n. 4.* dicitur necesse esse, vt minæ adhibitæ sint ad effectum compellendi patientem ad ingrediendam religionem, & idem patiens non sua sponte, sed ijs minis coactus profiteatur. Vndè professio emissa ob metum mortis etiam violentę illatum non ad extorquendam pro-

professionem suo valore non caret; vt si obsessus ab hostibus eligat sua sponte profiteri in religione, si ab obsessione liberetur. Ita Nauar. *c. 12. n. 52.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. q. 9.* Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 3. n. 16.* & Sanchez *in c. 3. citato n. 4.* Idem dicendum, si quis votum, aut professionem emittat ob metum ex infirmitate, aut alia huiusmodi causa procedentem; quia tunc ille sua voluntate eligit medium vouendi, & profitendi in religione: ita habetur in iure *c. sicut nobis, de regular.* vbi deciditur, validam esse professionē ægrotantis emissam timore mortis. Ita Nauar. Azorius, Lessius, & Sanchez modò citati. Immò si infirmus persuasione incutientis metum cum animo extorquendi iniustè religionis professionem voueret eiusdem religionis ingressum ad incolumitatem obtinendam, tale votum censeretur validum, dummodo incutiens metum non significaret eidem infirmo hanc suam prauam voluntatem, nec ipse eam intelligeret, vt benè aduertit Valent. *2. 2. disp. 6. q. 6. p. 4. col. vlt. vers. neq; verò eadem,* & Sanchez *n. 6.*

15 Limitatur secundò, vt non procedat, quando metus iustè illatus est ad extorquendam professionem: Vt si maritus vxori in adulterio deprehensæ auctoritate Iudicis mortē minetur, nisi profiteatur religionem: talis enim professio censetur valida, eo quòd nulla iniuria fit vouenti. Præterea quia metus censetur potius prouenire ex causa intrinseca, idest à lege, & à natura delicti, cuius causa metus infertur, quàm à causa extrinseca, quę non censetur metum incutere, sed potius metum iam radicaliter incussum à natura delicti auferre oblata professione. Ita Emanuel Sà *tit. votum num. 8.* Lessius *num. 14. vers. sed verius est,* Sanchez *num. 21.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9. num. 1.* & Bonacina *de legib. disput. 4. q. 2. p. 3. §. 1. num. 7. vers. dixi iniustè.* Non ignoro alios Doctores contrarium asserere, sed hæc est probabilior sententia.

16 Secunda conclusio. Metus leuis nō est sufficiens ad irritandam professionem nedum in foro externo, sed nec in foro conscientiæ: Et est ratio, quia non immutat multum voluntatem, ac proindè non diminuit notabiliter libertatem profitentis. Ita sumitur ex *c. fin. vers. nos igitur, qui clerici, vel vou.* & confirmatū est ibi à Glossa, Panormit. *in c. cum virum, num. 8. de regular.* Soto *de iust. lib. 7. q. 2. art. 1. col. 12. ad secundum in fine,* Lopez *p. 1. instruct. c. 45. col. 3. vers. non impedit,* Valentia *vbi supra,* Philiar. *tom. 1. de offic. sacerd.*

p.2.lib.3.c.18.vers.10. Azorio *p.1.lib.11.c.15.q.6.* Emanuel Sà *tit. metus num.3.* Sayro *in claui reg. lib.6. c.4. num.19.* Lessio *num.18. vers. hinc sequitur*, Sanchez *num.24.* Suarez *tom.3. de relig. lib.6. c.4. num.12* Bonacina *num.7. vbi supra*, & ità sumitur non obscurè ex Rota ex vna Romana professionis 23. Iunij 1623. coram R. P. D. Remboldo, vbi dictum fuit, necessarium esse metum in constantem virum cadentem ad infirmandam professionem expressam. Intelligitur conclusio, vt locum habeat, etiam si hic metus leuis sit causa, sine qua professio non emitteretur, dummodò non tollat rationis vsum, nec libertatem ad lethaliter peccandum sufficientem. Ità intendunt DD. modò citati, & latè declaratur à Sanchez, & Suarez *num.13.*

37 Hæc conclusio est contra Nauar. *c.22. num.51. vers. septimò, & lib.1. cons.3. num.9. cons.5. num.4. & cons.9. num.2. de his, quæ vi in 2. edit.* & alios relatos ab eodem Nauarro, qui docet, omnia præsertim spiritualia metu nō iusto facta nullam inducere obligationem in foro cōscientiæ, modò metus sit talis, quod si non intercessisset, ille actus factus non fuisset, & in dicto *cons.9.* inquit præcipuè esse inualidam professionem ex metu non cadente in constātem virum emissam. Hæc opinio haberet forsan probabilitatē, si metus natura sua irritaret professionem, quia priuaret aliqua libertate. At quia verius, probabiliusq; est, professionem metu extortam irritari iure ecclesiastico, vt aliàs dictum est, constat, cum ecclesia nunquam irritauerit talem professionem, leuem metum ex parte causæ, & obiecti in nullo foro irritare professionem, quāmuis moueat, vel perturbet profitentem, dummodo non tollat vsum rationis, nec libertatē ad peccandum mortaliter sufficientem, vt dictum est.

38 Ex hac conclusione infertur, non carere suo valore professionem expressam metu reuerentiali emissam, quando scilicet filius, vel filia ob interiorem reuerētiam, quam habet erga patrem, matrem, tutorem, vel Prælatum, seu Abbatissam non audens contradicere voluntati eorum profitetur; Quia iste censetur metus leuis. Quod probatur, nam solus metus reuerentialis non sufficit ad contractus rescissionem, nisi sit talis, qui in constantem virum cadere possit, vt ex multis latè probat Gaspar Ant. Thesaur. *lib.1. qq. forens. quæst. 51. à num.1.* vbi testatur hanc esse communem opinionem, & amicam legislatoribus per iura ab eo allegata. Ergo minus sufficit iste

me-

metus ad professionem rescindendam. Ità colligitur non obscurè ex Gloss. Soto, & alijs Doctoribus modò citatis, & docetur expressius à Panormit. *in c. cum virum num. 8. de regular.* Couarru. 4. *p. 2. c. 3.* §. *6. num. 7.* Salzedo *super reg. 532.* Bernard. Diaz *ampliat. 1.* Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 9. num. 5.* Lopez *2. p. instruct. in materia de matrim. c. 40.* §. *primò igitur*, Sayro *in claui reg. vbi sup n. 18.* Suarez *n. 16* Beltr. m. *in annot. ad decis. 385.* Rotæ *coram Greg. XV.* & Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 6. num. 18.* qui quamplures alios Doctores refert, & ita resoluit Rota *decis. 579. num. 5. p. 1. recentior.* licèt actus aliàs sufficiens ad inducẽdam tacitam professionem hoc reuerentiali metu elicitus nõ inducat hanc professionem tacitam, vt resolutum fuit ab eadem Rota, & uisum est *dub. 8. in fine.* Nauarrus, & quamplures alij relati à Sanchez in loco citato contra hanc illationem tenent: Nihilominus ob rationes allatas, & auctoritatem præfatorum Doctorum, & præsertim Rotæ ab hac illatione recedere non debemus.

19 Quando uerò præcesserunt minæ, uel uerbera, & filius metu reuerentiali emisit professionem, tunc talis professio censetur inualida, eo quòd adest metus, seu timor cadens in constantem uirum, si malum, quod pater, seu tutor comminatur sit graue sufficienter, ita ut ob talem comminationẽ ad prudentis arbitrium metus grauis ei inferatur. Ità allegato Innocent. *in c. cum causam, de offic. deleg.* & Bart. *in l. 1.* §. *qua oneranda, ff. quarum rerum act. non da.* docent Panormitan. *in c. cum virum, de regular.* Ità etiam Sot. *in loco citato*, Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 9. num. 5.* Lopez *vbi supra*; Couarru. *in loco citato num. 4. & 8.* Azorius *p. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 9.* Sayr. *vbi supra num. 18.* Suarez *num. 17.* Bonacina *num. 8.* & Sanchez *in præcepta decal. lib. 4. c. 3. num. 26.* Quod confirmatur; nam accedentibus minis, & uerberibus metus grauis probatur, & contractus rescinditur, vt ex quampluribus allegatis latè probat Gaspar Anton. Thesaurus *in loco citato num. 5.* Ergo si accedant minæ graues, uel uerbera, uel quid simile, professio est inualida. Quinimmo sicuti in muliere sufficit metus reuerentialis ad rescindendum contractum, quando habet uirum rigorosum, iracundum, & solitum inferre iniuriam ijs, qui illius mandatis non parent, ut ex multis allegatis probat idem Thesaur. *num. 9* Ità pari ratione hic metus reuerentialis censetur

suf-

sufficiens ad irritādam professionem causa huius timoris emissam à filio, vel filia talem patrem habente. Quod confirmatur; nam reuerentia cum seueritate, & terribilitate censetur sufficiens pro iusto metu à Panormit. *in c. cum virum num. 8. in fine, de regular.* atque Felino *in c. causam matrimonij num. 4. de offic. deleg.* Immò Rota *in vna Neapolitana professionis 15. Iunij 1598. coram Gypsio* magni fecit hanc patris qualitatem. Quod confirmat eadem Rota *decis. 326. num. 2. & 374. num. 6. & 16. coram Greg. XV.* Quinimmò *in vna Valentiniana professionis coram Card. Pamphil. & decis. 326. num. 14. coram Greg. XV.* dictum fuit, multum conferre ad iustum, & sufficientem metum reuerentiam cum indignatione. Quare Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 6. num. 14.* iure optimo inquit, iustum timorem incuti, vbi est spes certa talem indignationem diuturnam fore, secus verò si breuem.

20 At hic insurgit difficultas, an per preces importunas reuerentiali timori adiūctas inferatur metus grauis, ac subindè professio sit irrita. Respondeo, partem negatiuam tueri Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 9. num. 5.* & Lopez *2. p. instruct. de matrim. c. 40. §. adde tamen*, loquentes de matrimonio, cum quibus concordat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 5. num. 7.* qui loquens in proprijs terminis de hoc casu sustinet per has importunas preces non compleri metum grauem, ac proindè per eum non irritari professionem. Nihilominus dico partem affirmatiuam censeri probabiliorem, quia hæ preces, aut persuasiones importunæ iustum metū incutiunt, & vim coactionis habent, quando sumus in persona, cui debetur reuerentia. Ità docent Innocent. *in c. petitio, de iureiur.* Socin. *cons. 263. num. 8. lib. 2.* Curt. iun. *cons. 41. num. 18.* Ioan. Bapt. Ferret. *cons. 296. num. 17.* Apostilla ad Panormit. *in c. tuam, de etat. & qualit. lit. B.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 17. num. 35. vers. decimo tertio*, Tuschus *lit. M. concl. 217. num. 22. & concl. 259. num. 3.* Et dictum fuit in vna Romana legatorum *13. Nouemb. 1595. coram Orano, & in decis. 326. num. 13. coram Greg. XV.* Et in proprijs terminis loquentes de irritatione professionis tenent Couarru *in § 6. citato in fine*, Veracrux *1. p. specul. art. 8. post septimam concl. dub. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 7. num. 7.* Et in *decis. 326.* Greg. XV. modò citata refertur, huiusmodi importunitatem suadendi consideratam fuisse à Rota *in Valent. professionis 15. Iunij 1587. coram Card. Pamphil.*

Hac

Hæc tamen opinio intelligenda est, vt non quæcunque preces, aut persuasiones assiduæ dicantur importunæ, sed eæ solum, quæ sunt instantissimæ, & sæpius repetitę, & inculcatę, vt iure optimo notant Sanchez *n.8.* Lessius *vbi sup.* & Bonacina *de matrim. q.3.p.8. num.6. vers. addo.*

21 Ex quo sequitur, professionem mediantibus blāditijs emissam non esse inualidam, vt benè notant Angelus *tit. religiosus num. 23.* & Syluest. *tit. religio 3.q.11 in fine.* Quod confirmatur, nam blanditię ex se non inducunt metum grauem, vt docent D. Bonauent. *4.dist.29.q.1.art.8.* Nauar. *c.17.n.16.* & alij. Dixi *ex se,* quia tunc metum grauem incutiunt, sicuti dictum est de precibus importunis, quando probabiliter timentur minę, eo quòd qui vtitur blanditijs solet in eos seuire, qui eisdem blanditijs non parent; Ità Nauar. & alij relati, & approbati à Sanchez *in disput. 7. modo citata num. 3.*

22 Tertia conclusio. Quando sumus in dubio, an metus, cuius causa quis emisit professionem, fuerit nec ne grauis, pręsumēdum est in valorem professionis, cum scilicet fuisse leuē, ac proindè professionem non irritare. Et est ratio, quia cum constet de professione, & excusatio dubia sit, stat possessio pro eadem professione. Ità Sanchez *in præcep. decal. lib.4. c.3. num.27.* & Bonacina *de legib. disp. 4. q.2. p.3. §.1. num. 11.* Idem dicendum, quando sumus in dubio, an metus intercesserit; nam in hoc euentu accessisse non pręsumitur, ut sumitur ex *l.2. C. de his, quę vi, metusue ca. fi.* vbi Glossa, & Baldus cum alijs, & late probat quampluribus allegatis Gasp. Ant. Thesaur. *vbi sup. num.2.* Idem dicendum, quando dubium est de animo se obligandi ratione metus, vt benè notat Sanchez. Et tandem quando in dubium uertitur ualor professionis, iudicandum est pro religione, ut docent Barbat. *cons. 59. num. 12. post medium, vol.2.* Nauar. *lib.3. cons.13. num.10. in 2. edit. de regular.* Sanchez *de matrim. lib.7. disp.37. num.12. ad finem,* Stephan. Gratian. *tom.3. discept. forens. c.413. num. 17.* Suarez *tom.2. de relig. lib.7. c.2. num.6.* Lessius *lib.2. c.41. dubit.7. num. 66.* Idcirco Rota adherens huic opinioni dixit, professionem in dubio pręsumi ualidam, nisi contrarium probetur. Ità habetur *in decis. 1361. num. 7. coram Card. Seraph.* & dictum etiam fuit in una Romana professionis 23. *Iunij 1623. coram R.P.D. Kembolco.*

23 Quar-

23 Quarta conclusio. Professio irritatur non solum ob metum in constantem virum cadentem, vt visum est, sed etiam ob eiusdem metus suspicionem; Nam iusta, & probabilis suspicio sufficit pro metu, vt docet Bald. *in l. fin. num. 7. C. de iur. delib.* Rimin. sen. *cons. 15. num. 6.* Alba *cons. 77. num.* 11. Gram. *decis. 5. à n. 7.* Paris. *cons. 60. num. 13. lib. 4.* & dictum fuit à Rota *decis. 374. num. 18. coram Greg. XV.* Hinc quampluribus allegatis inquit Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 1. num. 17.* hanc suspicionem sufficientem esse ad rescindendum actum.

DVBIVM XIII.

An professio per deceptionem, aut errorem emissa sit valida.

SVMMARIVM.

1 *Error professionis contingere potest, vel circa substantialia, vel circa accidentalia.*
2 *In quo differant metus, & dolus, vel error.*
3 *Professio emissa ex errore circa accidentalia nunquam irritatur.*
4 *Redditur ratio.*
5 *Quare professio emissa circa substantialia sit inualida.*
Error substantialis irritat matrimonium.
6 *An error substantialis in Religione de persona profitente irritet professionem.*

1 RESPONDEO, præmittendum esse primò deceptionem, aut errorem contingere posse, vel circa religionis substantialia, vel circa accidentaria. Tunc contingit circa substantialia, quando quis inducitur ad religionem profitendam, & putat profiteri in vna religione, puta in religione D. Benedicti, & profitetur in religione D. Francisci: vel putat se non obligari in perpetuum, vel per eam non priuari dominio rerum: aut interuenit error circa quid simile notabile contra institutum, & substantiam regulæ, quam profitetur. Immò iuxta Sot. *lib. 7. de iust. q. 1. art. 2. col. 6. ad primum argum.* Sayr. *in claui reg. lib. 6. c. 9. num. 4.* & Suarez *tom.*

3. de

3. de relig. lib. 6. c. 5. num. 2. deceptio, uel error contingit etiam circa substantialia, si quis decipiatur circa religionis asperitatem, & difficultatem, quando tanta est, ut moraliter superet uires suas; Et est ratio, quia licèt ille modus uiuendi non sit de substantia professionis, ut sic, uidetur tamen esse de substantia professionis secundũ illam regulam. Tunc uerò contingit error, uel deceptio circa accidentaria, quando contingit circa alias omnes res minoris momenti quàm prædictæ.

2 Secundò. Inter metum, & dolum extat hæc differentia. Metus non aufert uoluntarium consensum, sed tantum perfectam libertatem. Dolus uerò, uel error consensum aufert *l. si per errorem, ff. de iurisdict. omn. Iud. l. cum testamentum, & l. non idcirco, C. de iuris, & facti ignor.* Præterea professio per metum grauem incussum non irritatur iure naturali, sed positiuo, ut uisum est in superiori dubio, quia metus non occultat obiectum. At dolus, seu error circa substantialia dirimit iure naturali matrimonium, & professionem, ut docent Doctores præsertim Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 18. num. 12.* & Suarez *num. 8.* quia occultat obiectum, & tollit consensum, & uoluntatem directam illius. Et quamuis quædam iura insinuent professionem ex dolo circa substantialia emissam suo ualore carere, ut statim dicam, nihilominus ex ijsdem iuribus non colligitur sufficienter hæc irritatio.

3 His prænotatis sit prima conclusio. Professio ex errore, uel dolo emissa circa religionis accidentaria nequaquam est irrita, quamuis deceptio, & error sit causa finalis, idest quod religiosus non emisisset professionem, si de errore, aut dolo habuisset notitiam. Sumitur hęc conclusio ex *c. ex parte 2. de conuers. coniug.* ibi *quamuis falsa sit causa, per quam susceptionem veli prædicta mulier est inducta, &c.* & etiam ex *c. veniens, in eodem tit.* ubi non obstante quodam dolo, professionem omninò ualidam, & ratam habẽdam esse dicitur.

4 Probatur primò, nam deceptio, & ignorantia, quæ non est circa substantialia, sed circa accidentaria, nõ excludit sufficientem consensum ad professionem. Secundò, quia uoluntas absoluta contrahendi matrimoniũ, uel profitendi in religione eo ipso, quod uersatur circa eiusmodi statũ perpetuum includit uirtualem uolũtatem

statūs illius eligendi, etiam si intercedat error, vel dolus, modò non sit circa substantialia, vt notat Molina *tom. 3. disp. 272.* Tertiò, quia si talis error tolleret obligationem, sequeretur grauissima incōmoda; multi enim coniugati non obligarentur ad coniugium, & multi professi non tenerentur ad religionem, vt benè notant Caietanus *in sum. tit. voto, §. votorum omissio in fine*, Lessius *de iust. lib. 2. c. 40. dubit. 2. num. 10.* & alij. Plurima enim superueniunt, vel latent, quę si ab initio cognita fuissent, noluissent homines contrahere, aut in religione profiteri; & ita nihil in contractibus, vel statibus hominum esset firmum, aut stabile. Glossa fin. *in c. cum dilectus, de his, quæ vi*, videtur apertè docere hanc conclusionem, quam expressius docent Syluest. *tit. diuortium quęst. 22.* Armilla *eodem tit. num. 10.* Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 2. num. 12. vers. ex his patet*, Suarez *in loco citato num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 9. num. 20.* & Bonacina *de legib. disp. 4. q. 2. p. 3. §. 2. num. 7. vers. dixi per errorem; & num. 7. vers. dixi votum simplex.* Possunt etiam citari quamplures Doctores, quos cumulat Sanchez *num. 19.* qui docent professionem reddi irritam ex causa falsa factam. Est notandum, hanc conclusionem procedere non solum quādo error per aliquam causam naturalem, seu extrinsecam contingit, sed etiam si ex iniuriosa deceptione contingat.

5 Secunda conclusio. Professio per errorem, vel dolum circa substantialia emissa est inualida. Quod sumitur *ex c. dilectus, de ÿs, quæ vi*, quia dum ibi dicitur, non interuenisse dolum, sed potius quandam fatuitatem non obscurè insinuatur, alioquin dolum grauiorem, seu magis certum esse sufficientem ad annullandam professionem. Probatur, quia talis error liberam voluntatem tollit, cum nihil magis consensui, quàm error aduersetur, vt dictum est in secundo notando. Confirmatur à simili de matrimonio, in quo error substantialis puta de persona irritat matrimonium, vt astruunt communiter Doctores, ex quibus quamplures cumulat Sanchez *lib. 7. disp. 18. num. 18.* Ita pari ratione error substantialis irritat professionem. Et ita non obscurè colligitur ex Soto *in loco citato*, atq; Sayro *in claui reg. lib. 6. c. 4. num. 13. vers. infertur quarto*, & docetur expressius à Lessio *vbi supra*; Sanchez *lib. 10. disp. 9. num. 21.* Bonacina *in loco citato num. 4.* & Suarez *num. 4.* qui iure merito *num. 9.* subiungit, conclusionem procedere non solum quando er-

tor, vel ignorantia contingit per iniuriosam deceptionẽ, sed etiam si ex quacunq; alia causa naturali, seu extrinseca cõtingat, & idem colligitur ex Sanchez *num.* 22.

6 Tertia conclusio. Ex parte etiam religionis redditur nulla professio, si error, vel deceptio intercedat in substantialibus puta in persona, vel circa aliquam conditionem, quæ sit de substantia in ea religione ratione regulæ, vel statuti, vt dictum est in primo notando. Quod probatur, nam cum cõsensus in professione sit etiam necessarius ex parte religionis, patet, causa huius deceptionis eundem consensum aliquando impediri posse, vt latius dicetur infrà declarando, an valida sit inter nos professio eius, qui morbum gallicum, vel contagiosum occultauit.

DVBIVM XIV.

An professio ob finem malum, aut indifferentem emissa suo valore careat.

SVMMARIVM.

1 *Quare professio ordinata ad malum finem sit nulla.*
2 *Et maximè si finis malus sit venialiter tantùm culpabilis.*
An professio ordinata ad talem finem sit peccatum veniale, vel mortale.
3 *Quare professio non sit nulla, quando malus finis est finis solius voti relati ad obtinendum à Deo bonum ex re mala consurgens.*
4 *An valeat professio grauati fideicommisso emissa animo defraudandi substitutum.*
An ratione huius fraudis excludatur substitutus.
5 *Quando intercedat fraus.*
6 *An professio emissa ob finem indifferentem sit nulla.*
7 *Pro quo sit præsumendum in dubio, an professio emissa fuerit ob finem indifferentem, vel bonum.*
8 *Vel dubitatur circa professionis finem.*

1 RESPONDEO quadruplici conclusione. Prima. Professio ex malo fine emissa est irrita, si malus ille finis sit finis castitatis, obedientiæ, & paupertatis, idest si profitens ordinet hęc

ueta ad finem malum, puta ad vanam gloriam. Ita colligitur ex Caiet. 2. 2. q. 88. art. 2. vers. in primo ergo sensu, Soto de iust. lib. 7. q. 1. art. 3. dub. 1. col. 11. assertio secunda, atque alijs, & docetur expressius à Nauar. comment. 2. de regular. num. vlt. vers. addo tertio decimo, & Sanchez in praecepta decal. lib. 4. c. 6. num. 14. qui citat Tabienam tit. votum 2. in fine. Idem dicendum iuxta citatos Doctores si professio ordinetur ad malum finem obtinendum à Deo, vel gratias agendas pro malo obtento: Vt si quis voueat religionis ingressum, si fœminam ad fornicandum, vel quid simile illicitum obtinuerit, intendens offerre Deo hoc votum, vt ei hæc concedat: vel si profiteatur in gratiarum actionem pro illo malo obtento. Ratio huius conclusionis est, quia talis professio culpa nõ vacat. Et sicut peccatum esse non potest materia voti: ita neque professio, neque aliud simile opus ex se bonum, quod dirigitur, & ordinatur ad malum obtinendum, quia continetur votum rei malæ, & peccaminosæ. Præterea Deus acceptare nequit aliquid in obsequium, vt auctor peccati sit, nec in gratiarum actionem, quasi illius peccati auctor fuerit. Immò talis professio videtur continere blasphemiam, quia videtur aliquid Deo tribui, quod ei non conuenit, cum Deus auctor peccati fieri videatur.

2 Ampliatur conclusio, vt irrita sit professio ordinata ad finem præfatum, etiam si finis malus sit venialiter tantum culpabilis. Quod probatur, nam est communis Doctorum sententia, irritum esse votum, quando materia voti est de se bona, sed adiungitur ei finis mortalis, vel venialis. Ita tenent, & testantur de communi opinione Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. de voto c. 4. n. 2. & 3. & Sãchez in loco citato num. 13. Ergo professio ordinata ad finem malum venialiter tantum culpabilem est nulla. Quod confirmatur, nam sicuti peccatum quamuis minimum nequit esse materia voti, vt modò dictum est: Ita nec professio, quæ dirigitur ad malum finem duntaxat venialem; quia licèt professio ex se sit opus bonum, redditur tamen iniqua ob illum finem. Et ita in proprijs terminis docet Sanchez num. 15. Quinimmò licèt vouere ob malum finem sit peccatum mortale, vel veniale iuxta qualitatem finis, vt docent Toletus lib. 4. cons. num. 8. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 2. dub. 1. circa quintam conclusionem, & alij, emissio tamen professionis ordinatæ ad finem malum venialiter tantum culpabilẽ non est immunis à culpa

lethali.

ethali, vt benè aduertunt Sanchez *num. 15.* & Bonac. *de legib. disp. 4. quæst. 2. p. 4. §. 1. in fine.* Quia sicut qui fictè emittit professionem labe lethali se commaculat, vt inquit Caiet. *in sum. tit. votum c. 3. statim in princ.* eo quòd mendacium incurrit perniciosum ratione diuinæ irriuerentię, & scandali coram hominibus, & etiam quia religioni infert damnum. Ità qui ordinat professionem ad pręfatum finem. Quę omnia procedunt etiam in emittente fictè, aut ordinando ad memoratum finē votà biennij in sacra Societ. Iesu; ut benè notat Sanchez.

3 Secunda conclusio. Professio ob finē malum emissa tunc suo valore non caret, quando malus finis est finis solius voti relati ad obtinendum illum finem aliundè quàm à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonū ex rē mala consurgens, gratiasue agendas pro illo obtento. Exempli gratia si quis voueat religionē, si non fuerit deprehensus in delicto, vel si ex duello incolumis euaserit, vel si ex fornicatione filium susceperit, &c. tale uotum tenet; quia licèt delictum, duellum, & fornicatio sint peccatum, nihilominus cum nō ordinetur uotū, seu professio ad hęc peccata, sed ad aliquod bonum, tunc tale uotum est de rē bona, ac proindè ualidum, eo quòd quādo malus ille finis aliundè intenditur, quàm à Deo; nec est rei promissæ finis, tunc ipsa res promissa manet liberà à mali finis macula.

Idem dicendum, si quis emitteret professionē dirigendo uotum suum ad castitatē, paupertatem, & obedientiam, & animum haberet malum, puta ad captandam apud homines mediāte religionis ingressu uanā gloriam, uel ad uiuēdum lautè, aut luxuriosè, aut ad aliquod simile malum perpetrandum; Quia hęc professio emissa est ob finē principalem bonum, qui est uiuere in obediētia, &c. quamuis secundarius finis, uel causa impulsiua sit mala. Hæc conclusio docetur cōmuniter à DD. pręsertim à Caiet. & Soto *in locis citatis,* Syluest. *religio 3. q. 6.* Nauar. *c. 12. n. 31. & 32.* Tolet. *lib. 4. c. 17. n. 7. vers. tertiò vouere,* Arragon *2. 2. q. 88. art. 2. dub. 5. circa quintā concl.* Emanuel Sà *tit. votum n. 4.* Azor. *p. 1. lib. 11. c. 15. q. 3. & lib. 12. c. 5. q. 10.* Valent. *2. 2. disp. 6. q. 6. p. 2. difficult. 2.* Sayr. *in claui reg. lib. 6. c. 3. n. 7.* Lessio *de iust. lib. 2. c. 40. dubit. 7. n. 36.* Sanchez *in precep. decal. lib. 4. c. 6. n. 13.* & Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1 de voto c. 5. n. 5.*

4 Ex hac conclusione infertur, si grauatus fideicommisso emittat professionem, dirigendo eam ad tria uota essentialia, ut mo-

do

dò dictum est, & animum habeat defraudandi mediante ea substitutum, quatenus monasterium bonorum capax, vel suus hæres scriptus, aut legitimus excludat eundem substitutum, hanc professionem ob rationes superius allatas suo valore nequaquam carere. Quod confirmari potest, nam sicuti matrimonium hac fraude contractum valet, vt inter alios notat Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 105. num. 9.* Ita etiam dicendum est de professione, quia argumentum de matrimonio carnali ad spirituale valet, vt alias dictum fuit.

At hic oritur dubium, an ratione huius fraudis excludatur substitutus. Respondeo breuiter, quando constat de fraude, tunc locum esse substitutioni, ac subinde excludi monasterium, vel hæredem scriptum, aut legitimum. Ita Glossa *in auth. nisi rogati, verbo locum venerabilem*, vbi Cyn. Bald. *num. 24.* Alber. *num. 2.* Salic. *num. 5. C. ad Trebell.* Bald. *in c. in præsentia num. 31.* Panormit. *num. 45.* Felin. *num. 34.* Decius *num. 56. de probat.* qui testatur de communi. Quod confirmant quamplures alij relati, & approbati per Fusar. *de substit. q. 429. num 73.*

5 Tunc intercedit fraus, quando grauatus fideicommisso pluries est comminatus substituto, se velle in eius odium, & damnum ad religionem transferre, vel alia huiusmodi verba ei dixit, per quæ apertè apparet, eundemmet grauatum causa odij, & fraudis ingressum fuisse religionem. Ita Panormit. *in d. c. in præsentia num. 46.* Felin. *num. 34.* Decius *num. 56. de probat.* Anchar. *cons. 231. num. 3.* Barbat. *cons. 18. col. 7. vers. & adduco simile lib. 2.* Ruin. *cons. 211. num. 8. lib. 1. & lib. 3. cons. 78. num. 8. & cons. 163. num. 6.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 83. num. 83. & cons. 226. num. 98.* & alij relati, & approbati a Fusar. *num. 75.*

Intercedit etiam fraus iuxta Bald. *in c. in præsentia num. 12.* Felin *num. 34. de probat.* Giouagnon. *respons. 45. num. 25. lib. 2.* & alios à Fusar. *num 76.* relatos, si grauatus fideicommisso professionem in mortis articulo emittat. Nihilominus probabilius censetur, in hoc euentu legitimam fraudis coniecturam non resultare; quia cessat omnis suspicio fraudis in eo, qui in huiusmodi mortis articulo emittit professionem; Non enim præsumitur in illo puncto se voluisse nexu peccati illaqueare in maximum animæ suæ præiudicium, *l. vlt. C. ad l. Iul. repet. can. sancimus 1. q. 7.* Sed potius præsumen-

sumendum est, eum emisisse professionem, vt saluti suæ consuleret. Præterea cum post Trident. emitti nequeat professio nisi completo probationis anno, si contingat articulus mortis, tunc occurrit per accidens, & consequenter cessat omnis fraudis præsumptio. Ita sustinent Decius *in c. in præsentia num. 5 de probat.* Gozad. *cons. 90. n. 5.* Paris. *cons. 13. n. 67. lib. 1.* Mant. *de coniect. vltim. volunt. lib. 10. tit. 4. num. 19.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 83. num. 83.* Intrigl. *de substit. cent. 3. q. 63. num. 74.* Ledou. Molin. *de Hispan. primogen. lib. 2. c. 5. num. 28.* quos refert, & sequitur Fusar. *num. 78.* Placet etiam Baldo *in auth. nisi rogati, num. 24. C. ad Trebell.* deesse fraudē, si quis in senectute religionem ingrediatur. Verùm hoc non admittunt Menoch. *in dict. præsumpt. 83. num. 781.* & Intrigl. *in loco modo citato num. 29.* prout refert præfatus Fusar. *num. 80.*

6 Tertia conclusio. Professio emissa ob finem principalem indifferentem est inualida, vt benè notat Sanchez *c. 7. num. 26.* puta si quis ordinaret professionem ad hunc finem principalem, quatenus scilicet fratres sui carnales bonis fortunæ essent abundatiores. Et quamuis vota simplicia ob hunc finem indifferentem emissa non excedant culpam venialem: hæc professio tamen culpa lethali non vacat, vt aduertit idem Sanchez; Et ideò finis talis irritat, vt dictum est, professionem. Secus verò si non oratus finis sit secundarius, vel causa impulsiua, quia tunc valida est professio, sicuti etiam suo valore non caret, si emittatur ob hunc finem indifferentem addito tamen fine peculiari, & principali honestante promissionem; vt si quis profiteretur, quatenùs fratres, vel cōsanguineos, mediante sua facultate, quam eis relinquit, induceret ad vitam vitiosam derelinquendam, & virtuosam amplectendam: vel vt filias in claustris monialium collocare, aut [illegible] facere possent.

7 Quarta conclusio. Si omnibus circunstantijs diligenter perpensis in dubium uertatur, an professio emissa fuerit ob finem indifferentem, nec bonum, teneri debet emissam fuisse ob finem bonum, ac proinde esse validam; [illegible] ratio, quia professio stat pro uoto, & in dubio [illegible] actus *l. quoties [illegible] de reb. dub. [illegible]* Quia præsumitur [illegible] actum eo modo, [illegible], & [illegible] *l. [illegible] C. l. merito ff. pro soc.* [illegible] *cons. 237. num. 3.* [illegible] *cons. 41.*

num. 12. & Rota, *decis. 129. n. 1. p. 1. in recent.* Itì docent loquentes de uoto simplici Arragon. *2. 2. quæst. 88. art. 2. in explicat. art. col. 3. vers. dico tertio*, Rodriquez *2. p. sum. c. 96. num. 7.* Sanchez *c. 7. n. 21.*
6 & Bonacina *in loco citato p. 4. §. 2. num. 5.* Si uerò dubitetur circa professionis finem, sic distinguendum est iuxta Sanchez *c. 6. n. 24.* Si certum sit, eum finem fuisse rei promissæ, uel uoti, ordinando uouens illud uotum ad obtinendum illum finẽ à Deo, uel ad agendas gratias pro eo obtento, & solum dubitetur, an finis sit malus, aut bonus, uotum non obligat, quia est dubium tunc, an materia promissa sit bona, an mala. Et quamuis Suarez *tom. 2. de relig. lib. 4. de voto c. 6. num. 12.* contrarium sustineat, magis tamen placet opinio Sanchez. Quando uerò est dubium de sola applicatione illius mali finis, an scilicet applicatus fuerit, ut dictum est in prima conclusione, an uerò applicatus fuerit, ut uisum est in secunda, tũc in hoc dubio præsumendum est in fauorem ualoris uoti, cuius uerba sunt clara, & ut minus delictum præsumatur.

DVBIVM XV.

An professio in Sacra Religione nostra emissa ab eo, qui morbo gallico, vel alia huiusmodi contagiosa infirmitate laborat, sit irrita.

S V M M A R I V M.

1 *Ratio dubitandi exponitur.*

2 *An Religiones possint statuere conditionem irritantem professionem vltra ius commune.*

3 *An error siuè deceptio circa mortiferam infirmitatem, vel incurabilem censeatur de iure communi substantialis; ita vt irritet professionem.*

4 *Quare professio emissa in Religione Capuccinorum ab eo, qui laborat morbo gallico, vel alia huiusmodi infirmitate contagiosa, sit nulla, & num. 8.*

5 *Quare sit nulla professio illius qui laborat eo impedimento, super quo præcesserat contraria protestatio admittentis.*

6 *Actus non dicitur contractus, vbi deficiunt substantialia.*

Ma-

Matrimonium in quod defecit consensus non dicitur contractum.

7 *An ad effectum, vt non præsumatur cõsensus sufficiat tacita protestatio, puta consurgens ex lectura Constitutionum.*

Pro foro exteriori necessaria censetur expressa protestatio.

8 *In quo differat votum solemne, à voto simplici.*

In omni materia communis vsus loquendi attenditur.

9 *Quod peccatum perpetret nouitius morbo contagioso laborans, & illum celans, & an sit incapax absolutionis.*

10 *An obligetur in genere ad Religionem ille, cuius professio est irrita inter Capuccinos ex infirmitate contagiosa.*

Ex duplici capite potest insurgere professionis inualiditas.

11 *Quis dispensare possit in Ordine Capuccinorum Constitutionem, de non recipiendis laborantibus morbo contagioso.*

1 RESPONDEO, huius dubij rationẽ ex ijs Constitutionum nostrarum uerbis consurgere cap. 2. *Qui eliphantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur, non recipiatur: Et si quis talis receptus fuerit, eo quòd interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit, declaratur, religionem ad eum retinendum minimè velle esse obligatam.*

2 Pro enodatione huius dubij prænotandum est primò, religiones posse apponere in suis Statutis, aut Constitutionibus conditionem irritantem professionem, vt latè probatum fuit *disput. 4. dub.* 1. Idest cuiuis religioni integrum est statuere, vt volens in illam ingredi, hoc, vel illud impedimentum non habeat, puta vt ex genere maculato circa fidem non descendat; & si hoc impedimento sit irretitus, professionem irritat, idest se declarat, nolle ad eam professionem præbere assensum.

3 Secundò, professionem per errorem, aut deceptionẽ in substantialibus emissam ex defectu consensus esse irritã: secus verò si contingat error: seu deceptio in non substantialibus, vt probatum fuit *dub. 13.* Et error, seu deceptio circa infirmitatem etiã mortiferam non censetur substantialis ex iure cõmuni, ut sumitur ex *c. sicut nobis, & c. sicut tenor, de regul.* & docetur à Cardin. *in c. ex trãsmissa, de renunt.* Butr. *ibi n. 3.* Imol *n.* 3. Panormit. *n. 2. & in d. c. sicut nobis n. 2.* & ab alijs statim citandis, qui intelligunt, morbum quãtumcunq; validum non impedire obligationem professionis, nisi sit tantus,

seu talis, ut excludat mentis discretionem. Hinc Rota *decis. 346. n. 2. inter collectas à* Farinac. *quæ decisiones spectant ad causas criminales* dixit de mente Glossæ *in c. sicut tenor, verbo extra mentem, de regular.* & aliorum, qui ab ea citantur, morbo etiam grauissimo non uitiari professionem. Et hoc procedit etiam si infirmitas sit contagiosa, ut morbus gallicus: Ità supponunt citati DD. & etiam Rota, quod expressius docent loquẽtes de morbo gallico, Nauar. *lib. 3. cons. 48. num. 2. & 3. in 2. edit.* Graffius *in consilio incipiente, Factum tale est, lib. 3. cons. 4. num. 8. de regular.* Sorbus *tit. nouitius, de nouitiorum professione, vers. quintò principaliter,* Rodriquez *tom. 3. q. 17. art. 9.* Miranda *in Manual. Pralat. tom. 1. q. 19. art. 2.* Sanchez *in præcepta decal. lib. 5. c. 4. n. 57.* & Lorich. *in suo thesau. tit. regular. §. 11. vers. vndecimo professio facta.*

4 His præmissis fit prima conclusio. Professio emissa in religione nostra Capuccinorum ab eo, qui morbo gallico, uel alia huiusmodi infirmitate cõtagiosa laborat, est irrita, si ante professionem rogatus, talem infirmitatem fateri noluerit. Et est ratio, quia professio est quidam contractus onerosus ultrò, citròq; obligatorius, quo professus se obligat religioni, ad seruiendum ei secũdum regulam eius, & è contra religio se obligat ad retinendum eũ, alendum, & tractandum iuxta suum institutum. Hinc sicut aliæ reciprocę obligationes nequeunt in vnius consensu cõsistere, sed duabus personis indigent habentibus potestatem se ipsas, vel alias obligandi, vt patet per tex. *l. in omnibus, ff. de act. & obligat. & l. sicut, C. eodem.* Ità ad valorem professionis requiritur, ut non solum emittens professionem obliget se, sed etiam vt religio per suum ministrum præstet assensum. Cum ergo in casu nostro defuerit consensus ex parte religionis, qui est substantia contractus *l. 3. ff. de contrahenda empt.* eo quòd fuit præstitus sub conditione, dummodo admittendus præfato morbo non laboraret, patet, deficiente conditione professionẽ esse inualidam; quia dispositio conditionalis nulla est deficiente conditione, vt sumitur ex *c. pro te, de rescript. in sexto, & c. præterea il 2. de appellat.* & consensus limitatus, limitatum producit effectum, *l. iubemus, & ibi DD. C. ad Velleian.* Paris. *cons. 19. num. 49. lib. 3.* Veral. *decis. 215. n. 5. p. 1.* & Rota *decis. 603. num. 5. p. 1. in recent.*

5 Confirmatur hæc conclusio à Doctoribus statim citandis, qui

ex-

expressè docet irritam esse professionem à Prælato admissam cum protestatione non esse sibi animum admittendi si adest hoc, vel illud impedimentum, & tunc tale impedimentum suberat. Et professio non dicitur irrita præcipuè, quia impedimentum subest, sed quia animus admittendi deest. Ità Gerson *alph. 34. lit. S.* Corduba *c. 2. quæst. 13. p. 6. & q. 21. p. 4.* Nauar. *lib. 3. cons. 26. num. 1. & 11. & cons. 87. num. 1. de regular. in 2. edit.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. dubit. 7. num. 64. §. nono*, Politius *c. 2. num. 96.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 30.* Rodriquez *tom. 3. q. 11. art. 2.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 30. art. 4. concl. 1.* Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 6. c. 5. num. 10.* & colligitur etiam ex Panormit. *in c. porrectum num. 10. de regular.*

6 Probatur amplius; nam sicut error, aut deceptio, quæ interuenit ex parte profitentis in substantialibus irritat professionem, vt visum est dubio duodecimo. Ità pari ratione est inualida, si idem error, aut deceptio circa substantialia ex parte religionis contingat; quia actus non dicitur contractus, vbi deficiunt substantialia, vt dicunt Ioan. Andr. *in c. 1. num. 3.* ubi Butr. *num. 7.* & Ioan. de Anan. *num. 1. de sacr. vnct.* & Rota *decis. 395. num. 4. coràm Greg. XV.* Exempli gratia deficiente consensu in matrimonio non solum dicitur nullum ipso iure, vt ait Panormitan. *in c. 2. num. 2.* vbi alij communiter, *de eo, qui dux. in matr. quam polu. per adult.* sed etiã dici potest non fuisse contractum, vt dixit Rota citata, quia deficit ei consensus, qui est ex substantialibus. Ità in casu nostro dicitur de hac professione, in qua licèt attento iure communi non intercedat in ea error, aut deceptio in re substantiali, quia morbo etiam grauissimo non vitiatur professio, vt in secundo not. visum est; attamen iure speciali religionis nostræ contingit hæc deceptio, seu error substantialis, dum religio se declarat neminem admittere velle ad professionem cum tali impedimento; Et hoc non obstante quis occultans idem impedimentum admittitur. Ità intendunt Doctores modò citati, & docetur expressius à Suarez *in loco citato, & etiam tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 2. c. 1. num. 28. & 29. & c. 3. num. 5.*

7 Notandum verò, nedum satis esse iuxta Nauar. *vbi supra* præmittere memoratam protestationẽ expressam, sed etiam tacitam; Hinc quia Constitutiones nostræ publicè leguntur in refectorio

professis, & nouitijs, hæc lectio censetur in casu nostro sufficiens protestatio. Quod verum censeo saltem quoad forum conscientiæ. Pro foro verò exteriori existimo necessariũ esse aliquo actu iuridico præmittere professioni expressè hanc protestationẽ, quod notare debent superiores, ne emissa professione ab aliquo huiusmodi infirmitate laborante in dubium postea nullitas professionis vocetur. Hoc documentum colligitur ex Rota *in decis. 346. superius num. 3. citata*; Vbi resolutum fuit, validam esse professionem à Ioseph Maria emissam in Religione Fratrum Minorum, in qua per Constitutionem à Papa confirmatam expressè cauetur, vt professio laborantis morbo caduco sit prorsus irrita. Fuit inquam declarata valida à Rota primò, quia non fuit probatum laborasse præfatum tali morbo tempore professionis, prout erat necessarium, vt dixit eadem Rota allegando Glossa *in c. sicut tenor, verbo extra mentem. de regular.* & ibi Butr. & Panormit. Bero *cons. 29. num. 12. lib. 1.* Honded. *cons. 78. num. 72. lib. 2.* & Rotam *decis. 107. num. 24. p. 2. diuers.* Secundò, quia protestatio facta eidem Ioseph videbatur non sufficienter probata. Lecta igitur, & benè declarata hac Constitutione nouitio fieri debet protestatio actu iuridico, vt dictum est. Hinc Præpositus *in can. placuit dist. 38.* allegatus, & approbatus à Suarez *in loco citato c. 3. num. 8. in fine*, inquit, non posse nouitium allegare ignorantiam, quando Constitutiones, & Regulæ illi fuerunt specificè declaratæ, & citatur in marg. Bart. *in l. vlt. ff de decret. ab ordin. facien.*

Contra præfatam conclusionem obijcies, verba Cũstitutionum nostrarum superius relata non esse sufficientia ad indicandum, nolle religionem præstare assensum, sed potius intelligenda esse, vt si quis admissus fuerit ad professionem, eo quòd rogatus morbũ, quo laborabat, fateri noluit, in pœnã huius deceptionis ab ordine eijciatur. Quare iuxta hanc interpretationem non habet locum doctrina tradita, quia professioni non defuit religionis cõsensus. Hæc euasio mihi quidem gratis facta videtur, eo quòd prædicta verba nullam ambiguitatem, seu obscuritatem iudicio meo inuoluunt.

3. Nihilominus ad eam euacuandam respondeo, inter votum solemne, & simplex reperiri hanc differẽtiam; quia votum solemne consistit in traditione reali, & simplex in promissione, vt docet D. Thomas *4. dist. 38. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. & 2. 2. q. 88. art. 7.* Ricard.

4. dist.

4.dist.38.art.7.q.2. Sot. *de iust. lib. 7. q. 2. art. 5. col. 5.* Couarru. *4. decret. p. 2 de matrim. c. 7.* § *4. num. 7.* & alij. Quare cum homo in emittenda professione se tradat religioni, oportet etiam ad cōsummationem huius contractus, vt religio vicissim se obliget ad illum retinendum; Hinc ex communi vsu loquendi Doctorum apertè colligitur, vt videri potest apud Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 25. num. 12.* Reginaldū *lib. 18. c. 29. num. 415.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 2. c. 4 num. 9. & lib. 6. c. 21. num. 5.* Nauar *lib. 3. cons. 26. num. 1. de regular. in 2. edit.* & Lessium *lib. 2. c 41. dubit. 7. nu. 61.* quod religio præstans consensum profitenti se obligat ad retinēdum illum; Et cum in omni materia communis vsus loquendi attendatur, vt benè notat Panormit. *in c 2. num 1. de arbitr.* latèq; probat Barbat. *cons. 34. num. 32 vol. 2.* & dictum fuit a Rota *decis. 293. num. 1. in fine p. 2. in recent.* patet, cū religio nostra se declaret nolle esse obligatam ad retinendum eum, qui rogatus occultauit morbum contagiosum, apertè, clarèq, dicere, se non præstare consensū, eo quòd sicut ex assensus concessione consurgit obligatio retinendi: ita ex declaratione non se obligandi ad retinendum apertè consurgit negatio consensus, & ità in proprijs terminis tenet Thesaur. *c. 2 f. 57.* decens professionem emissam inter nos à laborāte morbo gallico, vel alia huiusmodi infirmitate contagiosa esse inualidam ex defectu consensus religionis; Et ità in simili casu tenet Suarez *tom. 4. de relig. tract. 10. lib 2. c. 1. n. 28. & 29. & expressius lib. 2. c. 3. n. 5. post medium*, qui loquēs de receptione eius, qui hoc morbo laborat, inquit; licet hæc morbi gallici infirmitas ex se non inhabilitet personam ad religionem: attamen nihil videtur posse esse maius, nec reddere religionem magis inuoluntariā, quàm similis ægritudo, vel deceptio circa illam. Ergo Constitutiones dicentes nolle esse obligatam religionem ad retinendum prefatum, apertè declarant, eandem religionem non præstare consensum, quia non sequuta professione facilius, & tutius expellitur, quam si esset professus. Quod confirmatur amplius, nam cum protestatio intelligi debeat iuxta naturā contractus, cui apponitur, vt *per tex. l. si stipulatus, ff. de vsur. & l. damni, ff. de damn. infect.* & ità allegato Gozad. *cons. 63. n. 19.* & Aymo *cons. 20. n. 3.* dixit Rota *decis. 537. n. 5. coram Card. Seraph.* patet, protestationem, seu declarationē, quam facit in casu nostro religio esse circa professionis emissionē, eo quòd facta est tempore

pro-

probationis, ac etiam uerbis claris, quibus eadem religio abundè se declarat non præstare consensum, vt visum est. Ergo nulla est professio.

9 Ex hac conclusione infertur, nouitium tali morbo laborantem lethaliter peccare, si illum superiori non aperiat, vt benè notat Nauar. & probatum fuit *disput. 6. dub. 1.* Immò minimè dubito eum esse absolutionis incapacem donec vel morbum superiori aperiat, vel è monasterio egrediatur.

10 Secunda conclusio. Præfatus morbo gallico laborans, cuius professio est inter nos Capuccinos inualida, vt visum est, non est obligatus ad religionem in genere. Quod probatur, nam professio duplici modo esse potest inualida. Primò, ex natura rei. Secundò, ex Ecclesiæ decreto. Professio priori modo irrita est simpliciter, & omninò nulla. Si verò sit posteriori modo irrita, aliquando nullam, aliquando verò aliquam inducit obligationem, prout in sacris Canonibus, & Concilio Trident. ab eadem Ecclesia decernitur. Cum ergo professio præfati sit nulla priori modo, nempè ex natura rei, eò quòd religio non pręstitit consensum, concluditur, nullam inducere obligationem, nisi profitẽs peculiari intentione voluerit tunc aliquod votum efficere, quia poterat eo se ligare. Quod tamen votum non dicitur validum tanquam aliquid professionis, sed vt uotum simplex. Quæ omnia latè enodabuntur disputatione sequenti dubio primo.

11 Tertia cõclusio. Quamuis Prouincialibus integrum sit dispensare in Constitutionibus, in illis duntaxat casibus à præfatis Constitutionibus eisdem Prouincialibus concessis, & etiam in alijs, in quibus obtinuit consuetudo eos dispensare. Nihilominus censeo in hoc non posse, tùm quia est dispensatio insolita, & de re valdè graui, tùm etiam quia, & si ratione consuetudinis dispensent in alijs conditionibus à Constitutionibus requisitis quoad nouitiorum receptionem, in hac tamen maximę considerationis minimè dispensant. Et quia Ministro Generali communicata censetur à Capitulo generali tota potestas ad dispensandum in Constitutionibus, exceptis illis casibus, quos Capitulum generale sibi reseruauit, censeo illum solum posse in hoc casu dispensare accedente aliqua admodum graui, & legitima causa.

D I.

DISPVTATIO QVARTADECIMA.

IN HAC DISPVTATIONE DISCVTIENDVM EST Primò, an ex professione inualida oriatur aliqua obligatio. Secundò, agendum est de modo ratificandi eandem professionem inualidam.

DVBIVM PRIMVM.

An ex professione inualida exurgat aliqua obligatio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus ali debet à Monasterio pendente lite, an sit professus.*
2 *Allegans se non esse professum probare debet professionis nullitatem.*
Ex duplici capite potest consurgere professionis inualiditas.
3 *Professio inualida ex defectu consensus profitētis nullam inducit obligationem.*
4 *Secus verò si à profitente existimetur valida.*
5 *Et etiam quoad forum exterius.*
Nec adhibetur fides eidem profitenti etiam mediante iuramento.
6 *Professio inualida ex defectu consensus tantùm Religionis, nullam inducit obligationem.*
7 *Professio emissa inter nos à laborante morbo gallico non habet vim voti simplicis.*
8 *Neque etiam quoad forum exterius.*
9 *An possit ex tali professione insurgere aliquando obligatio voti simplicis.*
10 *Quando professio iure Ecclesiastico irrita inducat nec ne obligationem.*
11 *Refertur opinio Sanchez.*
12 *Opinio Auctoris.*
Professio iure Ecclesiastico irrita nullam inducit obligationem, nisi exprimatur expressè in iure.
13 *An in dubio de intentione profitentis oriatur ex hac professione obligatio*

voti

1 RESPONDEO, præmittendum esse primò, pendente lite, an Monachus sit professus ali debet à monasterio, ut dixit Bart. *in tract. de aliment. n. 43.* allegatus, vt approbatus à Surd. *de aliment. tit. 1. q. 128. in fine*; Quia sicuti quando monasterium vult expellere monachum, prouidendum est ei de alimentis à religione pendente lite, vt cõcludit Cordub. *in l. si quis, §. si vel parens, num. 59. ff. de liber. agnoscen.* & dixit Rota, quam refert, & sequitur Surd. *in loco citato*. Ita in hoc casu ali debet religiosus à monasterio.

2 Secundò. Ad religiosum allegantem se non esse professum spectat professionis suæ nullitatem probare, vt dixit Rota *decis. 216. p. 2. diuers.* Tertiò, professionem posse esse nullam, vel ex natura rei, vel ex statuto Ecclesiæ. Si inualida sit ex natura rei, nullã ex se inducit obligationem. Si verò ex statuto Ecclesiæ, aliquando inducit obligationem quoad aliqua, vt decernitur in iure; Quæ omnia ex statim dicendis apertè constabunt.

3 His præmissis sit prima conclusio. Professio inualida ex defectu consensus profitentis nullam ex se inducit obligationem, quia deficiente in ea eiusdem profitentis intentione se obligandi, aut vouendi ex natura rei dicitur nulla; Et cum lex naturalis annullet eam, sequitur reddi pariter inutilem ad omnem effectum. Præterea

rea

rea si professio ex natura sua censetur nulla, traditio quoque, & promissio in ea inclusa dicitur nulla, ac proinde nullam inducit obligationem. Hæc conclusio difficultatem non inuoluit, modò apertè constet profitentem cum culpa, aut sine culpa non præstitisse expressè consensum. Ità colligitur non obscure ex Nauar. *comment. 4. de regular. num. 76. vers. aduertendum quartò*, Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 15. n. 5. vers. quartò probatur*, Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 2. n. 2. & seqq.* & ab alijs docentibus inualidè professum ex defectu consensus non cogi ad obseruanda vota, obligationesque religionis saltem quoad forum conscientiæ, sed teneri ad arripiendam fugam in partes remotas, vbi sine scandalo viuere possit, quando ratam non vult habere professionem inualidam.

4 Limitatur conclusio primò, vt præfata professio inualida inducat obligationem perindè, ac si esset valida, si ratione ignorantiæ existimatur ab eo, qui emisit eam, suo valore non carere: Atq; hæc obligatio consurgit ex cõscientia erronea, sicuti ex ea in alijs actibus oritur similis obligatio.

5 Limitatur secundò, vt nõ procedat quoad forum exterius, quia cum Ecclesia iudicet de actu externo, habetur præfatus, & reputatur communi existimatione pro professo, ac subindè ex hac professione oritur obligatio quoad forum exterius permanendi in religione, seruandiq; regulam, quamuis ipse sit nullitatis suæ professionis conscius; nec adhibetur ei fides in hoc foro etiam mediante suo iuramento, vt habetur *in c. vidua, de regular.* Quod cõfirmatur, nam licèt in ijs, quę in animo consistunt, stetur iuramento eius, qui ità asserit, vt tenent quamplures Doctores allegati per Couarru. *in pract. qq. c. 32. col. vlt. §. cęterũ*, & Farinac. *de inquisitione q. 8. n.* 113. Hoc tamen solum procedit cum de modico præiudicio, non verò de graui agitur, tunc enim plenior, & certior requiritur probatio, vt benè notant Panormit. *in c. quosdam, de præsumpt.* Felin. *in c. cognoscentes, num. 14. de constitut.* Decius *ibi ad fin.* Gemin. *in c. eos, de tempor. ordin.* Couarru. *in loco citato*, & alij relati, & approbati per Farinac. *num. 114.* Cum ergo in casu nostro agatur de re valdè graui, certum est nullitatem professionis aliter probari debere, quàm per iuramentum ipsius profitentis, vt in proprijs terminis docent Panormit. *in d. c. vidua, de regular.* & Caiet. *2. 2. q. 88. art. 1. ad finem.*

6 Secunda conclusio. Professio inualida ex defectu tantùm consensus religionis nullam ex se inducit obligationem, quia eius nullitas procedit ex natura rei, modò apertè constet religionem non præbuisse consensum. Sit exemplum de laborante morbo gallico, cuius professio inter nos vi Constitutionum nostrarum censetur nulla, vt latè in superiori disputatione probatũ fuit. Ex hac igitur professione nulla oritur obligatio tàm ex parte religionis, quàm

7 profitentis; Et ideò vim voti simplicis non habet ac proindè non obligat ad religionem in genere, vt non satis rectè docuerunt nonnulli, & præsertim Gerson 2 *p. sum. alph. 34. lit. S.* & Corduba *c. 2. q. 13. p. 6. & q. 21. p. 4.* Probatur, nam certum est professionem esse contractum onerosum vltrò citròque obligatorium; Et cum in contractu mutuo æqua esse debeat vtriusq; partis conditio, sequitur, deficiente ex parte religionis consensu, neutram partem remanere obligatam, quia vtraq; pars debet esse vel obligata, vel libera. Præterea præfatus non emisit vota simpliciter, & absolutè, sed ut annexa statui religionis Minorum, & traditioni, quam de se ipso fecit religioni. Cum ergo professio fuerit nulla, idest status religionis, patet, uota etiam nequaquam obligare, quia accessorium sequitur principale; Et quia uoti obligatio non excedit uouentis intentionem, quæ fuit seruandi uota in prędicto religionis Capuccinorum statu.

Hanc conclusionem latè probat Suarez *in loco citato & in tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 2. c. 1. num. 30. & 31.* & eam quoque sustinet Nauar. *lib. 3. cons. 26. num. 12. & 13 & cons. 87. per totum, de regular. in 2 edit.* docens, eos, qui admissi fuerunt ad professionem, in quorum admissione non interuenit ex parte recipientium consensus, ut contingit in casu nostro, non haberi pro professis etiam

8 quoad forum conscientiæ: Et quia subiungit, hos ordinem exire posse sine dispensatione quoad forum conscientiæ, & etiam quoad forum exterius facta prius a superiore declaratione nullitatis suæ professionis, apertè docet, eos nexu uoti simplicis minime ligari, ac proindè ad religionem in genere non teneri, eò uel maximè, quia dicit posse manere in seculo ueste regulari exutos, & amplecti uitam, quam uolunt, ac si professionem non fecissent. Idem docent alij, maximeq; Rodriq. *tom. 3. q. 11. art. 2. circa medium,* & Miranda *in Man. pral. Iralat. tom. 1. q. 30. art. 4. concl. 1. & 2.*

9 Li-

9 Limitatur conclusio, ut non procedat in eo, qui in emittenda præfata professione peculiarem habuit intentionem uoto religionis simplici, aut alio huiusmodi uinculo se ligare; Nam in hoc casu tale uotum esset ualidum non tanquam aliquid professionis, sed ut uotum simplex; Et ideò dixi in conclusione, professionem hanc ex se nullam inducere obligationem, quia ex alia parte potest oriri aliqua obligatio, ut modò dictum est. Sanchez *in præcep. decal. lib. 5. c. 4. num. 105.* censet, professionem irritam inducere hanc uoti simplicis obligationem, non solum quando profitens habuit hanc expressam intentionem, sed etiam quando præsumitur eam habuisse, & tunc vult ibi esse præsumptionem, vbi non constat de contraria intentione. At quia conclusione sequenti hoc examinabimus, sufficit pro nunc dicere in casu nostro non præsumi interfuisse hanc intentionem, vt melius statim explicabitur.

10 Tertia conclusio. Professio ex iure ecclesiastico inualida nullam per se inducit obligationem, nisi in iure exprimatur, vt benè docet Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 2. num. 10.* quamuis per accidens ex ea oriri possit aliqua obligatio. Prior pars conclusionis probatur, quia cum à iure irritetur professio, consequenter irritatur quoad omnia. Si verò aliquid in ipso iure excipiatur, illa met exceptio firmat regulam in contrariũ, vt scilicet illa professio quoad alia omnia, seclusa exceptione, intelligatur inualida. Posterior pars probatur; nam sicuti ex professione natura rei inualida oriri potest obligatio ratione ignorantiæ, aut scandali, vt visum est in prima conclusione; Ità eodem prorsus modo ex hac professione iure ecclesiastico irrita consurgere potest hæc obligatio. Exempli gratia si quis emitteret ignoranter professionem non expleto sextodecimo suæ ætatis anno, certum est, hanc professionem statuto Ecclesiæ esse nullam, vt statim dicam. Nihilominus talis inualidè professus teneretur ratione ignorantię, & ad perseuerantiam in religione, & ad obseruantiam regulæ.

11 Contra hanc conclusionem est Sanchez *in loco citato num. 104. in fine, & num. 105.* docens professionem ex quocunq; defectu irritam, si ius eam ità non irritet, vt omni prorsus obligandi vi eam destituat, obligabit instar votorum simplicium; quia profitens potuit se obligare simplicibus paupertatis, castitatis, & obedientiæ

votis. Quæ quidem assertio iuxta eundem Doctorem locū sibi non vendicat, si inualidè profitens vouerit illa tria vota ex Immediato manendi in religione fine, tunc enim censebitur vouere dependenter ab illius professionis valore; Et ideò virtute talis intentionis ad nihil voluit se obligare, existente illa professione irrita. Si autem habeat intētionem se obligandi illis uotis in professione emissis independenter ab ipsa, vel saltem non restringendo intentionem ad vota solemnia, remanet voto simplici ligatus. Atq; eam intentionem præsumunt iura *c. quidam, & c. placet, de conuers. coniug. & c. consuluit, qui cler. vel vouen.* vbi de contraria non constat; Et ideò præsumunt hunc votis simplicibus manere ligatum. Atque quando dubium est de hac intentione, standum est in vtroque foro huic iuris præsumptioni. Hæc in substantia inquit Sanchez.

12 Hæc opinio, quamuis non careat probabilitate, censeo tamen probabilius esse, eam non habere locum in quacunq; professione irrita, sed solum in ea, seu illis, de quibus in iure exprimitur, eas hanc inducere obligationem, vt dictum est in conclusione. Et ideò si irrita sit professio, non inducit ex se vllam obligationem ob rationes superius allatas: Et quamuis mediante ea possit profitens votis simplicibus obstringi: hoc tamen non procedit, nisi hanc
13 obligandi intentionem expresse habeat: Et in dubio tenendum est in vtroq; foro esse ijs votis simplicibus ligatum, si in iure exprimatur talem professionem inualidam inducere hanc voti simplicis obligationem, quia si non constet de contraria intentione profitentis, standum est omninò iuris interpretationi. Secus uerò si in iure hoc non exprimatur; quia in dubio præsumendum est profitentem noluisse se ijs uinculis ligare; Sicut enim in uoto religionis non includitur obligatio perseuerādi in religione, nisi uouens habeat specialem intentionem non solum ingrediendi, sed etiam perseuerandi in religione, ut supra probatum fuit: Ita pari ratione in emissione horum uotorum non includitur obligatio uoti simplicis, nisi profitens habeat specialem de eo intentionem. Et deficiente in eo hac intentione præsumitur eum uouisse dependenter à ualore illius professionis, idest se uoluisse tantùm obligare illi religioni, ut benè docet Lessius *lib. 2. c. 41. n. 62.* & apertè colligitur ex alijs, præsertim q; ex Suar. *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 2. n. 2.* docente, si

inualidè profitens intendat ex particulari intentione aliquod uotum ualidum efficere, posse certè id consequi, licet tale uotum non fuerit ualidum tanquam aliquid professionis, sed ut aliud simplex uotum per se emissum. Et sic patet iuxta etiam hunc Doctorem desiderari peculiarem in casu nostro intentionem, quatenus profitens uinculo uoti simplicis obstringatur. Quę omnia ex statim etiam dicendis magis elucescent.

14 Ad iura à Sanchez relata respondetur, ea loqui expresse de coniugato professionem emittente absq; alterius licentia, de quo statim dicam, Et ideò non sunt ad alios casus ibi non expressos extendenda. Idemq; respondetur ad *c. consuluit*, quia loquitur de muliere habitum regularem recipiente à non habente potestatem incorporandi religioni, de qua mox dicetur. Superest, ut recẽseantur casus, in quibus professio inualida inducit obligationem in iure expressam.

16 Primus habetur *in c. non solum, & in c. constitutionem, de regular in sexto*, ubi decernitur professionem in religionibus mendicantium, emissam non expleto probationis anno non tenere quoad illam religionem, in qua emittitur, sed obligare ad statũ religiosum in ge-

16 nere, ut benè notat Glossa *in d. c. non solum, verbo, vestro esse ordini*. Secundus habetur *in d. c. constitutionem*, ubi definitur tacitam professionem per susceptionem habitus proprij professorum non expleto nouitiatus anno emissam nō tenere quoad illam religionem, in qua suscipitur habitus, sed obligare accipiẽtem habitum alicui religioni in genere. At quia per ius nouum Concilij Trident. *sess. 25. c. 15. de regular.* decernitur professionem, uel ante sexdecim annos expletos, uel ante completum integrum nouitiatus annũ emissam, esse omninò irritam, nunc dicendum est, professionem in ijs duobus casibus esse iure ecclesiastico irritam, nullamque inducere obligationem, ac si prorsus facta non fuisset.

17 Tertius casus habetur *in c. quidam, & in c. placet, de conuers. coniug.* ubi definitur, professionem coniugis absque licentia alterius emissam, esse nullam. Vnde iste inualidè professus, si reuocetur ab alio coniuge, non tenetur post eius mortem ad religionem redire, ut sentitur non obstantibus iuribus modo citatis, & confirmatum est a Panormit. *in d. c. quidam num. 4.* & Tabiena *tit. impedimentum, impedimentum 11.* & Sylvest. *matrimonium 8. quaest. 1.* ...

Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 2. num. 12.* & ab alijs, quos refert, & approbat Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 34. num.* 11. quicquid dicant nonnulli contrarium tenentes ab eodem Sanchez relati. Ve-
18 rum ex hac professione oritur obligatio voti castitatis simplicis, vt decernitur *in d. c. quidam, & c. placet*; Nec alia de hac obligatione ratio adduci potest, vt benè notat Suarez, nisi quia hæc professio non iure naturæ, sed statuto Ecclesiæ est irrita; Et ideò potuit Ecclesia irritare professionem quoad traditionem, & solemnitatem eius, non tamen quoad simplicis votum castitatis. Et notandum, hanc voti simplicis castitatis obligationem oriri ex iuris interpretatione, cui omninò standum est, nisi de cõtraria profitentis intentione constaret; quia tunc ad id votum non teneretur, vt inquit Lessius *lib. 2. c. 41. num. 25. vers. aduerte tamen*. Quod intelligendum est in foro conscientiæ, quia quoad forum exterius aliter esset dicẽdum, vt latè explicat Suarez *n. 14.* Et ideò teneretur abstinere à contrahendo matrimonio, vbi sine scãdalo, & offensione Ecclesię contrahi non posset. Et tunc dicitur, illum habuisse intentionem contrariam, quando ei constat, se non vouisse castitatem, nisi vt annexam religioni, neque aliter ad eam se obligasse, quàm si in eo
19 statu validè admitteretur. Quare in dubio in vtroque foro asseuerandum est, eum vouisse castitatem, vt benè aduertit Lessius, & in hoc præcipuè casu locum habet opinio Sanchez superius relata.

Numerari solent alij casus à Doctoribus, in quibus professionem iure canonico esse nullam, & inducere aliquam obligationem existimant. Vnus est de professione facta in manibus eius, qui non potest incorporare religioni; Nam Innocent. *in c. porrectum, n. 4. de regular.* Zabarella *in Clem. ne in agro, §. sanè il 2. num. 2. de statu Monachor.* & alij relati, & approbati à Sanchez *in pręcepta decal. lib. 5. c. 4. num. 104.* docent ex hac professione inualida oriri obliga-
20 tionem voti simplicis. Sed re vera in hoc casu non interuenit professio vera, nec expressa, nec tacita, vt dicitur à Suarez *num. 20.* & colligitur apertè ex Panormit. *in c. consuluit num. 3. post medium, qui cler. vel vouen.* vbi inquit, mulierem habitum regularem recipientem a non habente potestatem incorporandi religioni non posse iudicari professam; Et ideò addit, ex quo simpliciter mutauit habitum, videtur uoluisse in quantum in se erat uitam mutare, & ob-

ser-

seruare continentiam. Quare uoto simplici se ligauit, quod quidem uotum ad professionem ueram, aut saltem apparentem minimè pertinet. Idem dicendum de professione in manibus Episcopi emissa, quę neq; certè, neque apparenter constituit in foro Ecclesiæ statum religiosum, ut non obscurè sumitur ex Panormit. *in c. porrectum, num. 12. de regular.* quē approbat Syluest. *religio 3. q. 14.* Et est ratio, quia Episcopus facultate non gaudet admittendi ad professionem in religionibus exemptis: secus uerò dicēdum esset in religione non exempta, ut benè notāt idem Syluest. & Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. de regular. num. 62.* Ità etiam dici debet de professione in religione non approbata emissa, ut inquit Syluest. *quæst. 10.* Vndè talis professio rationem habet uoti simplicis, ut benè notat Panormit. *num. 12. in loco citato.*

21

In ijs ergo, & alijs huiusmodi casibus, ex quibus consurgit obligatio uoti simplicis, apertè constat hunc effectum professioni ueræ, uel apparenti in foro Ecclesię minimè esse attribuendum, ut latè probat Suarez *num. 18. 19. & 20.* sed pertinere ad aliud genus uoti, quod publicè emitti solet, & maximè à uirginibus extra claustra degentibus, quæ in manibus Episcopi, uel alterius Prælati, aut religiosi promittunt actu publico obseruandi castitatem, uel aliud huiusmodi uotum. Illud tamen est alta mente reponendum, quod si quis faceret præfatum actum in manibus Episcopi, uel alterius facultatem non habentis incorporandi religioni, ac etiam existimaret, se emittere ueram professionem perinde, ac si in regulam approbatam emitteret, putans recipientem auctoritate gaudere admittendi eum ad talem statum; tunc quidem talis actus diceretur professio saltem apparens in foro Ecclesiæ, quæ utique esset nulla, ac subindè nullam induceret obligationem ratione deceptionis, eo quòd profitens intendebat se obligare eo modo, quo vota sunt statui religioso annexa. Quare nullo voti simplicis nexu remaneret ligatus, nisi aliundè intentionem se obligandi habuisset, vt aliàs dictum fuit: Quod iure optimo notant Lessius *lib. 2. c. 41. num. 62.* & Suarez *num. 19. & in c. 1. num. 2. versus finem.* Et tunc præsumitur, se voluisse illi religioni duntaxat obligare, quando aliam expressam non habuit intentionem, vt scripsit Lessius.

22

Du-

DVBIVM II.

An Religiosus, cuius professio est inualida, teneatur eam ratificare.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus tenetur ratificare suam professionem, de cuius valore est dubius.*
2 *Professio potest esse irrita quoad forum tantùm conscientiæ, vel in vtroque foro.*
3 *Religiosus non tenetur suam professionem ratificare, etiam si fictè eam quoad forum exterius emiserit.*
4 *Potest fugam arripere, modò non interueniat scandalum.*
5 *Etiam si quoad forum exterius per sententiam cogatur manere in Religione.*
6 *Est probabilius fugam arripere non posse, quando nullitas professionis in foro Ecclesiæ probari potest.*
At fugiendo non est tamen Apostata, neq; excommunicatus, licèt peccet.
7 *An teneatur Religiosus omni remedio externo destitutus ratificare professionem transacto quinquennio.*
Suadetur pars affirmatiua.
8 *Concluditur non teneri, si bona fide absque dolo professionem inualidam emiserit. Immò non teneri, si culpabiliter, & dolosè non præstiterit consensum num. 11.*
9 *Quomodo se gerere debeat in recipiendo alimenta, ferendo suffragia, & acceptando Prælaturam.*
10 *Nequit frui Religionis priuilegijs.*
12 *Doctores consulunt ratificationem huius professionis.*

1 RESPONDEO præmittendum esse primò, non verti in dubium teneri religiosum ratam habere suam professionẽ, de cuius valore ipse est solùm dubius, ac subindè non est omninò certus eam fuisse inualidam; Quia quacunq; ratione de ea dubius sit, videtur obligari ad eam ratificandam, quatenus valeat conuenienter obligationem suam implere, actusq, proprios illius religionis, in

in qua viuere necessariò debet, exercere. Ità colligitur apertè ex Nauar. *lib. 3. cons. 13. n. 10. de regular in 2. edit.* & alijs relatis *disp. 13. dub. 12. in fin.* qui docent in dubio tenendū esse pro validitate professionis. Cum ergo tenendum sit pro valore professionis, sequitur teneri religiosum in hoc dubio ad ratificandam professionem.

2 Secundò, posse professionem esse inualidam. Primò, quoad forum conscientiæ solùm, & coram Deo, quia vel vitium, seu defectus eius est tàm occultus, vt nequeat probari coram Ecclesia: vel quia licèt olim fuerit probabilis, nunc tamen vel ob testium mortem, vel ob aliā huiusmodi causam probari non potest. Secundò, posse esse inualidam, & in foro conscientiæ, & etiam in foro externo, quando scilicet defectus eius in iudicio Ecclesiæ sufficienter probari potest.

3 His premissis sit prima conclusio. Cum religiosus certus est de suæ professionis nullitate, nō tenetur eam ratificare quamuis fictè, aut dolosè quoad forum exterius eam emiserit. Quę conclusio locum sibi vendicat, etiam si constet ei communi existimatione haberi pro professo, ac proinde causa huius existimationis cogi quoad forum exterius ad manendum in religione, & ad obseruandam

4 regulam. Quinimmo si nullitas professionis sit solum in foro conscientię, idest improbabilis quoad forum Ecclesię, vt dictum est in secundo notando, integrū est ei, secluso scandalo, fugam arripere, idest se transferre in partes remotas, & quemcunq; statum pro suo arbitrio sumere, dummodo ibi sine scādalo viuere possit. Nec propter hoc apostasiam, nec excommunicationem quoad forum conscientiæ incurrit. Ità colligitur apertè ex Sot. *de iust. lib. 7. q. 1. art. 2. col. 7. in fin. vers. an verò*, Nauar. *comment. 4. de regul. n. 76. vers. aduertendum quarto & n. 77. & lib. 3. cons. 89. n. 6. & 7. de regular. in 2. edit.* Henriq. *lib. 1. de matrim. c. 11. n. 3. in fine*, Rodriq. *tom. 3. q. 13. art. 17. vers. super quibus*, Emanuel Sà *tit. relig. n. 71.* Sanch. *de matrim. lib. 2. disp. 39. n. 11. lib. 4. disp. 15. n. 5. & lib. 7. disp. 37. n. 11.* Less. *lib. 2. c. 41. n. 63. & 65. vers. notandū*, Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 3. n. 9.* & alijs.

5 Intelligitur conclusio, vt possit fugam arripere etiam si per sententiam publicam cogatur in religione manere, vt intendunt DD. modò citati, & expressè docent Sanchez *lib. 2. disput. 39. num. 11.* & Suarez *in loco citato c. 2. num. 6.* quia illa sententia in falsa præsumptione est fundata, & obligat tantùm ad actus externos. Qua-

re si è monasterio causa arripiendi fugam exiret, haberetur in foro externo pro apostata, & excommunicato, & pro tali puniri posset.

Dixi in conclusione *posse fugam arripere præfatum religiosum, si nullitas professionis sit solum in foro conscientiæ*; Quia licèt ex Nauar. *in loco citato* non obscurè colligatur memoratam fugam esse quoq; licitam ei, cuius professionis nullitas probari potest in foro Ecclesiæ non adhibito remedio, quod in Tridentino *sess. 25. c 19. de regular.* præfigitur, reclamandi scilicet, & causam nullitatis coram
6 Ordinario allegandi: Nihilominus magis placet nō extendi conclusionem ad hunc casum, vt benè notat Suarez *num. 11. c. 3. vbi supra.* Quia cum religiosus publicè habeatur pro professo, & nullitatem professionis probare valeat habeatq; remedium à Tridentino præfixum, minimè ei fas est propria auctoritate relinquere habitum, & religionem, sed petere debet licentiam à Prælato Ecclesiastico iuxta ea, quæ in dicto Tridentino decernuntur. Quare si absque licentia deserit religionem grauiter peccat, quamuis labem apostasiæ; atque excommunicationis minimè incurrat, eo quòd non est propriè religiosus, & consequenter non tenetur redire ad religionem, vt benè docet idem Suarez *num. 12.*

7 At difficultas est, an transacto quinquennio teneatur religiosus ratificare professionem, si omni remedio externo destituatur, eo quòd denegatur ei audientia, aut beneficium restitutionis in integrum, quia forsan defecit in probatione ignorantiæ, aut veri impedimenti reclamandi: Et ita in hoc statu constitutus nequeat etiam fugam arripere. Videtur pro parte affirmatiua cogi ad ratificationem professionis. Primò, quia communiter reputatur verus religiosus, ac proindè tenetur obseruare in publico regulares obseruantias non quidem vi voti, sed ratione scandali, vt tenent DD. præsertim Caietanus *2. 2 q. 88. art. 1. ad finem*, Sot. *de iust. lib. 7. q. 1. art. 2. col. 7. vers. an verò*, & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 5. q. 1.* quamuis in occulto seclusa scandali occasione cesset hæc obligatio. Secundò, quia cum à monasterio alimenta percipiat: virtute priuilegiorum religionis dispensetur, & absoluatur, & forsan à confessario facultatem habente non ab Ordinario, sed solum à suo Prælato: cum suffragia in electionibus ferat, & iuxta religionis leges iudicetur; patet, cum horum omnium sit incapax, quia verè non est professus, nec nouitius in via ad professionē, teneri ad præfatam ra-

tificationem. Accedit etiam ferè impossibile esse moraliter loquendo posse huic concedi toto suæ vitæ circulo in hoc statu permanere sine multis absurdis. Ergo ne ad absurdum sequatur aliud absurdum Gloss. *in l. diuortio, verb. alioquin, ff. solut. matrim.* necessariò ratificari debet professio.

8 Nihilominus sit secunda conclusio. Præfatus in memorato statu constitutus, si absq; dolo, sed bona fide professionem inualidam emiserit, puta ante legitimam ætatem, vel ob metum non tenetur ratificare eam, etiam si per sententiam publicam cogatur manere in religione; Et est ratio, quia cum professio non sit ex sua culpa inualida, non est compellendus ad tantum onus subeundum, quod ob suam magnam perfectionem requirit spontaneum, voluntariumq; consensum. Preterea cum illa sententia sit solum ex præsumptione exteriori obligat tantum ad actus externos, non verò internos. Ità colligitur non obscurè ex Nauar. *comment. 4. de regular. num. 77. vers. super quibus, & in cons. 89. citato*; Et docetur expressius a Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 38.* Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 11. num 21.* Lessio *lib. 2. c. 41. num. 65. vers. notan*
9 *dum quartò*, & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 2. num. 6.* Quare licitum erit huic religioso, quoadusque sibi offerat occasio fugiendi, percipere alimenta à monasterio cum animo compensandi, vel tūc sua industria, uel postea; Integrum etiam erit ei, ferre in electionibus suffragia, atque prælaturam acceptare, modò abstinere nequeat ab ijs actibus sine sua graui nota, aut scandalo. Et hæc omnia ab eo gesta suo valore non carebunt ratione publicæ professionis emissæ, tituli colorati Prælati, erroris communis, & vitij occulti per *tex. l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Licitum quoq; erit huic inualidè professo suscipere sacros ordines, dummodò nequeat ab eis se retrahere absq; sua graui nota.

Dixi *absque sua graui nota*, quia, si accipiat prælaturam, vel ferat suffragium, vel suscipiat ordines, valeatq; apparenti excusatione ab ijs abstinere minimè hæsitandum est, a culpa graui non esse immunem; quia cum non sit religiosus, non potest tuta conscientia his actibus se immiscere, nisi ob bonam famam tuendam. Præte-
10 rea non poterit frui religionis priuilegijs; Et ideò a Prælato religionis petere non potest irritationem, aut dispensationē votorum; nec potest confiteri confessario non admisso ab Episcopo, seu Ordina-

dinario: nec absolui à reseruatis Episcopo, seu Pōtifici, nisi eo modo, quo absolui possunt seculares. Hinc in religione nostra, in qua confessarij non sunt ab Ordinario approbati, deberet occultè fateri religioso alterius religionis, vel præsbytero ab Episcopo exposito ad audiendas secularium confessiones. Hæc omnia colliguntur ex DD. citatis, & præsertim ex Sanchez. Et est notandum, quando adest occasio fugiendi, tunc præfatum teneri vel ad habendam ratam professionem, vel ad arripiendam fugam.

11 Ampliatur hæc conclusio ab Henriquez Sāchez *nu. 39.* Lessio, & Suarez *num. 9.* vt procedat etiam in eo, qui professionem fictè emisit, puta, quia ipsemet profitens culpabiliter non præstitit consensum. Et quamuis rationes in hoc casu sint fortiores, quàm in priori, suadeantq; hunc teneri ad ratificandam professionem: attamen cum status religiosus sit arduus, & maximi momenti nulla ratione persuaderi potest, aliquem esse adstringendum ad illum coactè suscipiendum.

12 Hic tandem est notandum. Licèt prædicta in rigore vera sint, quia tamen moraliter loquendo multum difficile est, vt memoratus permanere possit apparenter religiosus cum obligatione obseruandi regulam quoad forum Ecclesiæ, vt ex dictis apertè constat, iure optimo consulunt eum Doctores, vt priorem professionem ratam habeat. Hinc in sequentibus dubijs docetur modus professionem nullam ratificandi.

DVBIVM III.

An, & quomodo possit professio validari.

SVMMARIVM.

1 *Quare professio inualida ratificari possit.*

2 *An professio nulla solo tractu temporis validari possit, si aufertur defectus propter quem erat nulla.*

3 *An professio irrita sit ratificanda noua professione.*

4 *Ratificatio actus inualidi est nouus contractus.*

5 *Quomodo tacitè ratificetur professio aliàs nulla.*

Re-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Professio inualida ratificari potest; quia cùm eius nullitas procedat, vt plurimum ex consensus defectu, vel profitentis, vel religionis, vt in sequentibus dubijs dicetur, non vocatur in dubiũ accedente consensu eam ratificari; Quia quod ab initio ex defectu consensus non valet, superueniente eodẽ consensu conualidatur per tex. *l. qui soluendo, ff. de hæred. instit. & l. fin. C. de pact.* & ibi Bald. *col. pen. in fine n. 22.* Salic. *num. 10.* & Cagn. *num. 65.* Gozad. *cons. 98. num. 11.* & alij relati in addit. *ad decis. 351. Seraph.* Ità etiam docet Aret. *in l. si quis, mihi bona, §. iussum ff. de acquir. hæred.* & inter alios Decius *cons. 364. n. 4. vers. quod dato.* Et dictum fuit à Rota *decis. 351. n. 4. coram Seraph.*
2 *& decis. 63. n. 3. p. 2. in recent.* Hoc tamen est notandum, solo tractu temporis nunquam confirmari posse, etiam si ablatus sit defectus, cuius causa erat irrita: vt si defectus esset quoad ętatẽ debitam 16 annorum; nam superueniente illa ętate, & perseuerante homine in eodẽ statu, non ideò propter hoc fit rata professio; quia quod ab initio non valet, tractu temporis cõualescere nequit *l. quod ab initio, ff. de reg. iur. l. si tibi decem, §. si pactus, ff. de pactis, c. non confirmatur, de reg. iur. in sexto* Glossa *in d. l. si tibi decem, verbo proderit Titius in fine,* & Rota *decis. 229. num. 2. coram Seraph.* Necessarium est ergo, vt de priori defectu, & nullitate constet ei, qui talem professionẽ ratam habere vult, & intendat nouo consensu eam ex tunc efficacẽ, & firmam esse. Et ideò quandiù quis ignorat priorem professionẽ fuisse nullam, quamuis eam sępe ratificet, hac tamen ratificatione non resumit vires, vt benè docent Caiet. *2. 2. q. vlt. art. 5.* Nauar. *c. 12. n. 71. & in comment. 4. de regular. n. 74. vers. aduertendum quartò in fine, & in consilijs in pluribus locis* Graff. *p. 1. decis. lib. 3. c. 5. n. 22.* Sorb. *tit. nouitius, de nouitiorum professione, vers. quartò tenendum,* & alij.

3 Secunda conclusio. Quando dicitur ratificari posse professionẽ inualidam, hoc intelligẽdum est, vt in simili aduertit Panormit. *in c. ad id n. 1. fin. de spons.* approbatus à Rot. *decis. 395. n. 8. coram Greg. XV.* vt scilicet ratificari possit ex nũc, non vt ex tũc, idest alia noua professione rata vel expressa, vel tacita reconualescere debet, vt benè explicat Suar. *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 1. n. 3.* Et est ratio, quia professio illa, quę fuit inualida nequit esse valida; id enim fieri nõ potest, cũ prior non processerit, nec iam procedere possit ex consensu efficaci ad inducendam obligationem, quatenus professio sit valida.

4 Ra-

4 Ratificari igitur debet professio inualida alia noua; quia ratificatio actus inualidi nihil aliud est, quàm nouus actus *l. asse toto, ff. de hared. instit. l. obuenire solet, ff. de verbor. significat.* Socin. *cons. 92. num. 11. lib. 3.* Menoch. *cons. 80. num. 66.* Rota *decis. 395. num. 10. coram Greg. XV.* Quæ quidem ratificatio fieri potest expressè, vel tacitè. Et quia ratificatio expressa est clara, nihil de ea est dicen-
5 dum. Tacita verò tunc consurgit, vt colligitur ex Suarez *num. 5. 6. & 7.* quando ablato defectu sciens religiosus suam professionem fuisse irritam exprimit aliquo externo actu significationem consensus, quem ipse in interiori præstat, volens suam priorem professionem ex tunc esse firmam, & efficacem; puta si religiosus perseuerarct in religione sub obedientia Prælatorum viuendo ea regulari disciplina, qua cæteri professi viuerent. Quinimmò perseuerans religiosus, vt dictum est in religione vltra quinquennium absque animo confirmandi professionem, quamuis nō sit tacitè professus: nihilominus cum Trident. *sess. 25. c. 19. de regular.* decernat, eum non esse amplius audiendum, si reclamaret, causamq; inualidæ professionis allegaret, præsumitur ab eodem Concilio priorem professionem ratificatam fuisse ab eo, ac proindè esse tacitè professum. Quod etiam dictum fuit à Rota *in vna Vlyxbonen. professionis 10. Decemb. 1621. coram R. P. D. Merlino.*

DVBIVM IV.

An ad ratificationem professionis irritæ necessaria sit noua acceptatio, aut consensus ex parte Religionis.

SVMMARIVM.

1 *Qui defectus irritent solius profitentis consensum: Et qui profitentis, & Religionis.*

2 *Ex quibus de duobus dictis sit defectus ætatis.*

3 *An ad ratificationem professionis inualidæ ex defectu irritante solum consensum profitentis requiratur nouus Religionis consensus.*

An in ratificatione Matrimonij claudicantis defectu consensus alterius con-

coniugis satis sit, vt ille, qui minimè consensit, denuò consentiat.

4 *An ad ratificationem professionis inualida ex defectu irritante vtriusque partis consensum requiratur nouus consensus Religionis. Duplex opinio.*

Priorem approbat Auctor num. seq.

An idem iuris sit de Matrimonio carnali.

6 *Quomodo ratificanda professio nulla ex occulto defectu, vt euitetur infamia nota.*

1 RESPONDEO, prænotandum esse, defectus irritantes consensum ad valorem professionis necessarium esse in duplici differentia. Alij enim irritant solum profitentis consensum; vt si professio emittatur ob metum in virum constantem cadétem; aut si profitens fictè sine consensu interiori profiteretur. Alij verò irritant consensum tàm profitentis, quàm religionis; vt si quis admitteretur ad professionem nō expleto probationis anno; Quia cum nouitiatus in fauorē vtriusque partis introductus sit *c. cum ad monasterium, de regular.* & cum decernatur in Trident. *sess. 25. c. 15. de regular.* ob talem defectum irritari professionem, nulli dubium est, irritari in hoc casu vtriusq; partis voluntatem. Idem dicendum est de huiusmodi defectibus, quibus vel in perpetuum, vel

2 ad tempus redditur homo inhabilis ad profitendum. Connumeratur etiam inter hos defectus à Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 62.* si professio ante decimum sextum annum cōpletum emittatur. At magis placet sententia Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 1. num. 17.* sustinentis hoc impedimento irritari solum consensum ex parte profitentis. Concordat cum Suarez Rodriquez *tom. 3. q. 17. art. 3. post medium.* Et probatur, quia regula generalis est, quando irritatio respicit tantum defectum libertatis, vel sufficientis libertatis ad libere nubendum ex parte religiosi, tunc solum irritat consensum eius. Quod manifestè patet in metu, & idem planè est in defectu ætatis, eo quod hoc tempus sexdecim annorum præfixum est à Tridentino in fauorem ipsius religiosi, & ad subueniendum imbecillitati eius: Ergo non irritat consensum ex parte religionis.

3 His præmissis sit prima conclusio. Ad ratificationem professionis inualidæ ex defectu profitentis solum modo consensum irri-

tante non cẽsetur necessariũ noua receptio, aut consensus ex parte religionis, sed sufficit prior, quẽ ipsa religio iam præstitit in emissa professione irrita. Ità Rodriquez *vbi supra*, Sanchez *in loco citato num. 60.* Emanuel Sà *tit. religio num. 23.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 41. num. 67.* & Suarez *num. 16.* Possunt etiam citari pro hac parte alij, & præsertim Nauar. *lib. 3. cons. 27. num. 2. de regular. in secunda edit.* & Graffius *p. 1. decis. lib. 3. c. 5. n. 24.* qui loquentes de eo, qui ante decimum sextum annum emisit professionem, docent, in ratificatione huius professionis non esse necessarium ex parte religionis consensum.

Probatur conclusio, quia consensus religionis dicitur moraliter permanere, vndè contractus professionis claudicabat duntaxat ex parte religiosi. Accedente ergo eiusdem religiosi consensu sufficiente, & permanente in suo valore religionis consensu patet, ad habendam ratam professionem non desiderari nouam receptionẽ, seu monasterij consensum; quia etiam in ratificatione matrimonij claudicantis defectu consensus alterius cõiugis satis est, vt ille, qui minus legitimè consensit, denuò consentiat, vt docent D. Thom. *4. dist. 29. q. vnica, art. 3. quæstiuncula 2. ad secundum*, D. Bonauent. *ibi q. 2. num. 13.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 1. ad medium*, Nauar. *c. 22. num. 31. in fine*, & alij quamplures, quos refert, & approbat Sãchez *lib. 2. de matrim. disput. 32. num. 9.* Intelligitur conclusio, dummodo religio tempore inualidæ professionis non reuocauerit expressè priorem receptionem, aut consensum; Et ideò dixi permanente in suo valore religionis consensu non esse necessariũ nouum consensum.

4 Quoad defectus utriusq; partis cõsensum irritantes controuertitur inter Doctores; an requiratur nouus religionis consensus. Partem affirmatiuam sustinent Rodriquez *tom. 3. q. 27. art. 3.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. q. 7.* & Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 1. à num. 20.* & eam existimat tutiorem, & probabiliorem Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 37. num. 63. & 64.* Tenet etiam hanc opinionem Nauar *lib. 3. cons. 26. num. 18. de regular. in 2. edit.* qui loquendo præcisè de professione irrita ex defectu consensum utriusque partis irritãte, dicit, necessariò requiri ad eius ratificationem utrunq; consensum.

Probatur hæc pars hac potissima ratione; nam quemadmodum

ad

ad ratificandum matrimonium carnale inualidum ob defectum vtriusq; partis consensum irritantem necesse est, vt accedat nouus vtriusq; partis consensus, vt astruũt communiter Doctores, prout videri potest apud Sanchez *lib 2. de matrim. disp. 35. num. 2.* Ità eodem prorsus modo ad ratificandum matrimonium spirituale inualidum ex defectu irritante consensum vtriusq; partis, vterq; consensus renouari debet: quia durare nõ potest consensus religionis, qui nullus omninò fuit. Et in hoc est discrimen inter hunc casum, & præcedentem. In illo consensus religionis iam prestitus fuit legitimus, & sufficiens; Et ideò virtus illius influit in actum quotiescunq; ex parte religiosi applicatur consensus legitimus. In præsenti vero casu præcedens consensus religionis fuit inualidus, & inefficax; Hinc est, vi illius nihil posse validè postea fieri.

Partem negatiuam tenent Lessius *de iust lib 2. c. 41. num. 67.* & Zanardus *in direct. Theolog. p. 1. c. 25. n. 12. vers. 2. vt tunc.* Eamq; tanquam probabilem, & in praxi tutam latè sustinet Sãchez *n. 64.* Tenet etiam hanc opinionem Syluest. *tit religio 5. q. 2. in fine*, docens professionem emissam à furioso tempore furoris posse abeunte furia ratificari per eum absq; religionis consensu, quando conuentus furiam ignorauit. Potest etiam pro ea citari Sorbus *tit. nouitius, de nouitiorum professione, vers. quartò notandum*, docẽs professionẽ inualidam instaurari, si professus nullitatis professionis conscius eam ratam habeat.

Probatur hęc pars; nam licèt ob inualidũ monasterij consensum necessaria dijudicetur noua receptio cum sciẽtia defectus prioris professionis, suppletur tamẽ huic defectui à Summo Pontifice, qui cum sit omnium religionum supremus Pręlatus acceptat hãc professionem per solam ipsius professi ratificationem. Ita sumitur *ex c. 1. de regular. in sexto, & ex c. significatum, de regular.* vbi definiunt Pontifices professionem defectu legitimę ætatis irritam conualescere per ipsius professi ratificationem. Pręterea cum Tridentinũ *sess. 25. c. 19 de regular.* loquens de professione ex defectu ætatis, vel ex quauis alia causa irrita præsumat silentio quinquennij ratificari professionem, *& in c. 2. de regular.* præsumitur ratificari silentio vnius anni; patet ad ratificationem professionis inualidæ ob quodcunq; impedimentum, seu defectum non desiderari ex parte religionis nouam receptionem, aut consensum.

5 Sit ergo secunda conclusio. Quamuis hęc posterior pars sit probabilis, atq; in praxi tuta, maximè quando defectus inualidæ professionis est occultus: Nihilominus quia prior opinio est probabilior dicendum est, in ratificatione huius professionis necessariam esse nouam receptionem. Idcircò quando uitium professionis est occultum, ne professio cum infamiæ nota ratificetur, potest religiosus, ut notat Sanchez *num. 57.* in sacramento pœnitentiæ defectum superiori detegere, simulque petere, ut eum denuo accepter. Et si accedere debeat quoq; assensus conuentus, potest Prælatus tacito profitentis nomine declarare collegio Fratrum nullitatem prioris professionis, & postea petere eorum suffragia. Si uerò censeretur, hanc rem non esse in capitulo proponendam, impetrari potest à Pontifice dispensatio.

DVBIVM V.

An in ratificatione professionis inualidæ annus probationis iterari necessariò debeat.

SVMMARIVM.

1 *An iterandus annus nouitiatus, quando iam validus præcessit professionem nullam.*

2 *Item an iterandus in ratificatione professionis inualidæ ex defectu consensus.*

Item an ex defectu libertatis.

3 *An iterandus totus annus, quando professio fuit emissa non completo probationis anno.*

4 *An iterandus, si emittatur professio non completo 16. anno.*

5 *An nouitiatus inualidus sit iterādus in ratificatione professionis inualidæ.*

Duplex opinio. Auctor probabiliorem existimat posteriorem num. 6. Priorem verò tutiorem num. 8.

An de iure antiquo esset necessarius annus probationis.

Iura iuribus concordandà, & eorum correctio vitanda.

7 *Varij casus, in quibus non est iterandus nouitiatus inualidus in ratificatione professionis inualidæ.*

8 *Quæ causa seruanda in iteratione nouitiatus inualidi ex defectu occulto.*

Re-

1 RESPONDEO triplici conclusione. Prima. Perspicuum est, quotiescunq; professioni irritę antecesserit integer annus nouitiatus validus, minimè eum esse iterandum, vt benè docent Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 37 num. 45. & 49.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 1. num. 8.* & Lessius *lib. 2. c. 41. num. 66.* Quare in hoc casu potest religiosus statim cognita suæ professionis nullitate eã, vel expresè, vel tacitè ratam habere.

2 Ex hac conclusione infertur, non esse iterandum nouitiatus annum in ratificatione professionis inualidæ ex defectu consensus, quia fictè emissa fuit. Idem dicendum, quando emissa fuit ratione metus, vt bene inquit Sanchez *num. 51.* Quia verè religio consensit receptioni; & nouitius habuit voluntatem ingrediendi ad experiendum, licèt coactus, nec ius canonicum irritat hũc nouitiatum, sed solam professionem. Quod est contra Nauar. *lib. 3. cons.*
3 *89. num. 5. de regular. in 2. edit.* Idem dicendum, si emissa fuerit professio non expleto probationis anno; sufficit enim ad ratificationem complere tempus, quod deerat illi anno, vt notat Sanchez
4 *num. 50.* Quod est contra Nauar. *in loco citato.* Idem dicendum, si emittatur professio non completo decimo sexto anno, dummodo nouitiatus inceptus fuerit post annos pubertatis, idest post quartum decimum annũ; quia talis nouitiatus est validus, quamuis compleatur ante decimum sextum annum, vt visum est suo loco.

5 At si nouitiatus fuerit inualidus, controuertitur inter DD. an sit iterandus. Partem affirmatiuam sustinent Nauar. *lib. 3. cons. 26. n. 17. & 19. de regular. in 2. edit.* Rodriq *p. 2. sum. c. 5. n. 2.* & Suárez *in loco citato.* Quorum ratio est, quia quod nullũ in se est, nullum iuris effectũ operari potest. Cum ergo Trident. *sess. 25. c. 15. de regul.* petat ad valorem professionis annum nouitiatus, patet, cũ nouitiatus iam factus sit inualidus, & ad præteritum non sit potentia, iterandum esse necessariò hunc probationis annum. Partem negatiuam tuetur Sanchez *num. 47.* quem sequitur Lessius, & ducitur, quia nouitiatus non requiritur, nisi vt ingressurus experiatur austeritates religionis, & religio ipsius mores, vt habetur *c. ad apostolicam, de regular.* Cum ergo hoc fieri possit, etiam si nouitiatus sit inualidus, patet, eum non esse iterandum. Præterea iuxta ius antiquum huic ratificationi non est necessarius nouus probationis

annus, vt constat ex *c. cum virum, c. significatum, de regular. & ex c. 1. eod. tit. in sexto.* Cũ ergo iura iuribus concordare oporteat, & quanto minus fieri potest, eorum correctio est inducenda *l. vnica, C. de inoffic. dotibus, & c. cum expediant, de elect. in sexto*, patet non esse repetendum nouitiatum.

6 Sit ergo secunda conclusio. Quamuis probabilis sit prior opinio; nihilominus, quia probabiliorem censeo posteriorem, dicendum est non esse iterandum nouitiatum, etiam si publica esset nullitas professionis, & nouitiatus ob professi inhabilitatem, vt benè notat idem Sanchez *num. 48.*

7 Ex hac conclusione infertur, quando professio est irrita ob perpetuam profitentis inhabilitatem, ad ratificandum eam, post obtentam inhabilitatis dispensationem, necessarium non esse iterare nouitiatum, sed statim ratificari posse accedente consensu vtriusq; partis, vel solum ipsius profitentis, quando religio inhabilitatem ignorabat. Idem dicendum, quando ratificanda est professio fictè emissa, cui etiam nouitiatus fictè factus antecessit, vt si quis ingrederetur religionem non animo experiendi, sed illudendi eam.

8 At quia tutius est amplecti priorem opinionem, sit tertia conclusio. Si nouitiatus fuerit inualidus, ad ratificationem professionis inualidæ præcedere debet noua acceptatio, & nouus annus probationis. Et quia in fine superioris dubij traditur cautela in noua receptione adhibenda, si defectus probationis maneat occultus, eadem cautione vti potest religiosus quoad nouitiatus iterationem; Et ideò in sacramento pœnitentiæ petere potest suo superiori, vt eum ad nouitiatum peragendum inter professos admittat. Et est notandum, non debere Prælatum, vt meritò inquit Suarez *num. 34.* esse illi religioso nimis onerosum, cogentem eum scrupulosè ad omnia nouitiorum experimenta: sed potest benignius agere, & dissimulare, immò contentum esse vita aliorum religiosorum, maximè vbi fraus, aut dolus non interuenit. Potest etiam talis religiosus à Pontifice impetrare secretò dispensationem, qua huius probationis anno suppleatur.

Du-

DVBIVM VI.

An in ratificatione professionis repetendæ sint cœremoniæ solemnes à Regula, vel statutis præscriptæ.

SVMMARIVM.

1 *An in ratificatione Matrimonij alias inualidi sint repetendæ solemnitates requisitæ ex dispositione Tridentini.*

2 *In ratificatione professionis nulla cæremonia solemnis repetenda.*

1 RESPONDEO à sacra Rota *decis. 900. coram Seraph.* loquente de ratificatione matrimonij dictum fuisse. Si matrimonium sit nullum propter impedimentum occultum, & partes postea in matrimonio ità contracto permanere consentiant, ex stylo pœnitentiariæ Papa solet dispensare, ità vt de nouo possit contrahi non repetitis solemnitatibus à Tridentino requisitis. Si verò impedimentum sit manifestum, iterum contrahendum est repetitis prædictis solemnitatibus: & refertur ibi, sic respondisse sa-
2 cram Congregationem *sess. 24. c. 1. de reformat.* Idem dicendum esset quoad ratificationem matrimonij spiritualis: Nihilominus Doctores mitius se habent, concedendo in nullo casu esse repetendas prædictas solemnes cœremonias. Ità colligitur ex Nauarro *lib. 3. cons. 27. num. 2. de regular.* & docetur expressè ab Azorio *p. 1. lib. 12. c. 4. quæst. 7.* & Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 37. num. 60.*

DVBIVM VII.

An per Religiosum tacitè professum compelli possit Religio, vt eum ad expressam emittat professionem; Et è contra an per Religionem cogi possit tacitè professus ad expressam professionem emittendam.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus tacitè professus habet ius compellendi Religionem, vt ad expressam professionem admittatur.*

2 *An non expressè professus possit eligi in Abbatem, vel Prælatum.*

3 *An habeat vocem actiuam.*

4 *An tacitè professus compelli possit ad expressam professionem emittendam.*

5 *Regula Minorum requirit professionem expressam.*

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Quoad priorem dubij partem dico, professum tacitè compellere posse religionem, in qua est tacitè professus, vt eum ad professionem expressam admittat. Ità allegato Ioan-Andr. *in Addit Spec. in tit. de sen. & re iud.* tradit Panormit. *in c. cum causam num. 7. & 8. de elect.* Quod probatur, nam sicuti ipse tacitè professus religioni est obligatus, ità religio est ei obligata; quæ quidem obligatio in vtraque parte orta est ex professione tacita; Vndè per eam talis tacitè professus ius monachatus acquisiuit, ac proindè religionem deserere

2 nequit: Ergo. Præterea quia eiusdem religiosi multum interest expressè profiteri, eo quòd nisi sit expressè professus eligi nequit in Abbatem, seu Prælatum, vt iura decernunt *c. nullus c. indemnitatibus, de elect. in sexto, Clem. ne in agro, §. cæterum prioratus, de statu monachor.* Quod confirmatũ est à Glossa *in d. c. nullus, verbo nullus religiosus, & in d. Clem. verbo expressè,* Panormit. *in d. c. cum causam, n. 6.* Gem in. *in d. c. nullus num. 1. & 6.* Franch. *in c. ex eo, num. 1. de elect.* & dictum fuit à Rota *decis. 647. num. 1. coram Card. Seraph.* Et hæc pro-

procedunt etiam in moniali tacitè professa, quę eligi nequit in Abbatissam, aut Priorissam, nisi sit expressè professa per tex. & Glos.
3 *in d.c. indemnitatibus*; Quamuis ij omnes tacitè professi habeant in horum superiorum electionibus vocem actiuam, idest eligere possint, vt loquitur expressè text. *in d.c. indemnitatibus*, & cõfirmatum est à Glossa *in d c. nullus, verbo eligatur, & in d.c. indemnitatibus*, Geminiano, & Franch. *in locis modò citatis*.
4 Secunda conclusio. Quoad posteriorem dubij partem dico, per religionis superiorem cogi posse tacitè professum ad expressam professionem emittendam, maximè si per quinquennium perseuerauerit in religione in habitu professorum, & sub obedientia Prælatorum, vt supponitur, nec iuxta Trident. *sess. 25. c. 19. de regular.* reclamauerit, cum reclamare potuerit. Ità docet Panormit. *in d. c. cum causam, num. 7. de elect.* Quod probari potest ratione in superiori conclusione habita, nempè dum religio ius in hunc religiosum vi professionis tacitæ habet, potest etiam eum compellere ad expressam professionem emittendam. Hæc tamen conclusio non procedit nisi in eo, qui est tacitè professus in religione, in qua Regula, seu Cõstitutio disponit fieri debere professionem expressam. Ità colligitur ex eodem Panormit. Vndè tacitè professus in alijs religionibus, vbi Regula, aut Constitutio hoc non disponit, non est cogendus ad hanc professionem expressam faciendam, vt ijs verbis declarauit sacra Cardinalium Congregatio; *Moniales, quæ eius Ordinis sunt, qui requirit professionem, si tacitam professionem emiserint, & si palam, & expressè id faciendum non fuit, cogendæ non sunt, vt expressè profiteantur; Etenim singula monasteria liberum habent tacitè, vel expressè profitendi*.
5 Ex hac conclusione infertur, in Religione Minorum cogi posse tacitè professum ad emittẽdam professionem expressam; eo quòd cum text. reg. *c. 2.* dicat, vt expleto probationis anno recipiãtur nouitij ad obedientiam promittẽtes vitam istam semper, & regulam obseruare, apertè disponit, à professoribus huius regulæ emittendam esse professionem expressam. Immò omnia quæ ponuntur in regula ad formam habitus tàm nouitiorum, quàm etiam professorum, nec non ad receptionis modum, ac professionem spectantia omnia sunt à Fratribus tanquam obligatoria obseruanda, ut decernitur *in Clem. exiui, §. item quia, vers. item quod omnia, ac ver-*
bor.

ber. signif. Quod confirmant Corduba *c. 2. q. 11. p. 2.* Politius *c. 2. num. 74.* & alij. Quae illatio locum sibi vendicat praecipuè in nostra religione, in qua omnes iuxta regulae dispositionem emittunt expressam professionem, nec consuetudine introductum est, quemquam religioni obligari mediante solùm professione tacita.

DVBIVM VIII.

An Religiosus, qui suam professionem inualidam ratificauit, retinere valeat locum prioris professionis.

SVMMARIVM.

1 *Sensus quaestionis.*
2 *Quando professio irrita incipiat esse valida.*
In ratificatione actus nulli consideratur tempus ratificationis.
3 *An Religiosus ratificans professionem inualidam retinere possit etiam in damnum tertij ea, quae per eandem acquisierat.*

1 RESPONDEO, praenotandum esse, non verti in dubium, an post ratificatam professionem incipiat tūc religiosus gaudere loco antiquitatis, & alijs religionis priuilegijs; quia hoc est omninò certum, atq; locum habet nedum in ratificatione expressa, sed etiam tacita; Professio enim tacita eundem valorem, & omnes effectus habet, quibus gaudet expressa, eo quòd constituit hominem verè, & propriè religiosum tribus votis solemnibus obligatum, vt expressè colligitur *ex c. vnico, de voto in sexto.* Immò obligat illi religioni in specie, vbi emissa fuit *c. ex parte, de regular. c. 1. eodem tit. in sexto, Clem. eos, de regular.* Rodriquez *tom. 3. q. 17. art. 1.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 4. in pluribus locis*, & Giouagn. *resp. 39. in fine lib. 2.* Haec solum differentia reperitur inter professionem expressam, & tacitam, quod tacitè professus eligi nequit in praelatum, vt visum est in superiori dubio. Petitur ergo in dubio nostro, an religiosus retinere possit locum, quem vigore inualidae professionis obtinuit.

Hoc

2 Hoc præmisso sit conclusio. Quamuis professio irrita non incipiat esse valida nisi à tempore ratificationis, & non antea, vt notat Nauar. *lib. 3. consf. 27. num. 3. de regular. in 2. edit.* & sumitur ex *c. veniens, de eo qui duxit in matrim. iuncta Glossa*; Quia in ratificatione actus nullius consideratur tempus ratificationis, vt allegato Surd. *decis. 241. num. 70.* dixit Rota *decis. 395. num. 9. coram Gregorij XV.* & confirmatur per alios relatos, & approbatos

3 ibi à Beltramino *num. 16.* Nihilominus iuxta eundem Nauar. quem sequitur Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 1. num. 34. ad finem*, si religiosus bona fide putauerit priorem professionem fuisse validam, & superueniente mala fide eam ratificauerit, meritò gaudere debet loco, quem ab initio accepit. Idem docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 37. num. 68.* etiam si mala fides intercesserit; Quia occupare priorē locum est res in se considerata parui momenti; Et hoc præcipuè procedit existente occulto defectu. Si verò ratione huius antiquitatis aliquid huic religioso competat, quod in præiudicium alicuius momenti, vel aliorum religiosorum, vel monasterij cedat, illud retinere nequit, nisi accedat dispensatio, quæ secretò procuranda est, & interim dum procuratur, debet ab eodem actu abstinere: secus verò si id fieri non potest absque eius nota: Et idem dicendum, si tunc dispensatio commodè procurari nequeat, vt benè vtrumque docet Sanchez. Si verò defectus inualidæ professionis erat notorius, censeo necessariam esse dispensationem nedum in rebus alicuius momenti, sed etiam in ijs, quæ parui præiudicij existimantur, vt sedere in priori loco, vel prius ferre suffragium, vel in alijs huiusmodi rebus. Quare Suarez meritò inquit, si bona fides intercesserit, valdè rationi consentaneum esse, vt Prælati facilè concedant ei, qui ratificat professionem, locum antiquitatis, quem acquisiuit.

DISPVTATIO QVINTADECIMA.

IN HAC DISPVTATIONE ENVCLEANDVM EST, quando Religiosus possit licitè de vna ad aliam Religionem transire.

DVBIVM PRIMVM.

An iure communi concedatur Religiosis transitus ad perfectiorem, seu ad arctiorem Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Transitus de vna ad aliam Religionem non laudatur.*
2 *Potest tamen fieri triplici ex causa.*
3 *Refertur opinio sustinentium fieri posse transitum iure communi ad Religionem perfectiorem, non verò strictiorem.*
4 *Enumerantur transitus, qui iuxta nonnullos fieri possunt in Religiones peculiares.*
5 *Probabilior opinio est concedi à iure communi transitum ad arctiorem, non verò ad perfectiorem.*
6 *Dummodò Religio arctior non sit relaxata.*
7 *Non sit transitus à Mendicantibus ad Religiones Monasticas excepta Chartusiana.*
8 *Transitus iure communi concessus non derogatur per Bullam Pij Quinti.*

1 RESPONDEO prænotandum esse, altaq; mente retinendum non esse laudabile de vna ad aliam religionem transire; Et ideò qui transit inconstans dicitur, vt plenè demonstrat Ioan. Andr. *in c. licèt num. 2.* Ioan. de Annan. *num. 4.* Anchar. *num. 7* Zabarel. *num. 10. de regular.* Concordat cum ijs Doctoribus D. Thom. *2.2.q. vlt. art. 8.* communiter rece-

ptus

ptus dicens non esse laudabile de vna ad aliam religionem transire nisi propter magnam vtilitatem, vel necessitatem. Quod idem Sanctus probat, tum quia ex hoc plerunq; scandalizantur illi, qui relinquuntur: tùm etiam quia cæteris paribus facilius quis proficit in religione, quam expertus est, quàm in alia. Idque auctoritate Abbatis Nestorij confirmat, qui, vt habetur *in collat. patrum coll. 14. c. 5. in princ.* inquit; Vnicuiq; vtile esse secundum propositum, quod elegit, vt summo studio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire festinet, & nequaquam à sua, quam semel elegit, professione discedat. Impossibile namq; est, vnum, & eundem hominem simul vniuersis fulciri virtutibus, quas si quis voluerit pariter attentare, in id incidere eum necesse est, vt dum omnem se-
2 quitur, nullam integrè consequatur. Potest tamen quis iuxta eundem D. Thomam triplici ex causa laudabiliter transire ad aliam religionem. Prima, ex zelo perfectionis religionis. Secunda, propter declinationem alicuius religionis à debita perfectione. Tertia, propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum prouenit, vt nequeat quis arctioris religionis regulas, seu statuta obseruare, & tamen laxioris religionis obseruantias seruare poterit.

His præmissis quoad dubium nostrum duplex est sententia.
3 Prior sustinet vigore iuris communis concedi religiosis transitum de vna ad aliam religionem perfectiorem, non verò strictiorem. Ità colligitur non obscurè ex D. Thoma *vbi supra*, quem sequuntur Palud. *4. dist. 38. q. 2. num. 17. & q. 3. art.* 1. *num. 11.* D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 4. in prin. vers. potest tamen, &* §. 4. Syluest. *tit. religio 4. q. 1. notab. 3. q. 2. in fine, & q. 8.* Nauar. *comment. 4 num. 2. de regular. qui citat Turrecrem. in can.* 1. 19. *q. 3.* & alij. Et idem Sanctus Thomas *2. 2. q. 188. art. 6.* communiter à Theologis receptus docet, perfectionem religionis attēdendam esse ex parte finis, ad quem religio ordinatur, & ex proportione mediorum, quæ ad illum obtinen-
4 dum apponit. Hinc Paludan. *in citata dist 38. q. 3. art. 1. num. 11.* D. Anton. §. 4. & Syluest. *religio 4. q. 6.* ex sacra Prædicatorum Religione existimant, omnes religiosos, & etiam Carthusianos ad suam religionem in obseruantia viuentem transire posse. Quorum ratio est, quia ea religio instituta est principaliter ad prædicandum, & docendum ob salutem animarum, & hic est altissimus om-

Kkk 2 nium

nium finis, & ad quem schola Christi Saluatoris nostri instituta est, & ad quem munus Episcoporum dirigitur. Diuus quoque Bonauentura *in exposit. reg. c. 2. & in qq. super reg. quæst. 12. & 13.* B. F. Hugo *cap. 2.* Pisanus *cap. 2.* Corduba *in introduct. quæst. 2. per totam*, Politius *prælud. 1.* Miranda *in Manual. Prælatorum tom. 1. quæst. 31. art. 10. concl. 2.* & alij regulæ nostræ Expositores latè sustinent, regulam nostram alias, vel perfectione, vel austeritate antecellere, ac proinde integrum esse cuicunque religioso ad eam transire. Et Nauar. *lib. 3. cons. 53. in 2. edit. de regular.* tenet Fratri Minori tutum esse transire ad Carthusianam, & Carthusiano transire ad religionem Minorum saltem quoad forum conscientiæ, dummodò hic transitus fiat ratione boni zeli, & causa melius seruiendi Deo, neque interueniat scandalum, aut infamia prioris religionis. Lessius etiam *lib. 2. cap. 41. dubit. 13. num. 100. vers. simili modo*, inquit, probabilem esse, sicut Mendicantes ad Carthusianos, ità vicissim Carthusianos ad Mendicantes transire posse. Hæc sententia communiter censetur valdè probabilis.

5 Posterior opinio, quæ probabilior est, docet, iura permittere transitum non respectu maioris, seu melioris religionis, sed causa arctioris vitæ; Vndè estò secunda religio sit perfectior, & fructuosior respectu finis, tamen si non viuitur ibi strictius, non videtur licitus transitus. Ità colligitur non obscurè ex *c. licet, de regular.* & clarius deciditur in Concil. Tribulien. relato *in can. 1. 20. quæst. 4.* vbi dicitur *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreuerint, Synodus concedit.* Quod confirmatur, nam cum religio asperior, videatur tutior, patet Ecclesiam hunc transitum ob tutiorem vitæ rationem concedendo, non finem, sed austeritatem religionis aspicere. Ita sustinent Ioan. Andr. *in c. sanè num. 8. de regular.* & ibi Antonius *num. 7.* Ancharan. *num. 6.* Panormitan. *in fine*, Rosella *tit. religio 4. num. 8.* Angelus *religiosus num. 35. circa medium*, Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. quæst. 2. vers. at verò*, Sotbus *tit. apostata, vers. aduertendum est*, Rodriquez *tom. 3. quæst. 52. art. 4.* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 13. num. 100.* Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7. num. 21.* Reginaldus *lib. 18. c. 29. num. 414.* & alij, & præsertim Gioua gnon.

respons. 39. *lib.* 2. qui testatur, hanc esse communem opinionem Canonistarum.

6 Intelligitur hæc posterior opinio, primò, vt hæc secunda religio arctior non sit relaxata ab austeritate, in qua olim instituta fuit; quia in hoc transitu non est attendenda institutio regulæ, sed præsens obseruantia; Vndè non est licitus transitus, nisi religio secunda quoad præsentem obseruantiam sit austerior, & strictior. Ità Ioan. Andr. Panormitan. & ferè omnes Doctores modò citati, & alij, quos congerit Sanchez *num.* 24. Nec refert, hanc austeritatem non obseruari ratione regulæ, sed constitutionum, quia sufficit asperiorem esse viuendi modum huius secundæ religionis, quamuis talis modus non præscribatur à regula, sed adiectus sit à Constitutionibus. Ità Ioan. Andr. Panormit. & alij.

7 Secundò, vt non fiat transitus à Mendicantibus ad religiones monasticas excepta Carthusiana, etiam si monastica esset asperior; quia in iure talis transitus inhibetur per *Extrauag. viam ambitiosæ*, vt dicetur infrà *dub.* 5.

8 Notandum tandem, præfatum transitum iure communi religiosis concessum non esse derogatum per motum proprium Pij Quinti, qui incipit *Quæcunque sacrarum*, vbi statuitur non posse recipi, nec retineri ab vlla religione Fratres alterius ordinis, sed remitti debere ad proprios ordines; Nam, vt benè inquit Nauar. *lib.* 3 *consil.* 88. *num.* 1. *de regular. in* 2. *edit.* Pontifex non iubet translatos debitè vi iuris communis redire debere ad primam religionem, sed tantum translatos virtute facultatum, & priuilegiorum particularium concessorum à Sede Apostolica speciatim contra ius commune aliquibus Monasterijs, vel Religionibus, vt possint recipere apostatas, vel aliquos aliarum religionum, & confirmatum est etiam à Rodriquez *tom.* 3. *quæst.* 52. *art.* 8. & Miranda *in Manual. Prælatorum tom.* 1. *quæst.* 31. *art.* 7. *conclus.* 1.

Du-

DVBIVM II.

Quibus conditionibus fieri debeat transitus ad Religionem strictiorem.

SVMMARIVM.

1 Tres conditiones requirūtur, quatenus licitus sit transitus ad arctiorem.
2 Ex temeritate, aut leuitate factus est illicitus.
Quando præsumatur fieri ex temeritate.
2 Factus absque licentia non dicitur aliquando factus ex temeritate.
4 An reuocandus sit ad priorem Religionem, qui studio melioris vitæ transiuit ad arctiorem non petita licentia.
5 Transitus cum iactura primæ Religionis factus est illicitus.
6 Volens ad arctiorem transire, petere debet licentiam.
7 Debito tempore debet eam expectare.
8 Et superior nequit eam sine consilio, & examinatione concedere.
Immò nequit eam concedere, nisi Religio strictior fuerit parata recipere transeuntem num. 9.
10 Quando Superior non respondit, aut indiscretè denegat licentiam, potest Religiosus ad arctiorem transire.
Secus verò quando iustam causam allegat.
11 Religio strictior nequit recipere transeuntem, sine literis dimissorijs sui superioris.
12 Recipientes sine ijs literis peccant mortaliter.
13 A quo superiore petenda sit hæc licentia.
14 Religiosi militares non indigent hac licentia.
15 Quando teneatur Prælatus concedere licentiam.
16 Ad quem recurrendum, quando vertitur in dubium, an sit concedenda hæc licentia.
17 Ordo obseruandus à Religioso in causa appellationis.
18 Transiens ad strictiorem stare debet in probatione per annum.
Nisi transeat, vt sit Prelatus in strictiori.
19 Translatus, si ante emissam professionem reuertatur ad priorem Religionem, recipi debet à Prælato.

Re-

1 RESPONDEO triplicem conditionem desiderari, vt licitus sit transitus ad strictiorem religionem, prout sumitur ex *c. licèt, de regular.* Prima, vt religiosus se inducat ad hunc transitum ob frugem melioris vitæ, non ex temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, aut qualibet animi perturbatione. Secunda, vt transitus non sit cum detrimento, vel iactura religionis, à qua recedit. Tertia, vt petatur facultas à Prælato. Sed pro maiori harum conditionum explanatione ponendæ sunt sequentes conclusiones.

2 Prima, tunc præcipuè præsumitur intercedere leuitatem, ac temeritatem, quando petens transitum est inconstans, facilèque mutat monasteria: aut si rixa præcessit, quia ex ijs, & alijs huiusmodi coniecturis facilè comprehenditur voluntatem transeundi potius ex leuitate, ac temeritate oriri, quàm ex ardore maioris perfectionis. Ità allegatis Ioan. Andr. *in c. licèt, num. 6. de regular.* Antonio *num. 5.* Hostiens. *num. 15. & 16.* & Cardin. *num. 3. q. 5.* docet Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7. num.* 12. Præsumitur etiam fieri ex leuitate, & temeritate transitus, si religiosus è monasterio discedat, ad strictioremq; religionem nulla superioris petita licentia se transferat, vt sumitur ex *d. c. licèt, de regular.* & docetur ab Hostiens. *in c. Ioan. in princ. & in c. licèt, num. 5. de regular. & in sum. tit. de regular. num. 7 in fine,* Panormit. *in d. c. licèt num. 10.* Anstens. *p. 1 sum. lib. 1. tit. 20. art. 10. q. 1. in fine,* & alijs relatis, & approba-
3 tis à Giouagnon. *respons. 39. num. 6. lib. 2.* Verum hoc sanè intelligendum est; nam cum sumus in claris, religiosum ad arctiorem maioris deuotionis spiritu impulsum transiisse, cessat præsumptio leuitatis, & temeritatis, vt non obscurè colligitur ex Rota in vna
4 Bononiensi professionis post medium 14. Martij 1622. coram R. P. D. Merlino. Et quamuis quamplures DD. quos cumulat, & sequitur Sanchez *in c. 7. citato num. 95.* teneant, reuocandum esse religiosum, etiam si in strictiori religione emiserit professionem, quando scilicet transiuit absq; petitione licentiæ non ex leuitate, & temeritate, sed studio melioris vitæ: nihilominus sunt etiam grauissimi Doctores sustinentes non esse reuocandum. Hi sunt Glossa *in d. c. licèt, verbo licentiam, & in c. sanè, de regular.* Goffred. Petr. & Abbas antiq. *in d. c. licèt,* Innocent. *in d. c. sanè, in fine,* Archid. *in can. 2. in princ. 19. q. 3.* Turrecrem. *in can. 1. 19. q. 3* Barbat.

cons. 9. num. 8. vers. adduco lib. 2. Carol. Tap. *in authen. ingressi c. 9. n. 21. & seq. C. de Sacros. Eccles.* Ricard. *4 dist. 38. art. 8. q. 1. ad tertium* vbi Palud. *q. 4. art. 4. num. 43.* D. Antonin. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 9. vers. hoc autem videtur*, Syluest. *religio 4. q. 1. not. 4.* Tabiena *num. 24.* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 15. num. 101.* & Monald. *in sum. de regular. §. si regularis post princ.* qui omnes referuntur à Rota *in decis. modò citata*, vbi magni æstimatur hæc opinio, cui non parũ fauet D. Tho. *2. 2. q. vlt. art. 8. in corpore ad finem*, dicens hanc licentiam ex humilitate esse petendam.

5 Secunda conclusio. Quia per text. *c. licet, de regular.* fieri non debet transitus cum iactura, & detrimento primæ religionis; hinc si monasterium ex transitu religiosi notabile damnum, infamiamque pateretur, talis transitus esset vtiq; illicitus, quia præferri non debet communi vtilitati monasterij. Et si Ecclesia petit restitutionem cum grauiter læditur in temporalibus, vt habetur *c. 1. de in integrum restitut.* à fortiori petit hanc restitutionem in spiritualibus, si læsa sit ratione personæ. Ità tenent Innocent. *in d. c. licet num. 1.* D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 4. in fine princ.* Syluest. *religio 4. q. 1. ad finem*, Angelus *religiosus num. 35. versus finem*, & Tabiena *religio num. 23.* Et quamuis Panormit. *in d. c. licet*, dubitet de hoc, dicatq; propter læsionem monasterij non debere impediri propositum diuinitus inspiratum: nihilominus magis arridet prior opinio, dummodò relaxatio disciplinæ monasticę prioris religionis non sit causa transitus: In hoc enim euentu locum habet opinio Panormitani; quia damnum non transeunti, sed eidem religioni imputatur, vt colligitur ex Syluestro.

6 Tertia conclusio. Religiosus, qui ad arctiorem religionem se transferre desiderat, petere debet licentiam à suo Pręlato, vt habetur expresse *in d. c. licet*, & benè notatur à Panormit. *in d. c. licet num. 10.* Nauar. *lib. 3. cons. 52. ad finem, de regular. in 2. edit.* & alijs. Quę licentia peti debet ante, & non post transitum, vt benè aduertunt Panormit. *num. 11.* Rosella *religio 4. num. 4.* Angel. *religiosus*
7 *num. 35. vers. tertiò quæritur*, & Bartholomęus Socinus *cons. 222. num. 3. vol. 2.* qui alios DD. refert. Et quamuis petita, & non obtenta licentia integrum sit religioso iure communi transire ad arctiorem, vt sumitur ex *d. c. licet*: hoc tamen sanè intelligendum est, quando superior proteruè, & indiscretè eam negat. Vndè debito

tem-

tempore expectare debet superioris responsum *c. cum in veteri, ad finem, de elect.* Panormit. *in d.c. licet num. 8.* Rosella, & Angel. *vbi*
8 *supra*, Sylucst. *religio 4.q.1.notab.1.* & alij. Et superior nequit hanc licentiam statim concedere, sed adhibito aliorum consilio examinare debet sedulò, an causa transitus ex desiderio melioris vitæ procedat, nec non si ex eodem transitu religio propria affici debeat notabili damno, aut infamia. Quinimmo licèt iudicata fuerit causa transitus iusta, non poterit superior concedere licentiam nisi strictior parata fuerit recipere transeuntem, & religiosus aliter recedens fugitiuus est, & apostata, cum sub nullius obedientia sit. Ità Innocent. *in c dilecti num. 2. de renunciat.* Panormit *ibi num. 3.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. de trāslat. monachorum num. 8.* Rodriquez *tom 3. q. 52. art. 19. in fine*, & Bartholomæus Socinus *cons. 222. n. 1. vol. 2.* qui refert Ioan. Andr. Antonium, Cardinalem, & Imolam *in d.c. dilecti*. Et quamuis Innocent. Panormit. & alij doceant, superiorem concedere posse religioso facultatem exeundi monasterium, quærendique sub sua obedientia religionem strictiorem:
9 hoc tamen non consulunt, nisi ad euitandum maius malum, puta fugam. At nunc aliter est dicendum; nam per Decretum sacræ Congregationis Cardinalium iussu Sanctiss. Domini Nostri Vrbani Papæ Octaui editum anno 1624. die 21. Septemb. statuitur, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitimè constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, & tunc regularis recta se transferat ad arctiorem. Quod vt re ipsa adimpleatur, idem superior omni studio, ac diligentia inuigilet. Hoc decreuit sacra Congregatio, quatenus apostatandi opportunitas regularibus præriperetur.

An reuocandus sit nec ne religiosus translatus ad strictiorem non obseruatis prædictis; Præter ea, quæ dicta sunt conclusione prima, videndi sunt Doctores præsertim Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7. à num. 88.* quæ omnia breuitatis causa consultò omitto.

10 Ex hac conclusione infertur primò, quādo superior nihil respondit, vel denegat facultatem indiscretè, vel allegat causam denegationis iniustam, tunc posse religiosum nō expectato alio tempore transire ad arctiorem paratam eum recipere. In ijs enim casibus

superior quasi perpetuò facultatem denegare censetur. Ità Innocet. *in d.c.licet num.2.* Panormit. *ibi num.9.* Rosella *religio 4.num.3.* Syluest. *religio 4.q.1.not.2.* Tabiena *num.24.* & Azorius *p.1.lib 12.c.4.q.5.vers quæres.* Si verò superior iustam causam denegationis alleget, nequit religiosus transire, & idem dicendum de causa verisimili ab eo allegata, quia in dubio ad alium superiorē prouocandum est, à quo res hæc decernenda est, vt infrà dicetur. Ità Innocent. Rosella, Syluester, Tabiena, & Azorius modò citati.

11 Infertur secundò, quod religiosi, ad quos transit claustralis, vt recipiatur inter eos, nullo modo eum recipere debent absque literis dimissorijs sui superioris, quamuis eis constaret licentiam fuisse petitam, sed non obtentam; Quia debent perquirere causam denegationis, & non aliter eum acceptare, quam si ille superior nullam, vel euidenter iniustam causam denegationis assignaret. Ità Innocent. *in d.c.licèt num.5.* Hostiens. *num.17.* Ioan. Andr. *num.13.* Zabarel. *num.16.* quos refert, & approbat Giouagnon. *responſ.38. num.3 lib.2.*

12 Hinc indubitatum est recipientes alienum religiosum sine præfatis literis dimissorijs peccare mortaliter, vt apertè sumitur ex *c. non est vobis, de regular. can. statuimus 19.q.3.* & tradunt Innocent. *in d.c.licèt num 4.* Hostiens. *num. 17.* Ioan. Andr. *num.13.* Zabarel. *num.17.* Nauar. *lib.3.consſ.52.num.3.de regular. in 2.edit* & Giouagnon. *responſ.39. num.11.lib.2.*

13 Quarta conclusio. Quamuis hæc facultas concedi possit à superiore locali, idest à Priore, vel Guardiano iuxta Syluest. *religio 4.q 3.* Mirandā *in Manual. Prælat.tom.1.q.31.art.5.concl.1.* Azorium *p.1.lib.12.c.14.quæst.7.* & alios; Quorum opinioni fauent Panormit. *in c.non est, num.6 de regular.* Rebuffus *in praxi benefic. tit. de translat. monachor. num.5.* & alij tenentes hanc licentiam petendam esse ab Abbate: & etiam Nauar. *comment. 4. num. 10. de regular.* docens, eam concedi posse à Prælato inferiori: Nihilominus censeo quoad Fratres Minores necessariò petendam esse, vel a Generali, vel Prouinciali, vel etiam à Custode, qui iurisdictionem in actu exercito habet. Ità docēt Angel *tit. religiosus n.36.* et Rodriq. *tom.3 q.52.art.3.* Et est ratio, quia ij duntaxat ex regula gaudent facultate incorporandi Fratres religioni. In religionibus autem, in quibus spectat receptio ad superiores locales, habet locū prior

opi-

opinio. Si verò superiores sint trāsituri, Guardianus petere debet facultatem a Prouinciali, & Prouincialis à Generali, & hic à Capitulo generali, vel à Protectore vel à sacra Cardinalium Congregatione, vel tandem à Summo Pontifice, ità colligitur non obscurè ex Syluest. & Azorio in locis citatis. Prędicta tamen non procedunt, vbi consuetudo, vel statutum aliter disponit.

14 Limitatur hæc quarta, & etiam tertia conclusio, vt locum non habeat quoad religiosos militares in claustris vitam communem non degentes. Hi enim absque licentia suorum superiorum transeunt ad ordines claustrales, prout obtinuit consuetudo, & ità resolutum fuit à Rota *in vna Bononiensi professionis post medium vers. verum est ò, die 14. Martij 1622. coram R.P.D. Merlino*. Quæ limitatio procedit etiam si religio equitum priuilegio gauderet, ne equites illi ad aliam religionem transire possint absque sui superioris licentia, vt dubio sequenti probabitur, quod etiam dictum fuit à Rota in decisione citata circa finem, *vers. & ità videbatur*.

15 Quinta conclusio. Prælatus regularis, cui constiterit transitum ad arctiorem non esse in grauem iacturam, seu infamiam sui ordinis, & subditum non petere illum ex temeritate, vel leuitate, sed zelo perfectioris vitæ, tenetur de iure concedere facultatem transeundi. Habetur hæc conclusio expressa *in d.c. licet, §. quo circa*, & confirmata est à D. Thoma *2.2.q.vlt. art. 8. in corpore ad finem*, & communiter à Doctoribus; Et *in d.c. licet* redditur ratio; nam sicut subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: sic profectò Prælatus subdito sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum diuinitus inspiratum impedire. Hinc iure optimo inquit Corduba *c. 10. q. 5. p. 4.* hunc transitum absque iustis causis impedientes contra ius diuinum, & humanum delinquere.

16 Sexta conclusio. Si omnibus diligenter perspectis dubitetur, an religio, ad quam quis se conferre desiderat, sit nec ne arctior: aut si dubitetur, num religiosus ex charitate, an ex temeritate petat transitum ad ordinem certò strictiorem; in ijs dubijs, neque iudicio subditi petentis, neq; superioris denegantis standum est, sed requiri debet alterius superioris iudicium, id est illius ad quem re-

ligiosus grauatus appellat; quia sic appellare potest, sicut quando malè, & contra ius vexatur. Ità sumitur ex *c. licet, §. si verò probabiliter, de regular.* & docetur ab Innocent. *ibi num. 2.* Panormit. *n. 5.* Astensi. *p. 1. sum. lib. 1. tit. 20. art. 10. q. 1. & 2.* Rosella *religio 4. n. 2.* Sylu. *relig. 4. q. 1. not. 1. & q. 2. post mediũ*, Menoch. *de arbit. iud. lib. 2. centur. 5. n. 35.* Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. num. 132. de regular.* Tabiena *num. 24.* & Azorio *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 5.* Idem procedit in quocunq; alio dubio, puta, si dubitetur, an primum monasterium passurum sit, nec ne ex transitu religiosi damnum notabile, vel graucm infamiam: Et procedit conclusio, etiam si in aliqua religione interdicta sit appellatio, quia intelligitur interdicta in spectãtibus duntaxat ad correctionem, vt benè aduertit Syluest. *quæst. 2.* Illud
17 verò notandum, religiosum appellare non posse, nisi seruato sacræ Congregationis ordine, idest appellare debet à superiore locali ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalẽ, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad sacram Congregationem, & ab hac ad Summum Põtificem. Et ideò benè inquit inter alios Cucchus, hoc negotium ad Prælatum maiorem, cui subsunt subditus, & Prælatus inferior, appellatione interposita, deferendum esse.

18 Septima conclusio. Religiosi ad strictiorem transeuntes stare debent in probatione per annum continuum, vt probatũ fuit *disp. 11. dub. 2.* & postea emittere professionem. In regulari verò transeunte quatenus sit Prælatus in strictiori religione non requiritur annus probationis, & sufficit ei professio tacita; immò non videtur requiri professio noua, quia substantialia sunt eadem, & ad cæteras obseruantias satis censetur obligari ea lege, & consuetudine, qua Prælati regulares se communi regulæ, & statutis loci conformare tenentur. Ità allegato Federico de Senis *cons. 5.* docet Nauar. *lib. 3. cons. 60. in fine, de regular. in 2. edit.* Azorius *quæst. 13.* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 13. num. 101.* & Miranda *tom. 1. q. 31. art. 22. concl. 1.*

19 Illud tandem notãdum, teneri superiorem recipere religiosum, cui concessit licentiam transeundi ad arctiorem, si ante emissam professionem in secũda religione reuerti vult ad priorem, eo quod rigorem strictioris sustinere nequit, vel quia pœnituit; Et est ratio, quia licentia transeundi, & renũciatio prioris religionis facta fuit ex causa, vndè ea non subsequuta nullus etiam subsequitur effe-

ctus

ctus i Ita Syluest. *religio 4. q. 5.* Rosella *religio 4. num. 9.* Tabiena *num. 24.* & Miranda *tom. 1. q. 31. art. 18.* Recipi etiam debet religiosus in priori religione, qui iniustè, illicitèque transiuit, vt latè probat Panormit. *cons. 95. num. 2. post medium vol. 2.* allegando aliorum Doctorum auctoritatem.

DVBIVM III.

An Claustrali integrum sit transire ad strictiorem Religionem, quando sua Religio priuilegio gaudet, ne quis in ea professus ad aliam etiam arctiorem transire possit.

SVMMARIVM.

1 *Religiones gaudent priuilegio, ne in eis professi transire possint ad arctiorem Religionem, nisi &c.*

2 *Tale priuilegium non impedit, quin transitus fieri possit ad strictiorem etiam non obtenta Superioris licentia.*

3 *Quę tamen obtineri omninò debet, quādo priuilegium inhibet transitum absque ea.*

4 *Quando teneantur Superiores hanc licentiam concedere.*

5 *Absque hac licentia Capuccini recipere non possunt PP. Minores de Obseruantia.*

6 *Capuccini nequeunt transire ad Ordinem Sancti Francisci de Paula, etiam accedente Superioris licentia. Et è contra PP. Paulini non possunt ad nos transire.*

1 RESPONDEO, præmittendum esse ferè omnes religiones decorari priuilegio, quo professis interdicitur trāsitus ad aliam etiam strictiorem religionem absq; licentia, vel Capituli generalis, vel Generalis, vel alterius Superioris iuxta tenorem priuilegij cuiuscunque religionis. Et quia religiones, quę hoc priuilegium non obtinuerunt, possunt per communicationē se iuuare priuilegijs alijs religionibus concessis, vt benè aduertit Cruz *de statu relig. lib. 1. c. 7. dub. 3. concl. 3. fin.* concludendum est, omnes religiones hoc priuilegio gaudere.

2 Hoc

2 Hoc prænotato fit conclusio. Quamuis quælibet religio gaudeat præfato priuilegio: nihilominus tale priuilegium non impedit; quin religiosus transire possit zelo strictioris vitæ ad strictiorem religionem post tamen petitam, licèt non obtentã à suo superiore licentiam. Habetur expressa hęc conclusio *in c. licet, de regular.* vbi Innocentius Tertius dicit, tale priuilegium fuisse concessum, ne quis ex temeritate, vel leuitate in iacturam, vel iniuriam sui ordinis transeat ad alium ordinem sub prętextu maioris religionis. Ità docent Panormit. *in d.c. licet num. 1. & 10.* Angel. *religiosus num. 35. in fine*, Syluest. *religio 4. quæst. 2. in fine*, Tabiena *num. 23.* Nauar. *lib. 3. cons. 52. num. 1. de regular. in 2. edit.* Cucchus *lib. 3. instit. maior. tit. 1. num. 132. de regular.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 4.* Reginaldus *lib. 28. num. 412.* Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7. num. 10.* & ità resolutum fuit a Rota in vna Bononiensi professionis non longè à fine die 14. Martij 1622. coram R. P. D. Merlino, vbi testatur, hanc esse communem Canonistarum opinionem.

3 Limitatur conclusio, vt interpretatio *d. c. licet*, minimè locum habeat, si priuilegium inhibeat transitum absque licentia Prælati obtenta; Quia tunc ad firmitatem transitus quantumcunque bono zelo facti necessariò obtineri debet licentia. Ità Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 20.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 12.* & Sanchez *vbi supra.* Et item dicendum, si in priuilegio Pontifex vtatur verbis, ex quibus colligatur requiri expressam proprij superioris licentiã, vt bene aduertit Emanuel Sa *religio num. 37.* Quę quidem priuilegia multum rationabiliter indulta fuerunt causa conseruandi inter religiones pacem, vitandiq; scandalum, contentiones, & ipsarum religionum iacturas, quę ex hoc transitu plerunque consurgebant.

4 Aduertant tamen superiores teneri concedere hanc facultatem, quando subditus ex zelo melioris vitę eam petit, & probabiliter prȩsumitur ex tali transitu consurgere non debere notabile damnum, seu infamiam proprię religionis, vt in superiori dubio expeditum fuit.

5 Ex hac conclusione infertur primò, minimè licere nobis Capuccinis recipere Fratres Minores de Obseruantia, sine licentia in scriptis suorum Prouincialium; Quia horum religiosorum receptio inhibita fuit nobis à Paulo Tertio sub pœna excommunicationis,

tionis, & inhabilitatis ad quęcunq; officia, & legitimos actus. Immò Iulius Tertius renouando hanc prohibitionem declarat talem professionem, seu receptionem sine dicta licentia Ministrorum in scriptis esse nullam, & Capuccinos recipientes incurrisse pręfatas censuras. Et idem confirmauit Sixtus Quintus anno 1586. in Constit. incipiente *Proca*. Et est notandum memoratam excommunicationē non esse reseruatam. Quę omnia referuntur à Sorbo *tit. recipere, vers pariter hic aduertendum*.

6 Infertur secundò, nullum ex Fratribus Capuccinis ad Ordinem Sancti Francisci de Paula, & è conuersò nullum Fratrem eiusdem Sancti Francisci de Paula ad Ordinem Fratrum Capuccinorum vllo vnquam tempore, & quantumcunq; iustissima causa etiam de licentia suorum superiorum se transferre posse. Ità statuit Pius Quintus in Bulla incipiente *Sedis Apostolicæ solertia*, edita anno 1567. die 6. Octob. et refertur à Sorbo *in fin. comp. priuileg. edit. Brix. f. 546*. Hęc inhibitio confirmata fuit à Gregorio XIII. prout refert Pasarellus *in suo comp. f. 116*. qui etiam subiūgit, sacram Congregationem iussu Gregorij XIV. anno 1591. die 27. Maij statuisse, religiosos harum duarum religionum transeuntes ex vna ad aliam religionem contra formam pręfatę Constitutionis Pij V. ipso facto pœnam priuationis vocis actiuę, et passiuę, et etiam omnium officiorum incurrere.

DVBIVM IV.

Quomodo fieri possit transitus ad Religionem æqualem quoad austeritates.

SVMMARIVM.

1 *Papa nulla existente causa concedit transitum ad æqualem Religionem.*

2 *Est probabilius hunc transitum sine causa concessum non esse tutum in conscientia.*

3 *Prælatus Regularis existente causa legitima concedere potest transitum ad æqualem.*

Re-

1 RESPONDEO duplici conclusione. Prima. Summus duntaxat Pontifex nulla existente causa potest concedere transitum ad æquè strictam religionem. Ità D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 4. post medium principij*, Syluest. *religio 4. q. 2.* Tabiena *num. 23.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 9.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 5. concl. 2.* & alij. Existimant tamen Syluest. & Miranda hanc licentiam
2 absque causa concessam in vtroq; foro excusare. At probabilius censeo in foro tantum externo excusare, eo quòd præsumitur Papam ex causa dispensare: secus verò in foro conscientiæ: Quod probatur primò, quia in commutatione voti in re æquali requiritur aliqua causa, vt docent quamplures Doctores præsertim Panormit. *in c. 1. num. 3. & 5. de voto*, Armilla *votum num. 14.* Sayrus *in claui reg. lib. 6. c. 12. num. 8.* Grafhius *p. 1. lib. 2. c. 30. à num. 61* & Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 11. num. 91.* Secundò, quia in hoc transitu aufertur ius acquisitum priori monasterio mediante professione, quod auferri nequit absque causa. Ità in proprijs terminis tenent Franch. *in c. cum in singula, §. prohibemus num. 3. ad finem, & num. 4. de preben. in sexto*, & Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7. num. 64.*

3 Secunda conclusio. Est communissima Doctorum sententia integrum esse Prælatis Pontifice inferioribus existente causa legitima concedere licentiam religioso transeundi ad æqualem. Quis sit iste Prælatus, qui concedere potest hanc facultatem, & an necessarius sit consensus conuentus dicetur dubio sequenti.

DVBIVM V.

Quomodo fieri possit transitus ad Religionem laxiorem.

SVMMARIVM.

1 *Papa nulla existente causa concedere potest transitum ad laxiorem Religionem.*

Talis tamen transitus non est in conscientia tutus.

2 *Prælatus Religionis accedente legitima causa dispensare potest ad laxiorem Religionem.*

3 *Etiam*

1 RESPONDEO quadruplici conclusione. Prima. Si nulla adsit causa solus Pontifex potest indulgere transitũ ad laxiorem. Ità Glossa *in c. cum singula, §. probibemus, verbo canonicè, de præben. in sexto*, Innocent. *in c. non est nobis dubium, de regular. & in c. dilectus, num. 3. de tempor. ordin.* Panormit *in d. c. non est nobis dubium.* Cardin. *in c. licèt, col. 3. de regular.* latè Lapus, *allegat. 130.* & alij relati, & approbati a Menoch. *de arbitr. Iudic. lib. 2. centur. 5. casu 421. num. 16.* Qui tamen Doctores intelligendi sunt, vt talis licentia prosit solummodo in foro externo: secus verò quoad forum conscientiæ; nam cum concedatur licentia ad laxiorem, commutatur votum strictioris religionis in quid minus, & per consequens aliqua voti dispensatio interuenit, quæ sine legitima causa concessa non tenet. Et ità in proprijs terminis docent Panormitanus *in c. non est num. 6. de regular.* Rosella, *tit. Abbas n. 3.* Angelus *tit. religiosus n. 35.* Syluest. *religio 4. q. 2.* Tabiena *n. 23.* Nauar. *lib. 3. cons. 88. n. 2. de regular. in 2. edit. & comment. 4. de regular. n. 10. vers. 2. add.*, Rodriq. *tom. 3. q. 52. art. 10.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 8. fin.* Lessius

lib.2.c.41.dubit.13.num.102. Miranda *in Manual. Pralat.tom.1.q.31.art.5.concl.3.* & alij.

2 Secunda conclusio. Existente legitima causa potest Prælatus Pontifice inferior dispensare regularem ad laxiorem religionem. Ità Innocent. *in c.dilectus, de tempor.ordin.* Panormit. *vbi supra, & in c significatum, de regular.* Franch. *in c.cum singula, §. prohibemus num.4. de preben. in sexto,* Archid. *in can monachum 20.q.1.num.4.* Menoch. *de arbitr. Iud. lib.2.centur.5. num.16.* Palud. *4.dist.38.q.4.art.4.num.43.* D. Antoninus *2.p.tit.11.c.2.§.9.col.3. vers. hoc autem videtur*, Rosella, Angelus, Sylvester, Tabiena *vbi supra*, Nauar. *comment.4. de regular.num.11.vers. quintò*, Rodriquez *art.9. statim in princ.* Lessius, Miranda *in locis citatis,* Sanchez *in præcepta decal. lib.6.c.7.num.53.* & quamplures alij, quia hæc est com-
3 munissima sententia teste Sanchez. Intelligitur conclusio, etiam si ad Pontificem facilis sit aditus, quod est contra Antonium de Butrio, quem refert, & sequitur Azorius *in quæst.8.citata*, qui docuerunt non posse superiorem Pontifice inferiorem concedere hãc facultatem, nisi ex mora probabile periculum immineat, & ad Papam difficilis sit aditus. Quorum opinionem reprobat Franch. *vbi supra*. Et Angelus, atque Sylvester benè inquiunt, eam esse de consilio.

4 Dissensio tamen est inter Doctores apud quem superiorem resideat hæc facultas. Nonnulli antiquiores existimant residere penès Episcopum: Sed ij eo tempore scripserunt, quo religiosi sub iurisdictione Episcoporum viuebant. Alij docent gaudere hac auctoritate Abbatem, sed à nonnullis hæsitatur quis sit iste Abbas, an sit Generalis, an Prouincialis, aut superior localis: Ego autem breuitèr dico, in qualibet religione obseruanda esse illius statuta,
5 vel consuetudinem, & vbi hæc desunt, censeo nedum tutius, sed etiam probabilius non residere penes superiores locales hanc facultatem, sed tantum apud Generalem, aut Prouincialem.

Probatur primò, quia cum superiores locales non habeant vt plurimum facultatem incorporandi Fratres religioni, sequitur minimè posse eosdem Fratres alienare. At esto in aliqua religione receptio religiosorum eis competat. Nihilominus dum quis admittitur ad religionem, ius acquiritur non solum monasterio, in quo profitetur, sed etiam totę religioni, vel saltem prouincię: Cum ergo

ergo talis professus ad totam religionem, vel Prouinciam pertineat, non potest alienari à superiore locali. Secundò, quia cum superior localis nequeat sua auctoritate tranferre religiosum ad aliud suæ religionis monasterium, minus poterit ei concedere licentiam transeundi ad aliam religionem. Ità sustinent Cucchus *lib. 3. instit. maio. tit. 1. num 137. de regular.* Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 3. ad finem.* & Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7 num. 58. & 65.* Idem docent Miranda *tom. 1 q. 31. art. 13.* & etiam Angelus *tit. religiosus num. 36.* loquendo de religiosis mendicantibus: Concordant Nauar. *lib. 3. cons. 56. in 2. edit. de regular.* & Azorius *p. 1. lib. 12. c. 15. q. 1.* qui videntur docere solum Generalem habere hanc

6 facultatem. Censeo etiam necessariam esse licentiam Generalis, vel Prouincialis, si religiosus transire vult ad religionem æquè strictam.

Obijcies, in Tridentino *sess. 25. c. 19. de regular.* decerni, nullum regularem vigore cuiuscunque facultatis se tranferre posse ad laxiorem religionem. Ad hoc respondet Nauar. *in consilio modò citato*, non fuisse mentem Concilij tollendi facultates cum iure communi congruentes, quales sunt, quæ conceduntur iustis de causis, & seruato debito iuris ordine, sed tollendi eas tantum licentias, quæ a nonnullis Prælatis sine iusta causa, & causæ cognitione, & sine consensu conuentus concedebantur. Quæ responsio est communiter probata præsertim ab Azorio *in loco citato*, Lessio *lib. 2. c. 41. dubit. 13. num. 103.* Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 21. in fine*, & Miranda *q. 31. art. 13. ad finem*. Quod non aduertit Sorbus *tit. recipere in sua annot. statim in princ.* qui contrarium docuit: Et idem respondetur ad Constitutionem Pij V. quam ipse pro se refert, vt dictum fuit in dubio primo.

7 Secunda conclusio. Ad hunc transitum legitimè faciendum necessarius est vnà cum licentia superioris assensus conuentus. Sumitur hæc conclusio ex *can. statuimus 19 q. 3.* & probatur hac ratione; quia cum maiora religionis negotia expediri nequeant a superioribus sine conuentus consensu, vt probatum est *disput. 7. dub. 2. statim in princ.* patet, cum hoc negotium sit ex religionum grauioribus expediri non posse nisi accedente præfato assensu. Quod confirmatur, nam sicuti Abbas recipere non potest aliquem ad professionem sine consensu maioris partis conuentus, vt visum est

disput. 12. dub. 1. Ità nec concedere potest hanc facultatem, vbi agitur de alienatione monachi. Hæc conclusio habet locum non solum quando concedenda est licentia transeundi ad laxiorem, sed etiam ad æquè strictam. Docent necessariò requiri conuentus assensum quoad laxiorem, Archid. *in can. monachum 20. q. 1. num. 4.* Gemin. *in c. singula, §. prohibemus num. 5. ad finem, de præben. in sexto, & ibi num. 4.* Franch. D. Antonin. *2. p. tit. 11. c. 2. §. 9. col. 3. vers. idem videtur*, Rosella *tit. Abbas num. 4.* Nauar *lib. 3. cons. 56. num. 3. de regular. in 2. edit.* Rodriquez *p. 2. sum. c. 6. num. 8.* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 13. num. 103.* Sanchez *in præcepta decal. lib. 6. c. 7. n. 66.* & alij. Quò verò ad æqualem Glossa *in c. cum singula, verbo canonicè, de præben. in sexto*, Rebuff. *in praxi benefic. tit. de transitu monachor. num. 7.* Angelus *tit. religiosus nu. 35.* Syluest. *religio 4. q. 2. circa medium*, Tabiena *num. 23.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 5. concl. 2.* Rosella, & Sanchez *in locis citatis*.

8 Notandum verò integrum esse Generali, ac Prouinciali in religione nostra concedere hanc facultatem accedente duntaxat assensu maioris partis definitorij; quia definitoriū repræsentat corpus totius prouinciæ, quod est maius, quàm corpus vnius monasterij.

9 Limitantur primò præfatę conclusiones quoad religiosos Mendicantes, nam iure communi nequeunt superiores mendicantium accedente etiā conuentus consensu concedere facultatem suis subditis transeūdi ad religiones monachales excepta Carthusiana; Et ideò, vt licitus sit hic transitus necessaria est specialis Pontificis licentia: Et si contra fecerint, tàm recipientes, quā recepti sunt ipso facto excommunicati, & professio est irrita. Habetur hęc limitatio expressa *in extrauag. viam ambitiosæ, de regular.* Existimant Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 13. n. 104.* & Sanchez *in pręcep. decal. lib. 6. c. 7. n. 68.* hanc Extrauag. vel non esse vsu receptā, vel loqui de ijs, qui absq; legitima causa transeunt, quod indicant hæc illius Extrauagantis verba, *fucatis coloribus, & vt liberius degāt, & beneficia monastica consequi valeant*. Nihilominus veriorem cēseo limitationem positam, prout tenent Doctores, præsertim D. Antonin. *3. p. tit. 16. c. 4. §. 4. ad finem*, Sayr. *de censur. lib. 3. c. 30. n. 8.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 12. vers. inter extrauagantes*, Suarez *tom. 5. disp. 22. sect. 5. n. 16. & 19.* Sorbus *tit. apostata, vers. aduertendū est*, Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 15.* & Miranda *tom. 1. q. 31. art. 8.*

10 Dixi *iure communi*, quia aliter esset dicendum, si aliqua religio priuilegio concedendi hanc facultatem gauderet, prout gaudet religio Societatis Iesu, vt refert Suarez, cuius vigore potest Reuerendissimus ille Generalis concedere licentiam suis subditis transeundi ad quamcunq; aliam religionē, & Gregorius XIII. qui concessit hoc priuilegium, interdixit illius communicationem ad alias religiones.

11 Limitatur secundò, vt superiores regularium etiam cum cõuentus consensu nequeant concedere subditis facultatem transeundi ad religiones non claustrales, vt sunt militares, & hospitalarię. Ità expressè colligitur ex quadam sacræ Congregationis declaratione, quæ refertur *in addit. ad conf. 58.* Nauar. *de regular.* & etiam à Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 12.* & Miranda *tom. 1. quæst. 31. art. 8. concl. 2.*

12 Tertia conclusio. Mendicantes, qui ad non mendicantium ordines auctoritate etiam Apostolica transierunt, vel in posterũ transibunt, quãuis tunc prioratus, administrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineant inibi, vocem, aut locum in capitulo habere non possunt, etiam si hoc sibi ab alijs concedatur. Præterea sic translati assumi nequeũt in posterum ad prioratus, administrationes, & ad quæcumq; officia etiam tanquã Vicarij seu Ministri, vel locum aliorum tenentes, & animarum curam pro se, vel pro alijs exercere nequeũt: Et quid quid in contrarium gestum fuerit, est ipso iure irritum, quouis priuilegio nõ obstante. Ità habetur expressè *in Clem. 1. de regular.* vbi etiã testatur, hoc statutum à sacro Viennens. Concilio approbatum fuisse.

13 Ampliatur hęc cõclusio à Lessio *lib. 2. c. 41. dubit. 13. n. 105.* & Miranda *tom. 1. q. 31. art. 8. concl. 2.* existimantibus affici ijs pœnis etiã Mendicantes ad Carthusianam transeuntes. At meritò non admittitur hęc ampliatio à Sanchez *in pracep. decal. lib. 6. c. 7. n. 110.* quia Clementina citata loquitur de ijs, qui trãseunt virtute alicuius priuilegij ad laxiorem: Sed transitus ad Carthusianã fit vi iuris communis, vt patet per Extrauag. *viam ambitiosæ, de regular.*

14 Per religiones Mendicantes intelliguntur iuxta veriorẽ opinionem nedũ quatuor ordines Mẽdicantes, idest religio Prędicatorũ, Minorũ, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, de quibus fit mentio in iure *c. vnico, S. sanè, de relig. dom. in sexto*, verũ etiã omnes

alij Ordines, qui postea per Sedem Apostolicam Mendicantes instituti fuerunt, vt religio Minimorũ, & Societatis Iesu. Ità Suarez *tom. 5. disp. 22. sect. 5. num. 16.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 12. vers. quæres*, Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 15. vers tertiò est notandum*, & alij.

15 Per vocem, qua priuantur, intelligitur vox actiua, & passiua, vt aduertunt Doctores præsertim Nauar. *comment. 4. num. 24. de regular.*

Per officia, quibus priuantur, intelliguntur omnia officia per religiosos fieri solita, vt officium Oeconomi, Castaldi, Ostiarij, Cellerarij, & alia huiusmodi. Ita Anchar. *in d. Clem. num. 5.* Nauar. & Azorius *vbi supra.* Quinimmo nec prædicationis munus exercere possunt, vt notant Gloss. *in d. Clem. verbo officia*, Anchar. Nauar. Azorius, & Lessius *in locis modò citatis.* Et idem dicendum de officio Lectoris Theologiæ. Ità Anchar. *Azorius*, & Lessius. Et etiàm de lectura canonica, vt inquit *Azor.*

16 Quarta conclusio. In Concilio Tridentino *sess. 14. c. 11. de reformat.* decernitur, omnes religiosos ad alium ordinem translatos, etiam si Canonici fuerint regulares, esse omninò incapaces quorumcũq; beneficiorum secularium, quamuis beneficia sint curata. Et hoc intelligitur, etiam si religiosus translatus sit ad strictiorem religionem, vt benè aduertit Lessius *num. 105.*

DVBIVM VI.

Quæ sint causæ legitimæ, quibus dispensari possit Religiosus, quatenus de vna ad aliam Religionem licitè transire valeat.

SVMMARIVM.

1 *Transitus ad strictiorem Religionem non requirit causam.*
2 *Aliquam causam requirit transitus ad æqualem.*
3 *Quæ causæ censeantur sufficientes, quatenus Religiosus dispensari posit ad Religionem laxiorem.*
4 *Quamplures aliæ causæ arbitrio prudentis, & intelligentis relinquuntur.*

5 In

5 *In transitu de una ad aliam Religionem non dispensatur Religiosus in essentialibus votis.*

6 *Sed fit quadam votorum commutatio.*

1 RESPONDEO triplici conclusione. Prima. Certissimum est, nullam desiderari causam, quando transitus fit ad strictiorem. Ità sumitur non obscurè ex *c. licet, de regular.* & confirmatum est communiter à Doctoribus; Et est ratio, quia cum in hoc transitu non sit necessaria vlla dispensatio, seu relaxatio votorum, aut obligationum transeuntis, consequenter nulla desideratur causa.

Secunda conclusio. Quãuis Syluest. *tit. religio 4. q. 2.* Menoch. *de arbitr. Iudic. lib. 2. centur. 5. num. 34. & 35.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 9.* & Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 31. art. 5. concl. 2. & art. 6. concl. 2.* censeant non requiri causam, si fieri debeat transitus ad æquè strictam ex licentia Summi Pontificis: secus verò si
2 ex licentia superioris Pontifice inferioris. Nihilominus verius est, necessariam esse causam legitimam nedum quando fit de licentia superiorum Pontifice inferiorum, sed etiam si accedat Papę auctoritas, vt visum est *dub. 4.* Verùm parua causa dummodo sit iusta sufficit ad hunc transitum cõcedendum. Ita loquentes de commutatione a quali votorum docent Caiet. *2. 2. q. 88. art. 12. col. 2. vers. rationabilis autem,* Nauar. *lib. 3. cons. 18. num. 2. de voto,* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. 19. num. 5.* & Sanchez *in præcep. decal. lib. 4. c. 50. num. 21 & 22.* qui alios Doctores refert.

3 Tertia conclusio. Religiosus, qui ob infirmitatem, aut corporis debilitatem ferre nequit austeritatem religionis, ad quam se primò contulit, habet iustam causam, qua dispensari potest ad laxiorem. Ità D. Thom. *2. 2. q. vlt. art. 8.* Panormit. *in c. non est num. 6. de regular.* Gemin. *in c. cum singula, §. prohibemus, num. 6. de præben. in sexto,* Franch. *ibi num. 4.* Angelus *tit. religiosus num. 35.* Syluest. *religio 4. q. 2.* Tabiena *religio 4. num. 2.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14. q. 8. vers. quæres,* Lessius *lib. 2. c. 41. dubit. 13. num. 102.* Sanchez *lib. 6. c. 7. num. 72. & alij,* & præcipue Menoch. *de arbitr. Iudic. lib. 2. centur. 5. num. 25.* qui alios citat. Immò subest sufficiens causa huius dispensationis, si religiosus in priori religione odio habeatur à cæteris religiosis, aut indignè, & malè tractetur, vt benè no-

tant Azorius, & Sanchez; Aut si alijs sit exosus, vt scribit Lessius: concordat cum ijs Doctoribus Reginaldus *lib. 18. c. 29. num. 414.* Est etiam sufficiens causa, si quis propter suam simplicitatem non intellexit sufficienter Regulam, vel Constitutiones tempore professionis, & postea vult laxius viuere. Ità Corduba *c. 2. q. 16. p. 1.* Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 9.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 6. concl. 2.* & Sanchez. Habet etiam legitimam causam iuxta Rodriquez, Mirandã, & Sanchez religiosus habens parentes in graui necessitate constitutos, nec potest in priori religione eorũ necessitati succurrere per modos suæ regulæ congruentes. Hæ, & aliæ huiusmodi causæ censentur legitimæ, & sufficientes à Doctoribus, quatenus dispensari possit religiosus ad laxiorem religionem.

4 Ad maiorem autem huius tertię conclusionis explanationem, duo sunt notanda. Prius quamplures alias causas esse posse, ob quas transitus ad laxiorem concedi potest, & cum hæ à lege definitæ non sint arbitrio prudentis, & intelligentis viri presertim prælati relinquuntur, vt sumitur ex *l. 1. ff. de iure deliber. & c. de causis, de offic. deleg.* Ità Doctores, & præsertim Syluest. *tit. dispensatio q. 1.* & Menoch. *vbi supra num. 24.* & in proprijs terminis sic docent Rodriquez, & Miranda *in locis citatis.*

5 Posterius. Ad ferendum harum causarum rectum iudicium, considerari oportet, Pontificem, aut prælatum concedendo hunc transitum ad laxiorem non dispensare religiosum in essentialibus votis paupertatis, obedientiæ, & castitatis; eo quòd hæc in omni religione quoad essentiale sunt æqualia, vt iure optimo docent B. Augustinus de Ancona *de potest. Eccles. q. 106. art. 2* Valentia *tom. 3. disput. 10 q 6. p. 1. vers. his positis,* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 1. art. 5 concl. 2.* & etiam apertè sumitur ex Thesauro nostro *c. 1. f. 13. c. 6. f 266. c. 10. f. 301. & c. 11. f. 413.* Sed dispensatio est circa obseruantias accidentales, quę iuxta Regulas, vel Constitutiones cuiuscumq; religionis augent magis, aut minus horum votorum obligationem Hinc Rota *decis. 121. num. 2. coram Card. Seraph.* dixit dari in ijs votis solemnibus excessum. Vndè hęc vota sunt materialiter, seu accidentaliter in religione nostra Minorum arctiora, quàm in alijs religionibus, vt in regula nostra patet: Quod latè probare possem, sed quia non est locus proprius. Ideò ad rem dico posse, etiam aliquando contingere hanc dispensatio-

nem

nem circa aliquod votum, vt si transitus fieret ex religione quartum votum habente, ad religionem illud non habentem. Hinc benè notat Nauar. *cõment. 4. n. 10. vers. secundo addo, de regul.* quod concedere facultatem trãseundi ad laxiorem est effectu absoluere, vel à voto, vel à parte voti seruandi strictiorem. Quare transitus ex vna ad aliam religionem est commutatio votorum, in qua requiritur maior, aut minor dispensatio iuxta quantitatem, qualitatemq; obseruantiarum regularium, à quibus absoluitur religiosus transeundo à strictiori ad laxiorem. Ex quo infertur, in eo transitu, vbi est parua dispensatio, sufficere paruã causam, in eo verò, vbi interuenit maior dispensatio, desiderari maiorem causam. Et ità colligitur ex Doctoribus, maximè ex Caiet. *2.2 q. 88. art. 12. col. 2. vers. in commutatione autem ad finem*, Nauar. *c. 12. n. 63.* & Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. 17. n. 15.* An difficultas, quam habet religiosus obseruandi religionis austeritates prouenienes ex prauo habitu sit sufficiens causa dispensationis, discutietur dubio sequenti.

DVBIVM VII.

An difficultas, quam habet Religiosus obseruandi Religionis austeritates, sit causa sufficiens ad dispensandum eum in laxiorem.

SVMMARIVM.

1 *Quando difficultas, quam habet Religiosus in obseruandis austeritatibus suæ Religionis, sit causa sufficiens ad dispensandum ad laxiorem.*
2 *Putant aliqui hanc difficultatem non esse sufficientem causam, si ex prauo habitu Religiosi proueniat.*
3 *Quorum opinio sic intelligenda est.*
4 *Continua mæstitia, & pænitudo est ex se sufficiens causa dispensa.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Difficultatem grauem, quam experitur religiosus in obseruandis suæ religionis austeritatibus, esse sufficientem causam ad dispensandum ad laxiorem

-rem religionem minimè hæsito, si ratione huius difficultatis vehemens transgressionis regulæ, seu statutorum probabilitas immineat. Sumitur hæc conclusio ex *c. veniens, qui clerici, vel vouen.* vbi Alexander Tertius ob hoc periculum dispensauit cum fœmina votum castitatis habente, vt cui vellet, matrimonio se coniungere posset. Probatur etiam ratione, nam cum religionis austeritates sint professo inutiles, & potius deseruiant ei, vt sacrilegijs inuoluatur violando eas, recta ratio suadet, vt eius infirmitati mediante dispensatione prospiciatur; quia quod pro charitatis perfectione inductum est, vergi non debet in eiusdem charitatis dispendium, & ità loquentes de voto simplici docent Ricardus *4. dist. 38. art. 9. q. 1. in corpore*, Nauar. *c. 12. num. 78. & lib. 3. consl. 36. ad fin. de voto in 2. edit.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 6. p. 7. ad finem*, Azorius *p. 1. lib. 11. c. 19. q. 17.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. c. 17. num. 9. de voto*, Lessius *lib. 2. c. 40. dubit. 17. num. 120.* Sayrus *in claui reg. lib. 6. c. 12. n. 30.* Sanchez *in precep. decal. lib. 4. c. 45. num. 44.* Bonacina *de legib. disp. 4. q. 2. p. 7. §. 4. num. 24.* & alij.

Intelligitur conclusio, vt tunc præfata difficultas sit sufficiens ad dispensandum, quando est causa sæpe violandi regulæ obligationes; secus verò si vnius, vel alterius trangressionis sit causa. Ita Valentia, Azorius, Lessius, Suarez, & Sanchez.

2 Limitatur hæc conclusio à Soto *de iust. lib. 1. q. 7. art. 3. col. 5. vers. At si perconteris, & lib. 7. q. 4. art. 3. col. 9. vers. vtrum verò*, quem sequitur Rodriquez *tom. 3. q. 52. art. 9. vers. si verò quæras*, vt locum duntaxat habeat, si difficultas præfata sit in re ipsa; quia scilicet religiosus inconsulta prudentia non commēsurauit in emissione professionis asperitates religionis cum sua delicata complexione, vel ex sua simplicitate non credidit ità asperam esse religionem: Secus verò si difficultas, & molestia ex prauo habitu proueniat, hæc enim non dijudicatur legitima causa dispensationis, quia non debet quis ex sua malitia commodum reportare. Quod suaderi potest hac ratione, nam cum obseruantia austeritatum deseruire possit pro medicina prauis affectibus, & habitibus, iuxta rectam rationem allegari nequit hæc causa pro relaxatione professionis. Nihi-

3 lominus hæc limitatio sic intelligenda est, & moderanda, vt tunc solum locum habeat, quando religiosus absq; magna difficultate præfatum periculum transgrediendi regulæ præcepta effugere po-

tuit,

test, & est probabile obseruantiam austeritatum pro medicina imperfectioni eius deseruire debere. At si hæc spes emendationis non habeatur, subest causa sufficiens, vt ad laxiorem dispensari queat, eo quòd cùm non possit nisi ex magna difficultate vitare periculum transgressionis supposito habitu prauo, & fragilitate magna indè acquisita, sequitur, vota, seu obligationes religionis strictioris suis viribus esse impares, atque ei reddi inutiles, quia deseruiunt non ad euitanda, sed ad augenda peccata. Ità colligitur ex Nauar. *lib. 3. cons. 36. num. 6. de voto in 2. edit.* docente, esse iustam dispensandi causam, quando voto castitatis obstrictus ità fornicatur, ac si non vouisset: Et expressius docetur à Philiar. *de off. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 4. ad finem*, Sayro *num. 31.* Suarez *in loco citato num. 12.* & Sãchez *in præcep. decal. lib. 6. c. 7. num. 72. post medium.*

4 Immò censeo habere causam huius dispensationis sufficientem religiosum in religione stricta professum, cui ob suam imperfectionem, & prauum habitum obseruantia austeritatum propriæ religionis adeò difficilis redditur, vt ferè continuam mæstitiam, & pœnitentiam professionis emissæ in illa religione experiatur, quamuis ratione huius difficultatis regulam frequenter nõ transgrediatur. Quod probatur primò, quia hæc ferè continua mæstitia, & pœnitudo constituit religiosum in probabili periculo violandi regulares obseruantias. Secundò, quia sicut tristitia, & displicentia grauis, quam experitur nouitius tempore probationis censetur sufficiens ad liberandum eundem nouitium à nexu voti religionis, vt probatum fuit *disput. 10. dub. 2. concl. 2.* Ita eadem tristitia in casu nostro censenda est sufficiens dispensationis causa, maximèque si spes habeatur, petentem dispensationem cum gaudio, & animi tranquillitate seruiturum esse Deo in laxio-

Nn

Dein

DVBIVM VIII.

An præmitti debeat à Superiore causæ cognitio antequam dispenset subditum ad laxiorem Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Ante dispensationem ad laxiorem Religionem præmitti debet cognitio causæ.*
Non est necessaria scriptura pro foro conscientiæ.
2 *Secus verò quoad forum exterius.*

1 RESPONDEO hac conclusione. Superior antequã dispenset subditum ad laxiorem religionem debet causæ huius dispensationis cognitionem præmittere: Immò Azorius *p.1.lib.12.c.15.q.1.* existimat, eam esse scripto mandandam. Nihilominus dicendum est, in foro conscientię quamcunq; causæ cognitionẽ quauis 2 via, aut diligentia habitã dijudicari sufficientem. Pro foro uerò externo desiderari scripturam, quatenus per eam fides fieri possit licentiæ concessæ, si aliquid aduersus transitum opponatur. Ità Nauar. *lib.3.conf.56.in 1.& 2.edit.de regular.* Suarez *de legib. lib.6.c.19.num.2.& c.3.num.16.* Salas *1.2.disput.20.sect.9.num.79.* Sanchez *in precep.decal.lib.6.c.7.n.69.* & Miranda *in Manual.Prælat. tom.1.q.3.art.13.* Et ideò iuxta Nauar. translatus habere debet scripturam authenticam, in qua appareat Superiorem dedisse facultatem transeundi ad laxiorem cum causæ cognitione, accepta informatione de causa iusta, & legitima.

Finis huius Praxis ad Dei Opt. Max. gloriam, ac Beatissimę, Gloriosissimęq; Virginis Marię, ac Seraphici Sanctiss. Patris mei Francisci. Omnia in ea contenta Sũmo Pontifici, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, Sapientumq; hominum censuræ, ac iudicio humiliter subijcio, lectoremq; discretũ rogo, vt si quid boni in hoc opere inuenerit, ad Deum Opt. Max. à quo omne datum optimum referat: Quicquid verò imperfectioni meæ tribuendum offenderit, illud benignè corrigat, inaduertentiæq; meæ ignoscat, & tandem pro me peccatore dignanter exoret.

FINIS.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
quæ in hac praxi continentur.

PRIMVS NVMERVS DISPVTATIONEM, Secundus Dubium, Tertius marginalem eiusdem dubij numerum denotat.

disp.

Au-

INDEX.

Blas-

INDEX.

Clau-

INDEX.

Con-

Confessarius.

Confessio.

Confirmatio Priuilegiorum.

Consensus.

Consuetudo.

Con-

INDEX.

Consilia Euangelica.

Consilium.

Constitutiones Pontificiæ.

Contractus.

INDEX.

Debitor, & debita.

Declarare.

Licèt

Non

INDEX.

Episcopus.

Epi-

Error.

Exceptio.

Excommunicatus.

Fo-

INDEX.

Fraus

Ha-

Ho-

Non

Imperfectio.

Infamia.

Infamis.

Infans.

Infidelis.

d Qui

Quan-

Quan-

Iuramentum.

Iurisdictio.

Ius.

Laici.

Legatum.

Legitimare.

Lex.

Man-

INDEX.

Mandatum.

Materia.

Matrimonium.

Medicus.

Mendicantes.

Metus.

com-

Me-

Dum-

INDEX.

Hoc

Olim

INDEX.

De

Nouitij.

Quoad absolutionem.

Lii

Nouitij.

Quoad irregularitates.

dub.

No-

Nouitij.

Quod vota.

Ad

No-

Nouitij.

Quoad probationem.

A quo

INDEX.

Quæ-

Papa.

Parentes.

PA-

Per-

INDEX.

Et

Pro-

Pro-

Ad

INDEX.

om-

Professio.

Quoad modum, & formam emittendi eam.

Professio.

Quoad eius fructus, & effectus.

Ad

Pro-

INDEX.

Ra-

Ratiocinia.

Recursus.

Regula.

Religio.

Re-

Qua

Religio.

Quoad transitum ad æqualem, vel laxiorem.

Se

Non

Quo-

INDEX.

mæsti-

INDEX.

Tem-

INDEX.

Votum.

Vo-

INDEX.

Vo-

Non

INDEX.

Errata præcipua		sic corrige
f. 11. linea 12.	camno	de damno
f. 25. linea 1.	An possit ex se vouere	dele
f. 38. linea 8.	sit	scit.
f. 118. linea 8.	recipientis	recipiendi
f. 147. lin. penult.	acquisitio	acquisito
f. 154. linea 5.	atius	satius
f. 154. linea 31.	os	hos
f. 157. linea 30.	quod	quæ
f. 168. linea 22.	ista quæ	quod
f. 172. linea 2.	monentes	manentes
f. 221. linea 17.	Henriquez	Rodriquez
f. 266. linea 26.	subitu[illegible]m	subi[illegible]s
f. 277. linea 24.	notificationibus	notificationis
f. 277. linea 31.	Habere	Habeat
f. 279. linea 3.	Conuersus	Conuersis
f. 316. linea 13.	non	dele
f. 347. linea 5.	differentias, alia	differentia alias
f. 380. linea 8.	Minimorum	Minorum
f. 417. lin. penult.	obligabit	obligare

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

by Google